This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

4°
S. 19.
Th. B. S.

Digitized by Google

M. Georg. Veesenmeyer, Prof. Supr. 1810. 7m. Septbr.
Donum D. Moseri, quo me Lugduno redux donavit.

Analecta ad Specimen Italiae reformata.

A. 1533. prodiit: Libro de la emendatione & correctione del stato Christiano quo de libro, cuius duo habeo exempla, cf. Mencken. hist. litt. bibliogr. Magaz. T. 7, p. 350–358. & Neues Litt. Anz. 1807. N. 11. Est ipse liber Lutheri von der Besserung, qui primum 1520. Germanice prodiit.

In Dialogo, 1538 Venetiis excuso, et in: Tomi II. Pasquillorum recuso p. 382 sita: Italia iam tota lutheresceit. etc.

A. 1553. Fulvia Olympia Morata scripsit epistolam ad Matthi. Flacium, in qua eum exhortata est ut aliquem Lutheri librum in Italicum converteret. v. Morata Opp. p. 123 s.

Amoenit. Miscellanea Litt. Fasc. I. N. 168. & N. 201. ff. N. III. N. 166.

Strobel. Neue Beitrage, B. IV. N. II. S. ff.

Ad p. 167. Est apud me: Apologia Christiani Batavi contra Mart. Becani Jesuitae Quaestiones haereticis seruanda Londini 1611 impressa, collegit Nobilis. Dn. Anton. Albizius Mense Augusto. 1618. Hunc titulum Zeaman praefixit αὐτοσχεδίως Albizii.

Ad p. 314. Frid. Andr. Hallbauer Diss. de vita, fatis & meritis Aonii Palearii praemissa Opp. Palearii, Jenae, 1720. 8. & Gurlitt. (Rect. Gymn. Hamb.) Progr. de Aonio Paleario, veritatis martyre. Hamburg. 1805.

Ad p. 57. De illa Melanchth. ad Venetos &c. epistola haereo, an non eum eius titulum: Ad Senatum Venetum, pro vero habere debeam. Illis enim, quae Schelhorn c. l. p. 423. pro defendendo titulo: ad Venetos quosdam Euangelii studiosos, affert, regero editionem huius epistolae, Norimb. 1539. eo ergo, quo scripta fuit, anno excusam, quam ipse habeo.

Ad p. 180. Est apud me: Jacobi Brocardi Mystica & Prophetica Libri Leuitici interpretatio. Lugduni Batavor. 1580. 8. Addita sunt, quae in titulo non memorantur: Praefatio in Prophetas; Argumentum in Aggaeum; Summa in Zachariam; Summa Prophetiae Malachiae. Absoluitur liber pagg. 224.

De libris, lingua Latina & Italica a Gabr. Vallicula, Frid. Gregorio, aliisque conscriptis & doctrinam Euangelicam sapientibus v. Bibl. Sacra Mus. H. T. I. p. 108–122. 207–227. 232–243. coll. 322–344.

Ad p. 350. cf. Umpf. Nachr. 1739. S. 139. f.

Ao. 1533. Bucerum ad Helvetios pacis Ecclesiae stabiliendae caussa profectum comitabatur D. Barthol. Fontius, Venetus, doctus Franciscanus, quem

res Ecclesiastica Helvetica, atque eo presente habita Tiguri, Multhusii &c. Synodi egregie contentum reddiclere. Tum enim veritatis studium in Italia ita erat magnum, ut Itali Evangeliconum libros desiderarent, quorum a Jo. Comandro, Curiensium Pastore, magna copia illuc missa fuit. Gottlieb. Gelasii Cinsum Gryph. III, 677. qui ep. Myconii 16. Apr. citat.

Ad p. 61. v. Epist. Mel. ad Camerar. p. 309. s.

Ad p. 169. de Virgilio cf. Umpfenb. Nachrichten, 1729. 8. 139.

1529. Jo. Lonicerus Versionem majoris Catechismi Lutheri, Marpurgi editam dedicavit Lutio Paulo Rosello, Patavino, his verbis: Cum pias, tum elegantes litteras tuas, quas tu superiori anno Venetiis Nonis Martiis scripseras, sub tuum vicesimi noni initium) primum accepi, quibus vedum deflyderabas, sed etiam obtinere precabare, ut Latinos faceremus aliquot Lutheri libellos, qui in Germanica dum lingua delitescerent, eos enim ad vestri institutionem plurimum facere arbitrabamini. Ad Lutii Rosselli ep. est in Epp. ad Nauseam, p. 12. Erasmus ad Jo. (Fischer) Episc. Rossensem a. 1524. „Factio (Lutheri) crescit in dies latius, propagata in Sabaudiam, Lotharingiam, Franciam, atque etiam Mediolanum. Epp. p. 595.

1541. Jo. Calvinus scripsit ad Fratres, Christum vera fide invocantes, qui sunt Bononiae & Mutinae. v. Epp. Calvini, p. m. 81.

De Mirandola cf. Füßlin Beytr. z. Kirchen-Reformgesch. IV. 8. 406. n. XXVI.

Hanc Nonis Haec Ecclesia, sed tota quoque vicinitas fructum aliquem sentit mea praesentia. Adde, quod nonnihil in Galliam usque et in Italiam redundat. -- Habemus hic Bernardinum Senensem, magnum et praeclarum Virum, qui suo discessu non parum Italiam commovit. Haec Calvinus ad Melanchthonem. In Sylloge Epp. Burmanniana. II. 230.

Genevae, 14. Cal. Martias, 1543.

Nonnulla ad puriores religionis professores in Italia pertinentia loca v. in Epp. ad Marbachios, a Festtio edit. p. 47. 49. 52. 59.

Lutheri epistola ad Carolum Sabaudiae Ducem est T. II. Epp. Lutheri

Cur non (adversarii) videant, quod non sine dolore verum esse fateri cogantur in illa ipsorum exultatione, regnum ipsorum de die in diem magis magisque atteri, diminui atque collabi, Christique evangelium subinde clarius praedicari, adde, et radices agere in ipsa etiam Italia et Gallia. Bullinger in: Ecclesias evangelicas neque haereticas, neque schismaticas, sed plane orthodoxas & catholicas esse Jesu Christi Ecclesias Apodixis, Tiguri. 1552. 8. p. 85.

Ad p. 7. Epp. Lutth. T. I. 284. est insignis locus, initia religionis Evangelicae in Italia spectans.

Digitized by Google

Busdragi, Gerardi, Epistola, qua ratione praeservari possit Italia, ne Lutheranismo inficiatur. s.l. 1558. 8. Catal. Bibl. Raym. Krafft. Libri Theol. in Octav. n. 230.

Litteras e Roma 1521. in Zinkgref Nachs. I, p. 178. ff.

„Es hat auch ein Anonymus aus Italien, der sich Servum Jesu Christi nennt, an Luthern, Melanchthonem, Zwingl, Erasmum u. andere Gelehrte u. Theologos geschrieben von den fabelhaften Intriguen wegen des Concilii. Vol. Mst. P. II. f. 153. ff. von der Wittenb. Handlungen 1545. in der Wolfenbüttler Bibliothek. Salig Hist. d. Augsb. Conf. I. Buch. (W)

Habeo memorabilem Orationum sacrarum Savonarola lingua Italica Venetiis, 1549. apud Octavianum Scotum, 8. collectionem, qua eundem editorem, qua illa a Riccio, vel, loco supra citato, p. 322. ff. habet. Est autem Florentinus Virooli.

Cf. Ilgen Symbolarum ad vitam et doctrinam Lelii Socini illustrandam I & II. p. II. ff.

Barthol. Fontius, Venetus, sub mensis Octobris finem 1533. Vmae fuit, Frechti consuetudine ibi usus, binde Augusta Vindelicorum profectus. Vmam ut venerat, Argentorato, a Bucero comendatus. Ex Epp. Mstis Frechti ad Bucerum & Blaurerum, e collectione Simleriana, qua in Bibliotheca Tigurina asservatur, a Sculthesio, ibid. Professore, benevole mecum communicatis. Caeterum Barthol. Fontius non est confundendus cum Constantino Fontio, s. Fontio, de quo cf. Salig Hist. d. Augsb. Conf. I. B. 10. ff.

Comercium epistolicum intercessit inter Nicol. Reusnerum & Jac. Maripetrum, Patricium Venetum; epistola illius missa ad illum, & illius ad hunc exstat in Nic. Reusneri Insomnia, Lauingae, 1581. 8. ibidemque plag. D. Carmen Reusneri ad Maripetrum, et plag. DD. alia epistola Maripetri. In Reusneri Theocritomimis, ibid. eod. est huius carmen ad Maripetrum, plag. Ff 6 b.

De libro Lutheri in Kürz sonn der Jesu Gebet, (1520) in linguam Italicam conversio v. Giov. Nausea. v. J. Fabricii Bibliothek, Lübeck, B. 168, in subiecta nota.

Digitized by Google

Digitized by Google

DANIELIS GERDES
SPECIMEN
ITALIÆ REFORMATÆ,

SIVE

OBSERVATA QUÆDAM AD

HISTORIAM RENATI IN ITALIA TEMPORE REFORMATIONIS EUANGELII,

UNA CUM SYLLABO

REFORMATORUM ITALORUM.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { JOHANNEM LE MAIR, ET CORN. VAN HOOGEVEEN, JUN. } 1765.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO,

GULIELMO QUINTO,

DEI GRATIA

PRINCIPI ARAUSIO ET NASSOVICO,

TOTIUS BELGII FOEDERATI

GUBERNATORI HÆREDITARIO,

RE-

Digitized by Google

RELIQUA,

PRINCIPI JUVENTUTIS

HOC OPUS DEDICAT

FELICIAQUE SUPREMI REGIMINIS BELGICI

AUSPICIA GRATULATUR,

AC

VOTO VICENNALIUM REPETITO

SE SUAQUE QUA PAR EST DEVOTIONE

COMMENDAT

DANIEL GERDES.

Digitized by Google

LECTURO

S. P.

EWALDUS HOLLEBEEK.

Tandem ergo accipis, benevole lector! *Italiæ reformatæ ſpecimen*, diu a beato *Gerdeſio* promiſſum, atque ab iis, qui hoc literarum genere delectantur, ac præclara viri doctiſſimi in Hiſtoriam Eccleſiaſticam merita haud ignorant, maximopere deſideratum; quod ipſi Auctori ſi in lucem edere licuiſſet, ſine dubio limatius paullo, ultimaque ſaltim parte doctis obſervationibus auctius fuiſſet proditurum. Verum ſummo rerum humanarum arbitro, in cujus voluntate ſubmiſſe adquieſcere nos oportet, aliter viſum. Optimus enim ſenex ex mortali hac vita, cunctisque ejus miſeriis

ſeriis ereptus eſt, antequam ultimam manum huic operi inponere, ac pro more illi quædam præfari potuit. Hinc & duram mihi demandatam eſſe ſentio provinciam fetum hunc, parente ſuo orbatum, ſuſcipiendi; ac, nulla licet, quæ a me proficiſcatur, commendatione egeat, curandi tamen, ne ſine honeſta quadam compellatione in hominum conſpectum prodeat. Inprimis, quum paullo poſt placidum viri ſumme venerandi obitum mœſtiſſima *Gerdeſii* vidua me, ad quem hæc cura proxime pertinere videbatur, rogaverit, immo pro ſuo in me jure poſtulaverit, ut hoc qualecunque humanitatis officium, defuncti ſui mariti manibus præſtandum, mihi inponi paterer, quod ut inplerem lubens, ipſa a me exegit pietas.

Nec tamen, ut plerisque eorum, qui alienos labores edere adgrediuntur, in more eſt poſitum, in ſcriptoris laudes, ut, ſi vellem, poſſem facillime, excurram; non enim is ego ſum, obſcurum huc usque in republica literaria nomen, a quo ὁ μαχαίτης, qui dudum apud omnes æquos & peritos rerum arbitros viri eruditi famam conſecutus, eamque egregie eſt tuitus, literato orbi notior reddi, ullumve mutuari queat, aut debeat encomium. Ne autem plane nihil dicam, id mihi hac occaſione negotii da-

Digitized by Google

datum esse credidi, ut brevem celeberrimi Groninganorum Theologi, quo per decem annos collega, amico & fautore eximio; per ultimum vero sexennium, & quod excurrit, amantissimo usus sum socero, Tibi sistam biographiam. Permittere enim, ut memoria illius, qui tot doctis ac præclaris hominibus vitam restituit, quique fugientia illorum opuscula, paulatim rariora facta, laudabili admodum instituto ab interitu vindicavit, perpetua deleatur oblivione; nefas fore arbitror; deinde de ipso hoc libro, ejusque constitutione ac usu pauca disseram.

Natale solum præbuit *Gerdesio* nostro Brema, insigni dudum clarissimorum virorum proventu nobilitata, hic enim primam lucis usuram hausit a. d. 19. Aprilis, anni MDCLXXXXVIII. honestis natus parentibus: patre *Humelio Gerdes*, mercatore felicissimo, & matre *Anna Maria Kœhnia*, ex gente nata patricia, qui secundum ac capax filii sui ingenium probe perspicientes, nulli curæ nullisque pepercerunt sumtibus, quominus fertili huic agro bonarum literarum semina, uberrimam tandem aliquando segetem facturа, mature admodum committerentur. Excusso quippe jam anno labentis sæculi XIII. pulvere scholastico, per integrum sexennium in gymnasio

patrio hæſit, atque omne illud tempus tanta cum diligentia exegit, ut non ſolum a. d. 24. *Febr.* anni MDCCXIV. publice ſub præſidio cel. *Jacobi Haſæi* defenſa diſputatione *ad Ariſtophanis Plutum* V. 34. haud contemnendum præcocis ſuæ eruditionis exhibuerit ſpecimen, ſed &, quum prius Jurisprudentiæ ſtudio operam navaſſet, mutato autem deinceps conſilio, totum ſeſe ſanctiori diſciplinæ dediſſet, in Philoſophia, Philologia, &, duce potiſſimum cognato ſuo, plurimum venerando *Gerardo Buſchio*, Theol. Doctore, & apud Bremenſes oraculorum divinorum interprete præſtantiſſimo, in ipſa quoque Theologia inſignes itidem progreſſus fecerit, celeberrimis *A. Schumachero* & *G. Jungſtio* uſus præceptoribus; quamobrem & hic duplex ſuorum profectuum exſtare voluit monumentum, minime proletarium: anno ſcilicet MDCCXVII. conſcripſit diſſertationem quandam *de Larium & Penatium origine*, quam clariſſimus *S. Maſſonus* dignam judicavit, quam tomo XV. Hiſtoriæ Criticæ reipublicæ literariæ, Gallice a ſe editæ, inſereret; & biennio præterlapſo diſputationem Theologico-Philologicam *de opera miniſterii Euangelici, adumbrata ſub emblemate collectionis, quæ fit tempore meſſis*, præſide cel. *Schumachero*, a. d. XIII. *Junii* anni MDCCXIX. publice defenſam.

Poſtea

Digitized by Google

Poſtea vero, ut, quos domi jam ſumma ſibi ſedulitate comparaverat, ſapientiæ & eruditionis theſauros, foris quoque ulteriore ingenii cultura, ac congeſtis undique divinarum inprimis diſciplinarum opibus magis magisque adaugeret, Ultrajectinas itidem Muſas ſibi adeundas eſſe ſapienter judicavit; eodem itaque anno Trajectum ad Rhenum conceſſit, ibique eximios in arte noſtra viros, *Burmannum*, *Alphenium* & *Lampium* non ſolummodo diligenter audivit, ſed & ſub præſidio cel. *Alphenii* ante ejusdem adhuc anni exitum diſputationem Theologicam ad Hiſtoriam Paulli Apoſtoli ſtrenue defendit; horum autem eruditiſſimorum hominum quum per tres annos ab ore pependiſſet, atque abunde iis omnibus excultus eſſet diſciplinis, quæ futurum myſteriorum divinorum diſpenſatorem non adeo decent, quam ornant atque conſummant, anno MDCCXXII. ſtudiis Academicis finem inpoſuit, atque a. d. XXIX. *Junii* Hagæ Comitum in S. S. Miniſterii Candidatorum diptycham inſertus eſt, quo titulo convenienter votis meritisque ſuis inſignitus, fauſtis avibus iter literarium per celebriores Germaniæ Academias, per omnem Helvetiam, per Galliæ partem, & ipſum noſtrum Belgium ingreſſus fuit, unde illud inprimis cepit commodi, ut non tantum variarum rerum, jucundiſſima-

Digitized by Google

rum juxta ac utiliſſimarum, conſpectu oculos animumque paſceret, in quo maxima illorum pars, qui peregrinas terras inviſunt, ſubſiſtere adſolet, ſed &, quod maxime etiam intendebat, ut ſummorum ubique virorum, inter quos eminent *Uffenbachii*, *Kirchmeyeri*, *Pfaffii*, *Weismanni*, *Hottingeri*, *Huldrici*, *Wolphii*, *Zimmermanni*, *Crozii*, *Turrettini*, *Pictteti*, *Oſtervaldi*, *Werenfelſii*, *Iſelii*, *Freyii*, *Buxtorfii*, *Lederlini*, *Schœpflini*, aliique, ſibi notitiam conciliaret ac familiaritatem; ut commercium literarium cum ipſis, ſaltim illorum nonnullis contraheret; atque majorem hinc eruditionis ac doctrinarum compararet copiam. Salvus autem & incolumis ab itinere redux, ad cathedram Theologicam in illuſtri Hanovienſi Athenæo, quam clariſſimus *A. W. Melchioris* ſuo ad Academiam Franequeranam deceſſu vacuam fecerat, occupandam commendabatur, aſt rem aliter moderante divina providentia, anno MDCCXXIV. ad munus Eccleſiaſticum inter Vadenſes obeundum deſignatus fuit, hanc autem ſpartam, quam auſpicatus eſt dicto ſermone ad *Jeſ.* LI. vſ. 16. quum per duos annos egregie exornaſſet, anno MDCCXXVI. ad divinas literas in Academia Duisburgenſi profitendas evocatur, ubi, poſtquam Trajecti ad Rhenum a. d. 2. *Maji* ſummis in Theologia ho-

Digitized by Google

honoribus erat decoratus, a. d. 12. *Julii*, novum hoc munus adiit, habita publice oratione *de docta in Theologia ignorantia*, cui post biennium adcessit quoque professio Historiæ Ecclesiasticæ, edita hac occasione *de usu Eucharistiæ medico* dissertatione. Quanta autem industria, quanta fide, ac nominis celebritate in hac palæstra fuerit versatus, omnesque docti ac pii Theologi partes inpleverit, cum varia, quæ subinde evulgavit, scripta; tum ingens discipulorum numerus, qui ipsius ex schola prodiere, & quorum multi Ecclesiæ Christianæ commodis partim jam inservierunt, partim inserviunt etiamnum, abunde declarant. Unde & factum est, ut *Gerdesianæ* eruditionis fama longe lateque ad alios deferretur, eaque excitati Perillustres & Amplissimi Academiæ Groninganæ Curatores ipsum sollicitaverint, ut celeberrimo *Vogeto*, anno MDCCXXXV. ad Scholam Ultrajectinam evocato, ubi adhuc in vegeta senectute sanctiores disciplinas multa cum laude docet, successorem sese dari pateretur, quorum votis quum lubenter adnuisset cel. defunctus, ibi a. d. 11 *Junii* MDCCXXVI. orationem aditialem habuit *de unctione*, *quæ fideles docet omnia*, quemadmodum ejusdem mensis die XV. Concionatoris Academici munus auspicatus est explicito e suggestu sacro *Zach.* IX. vs. 17., quo ipso anno

no novus ille ipſi obtigit honor, ut a Berolinenſibus inter Societatis regiæ ſcientiarum membra cooptaretur, quibus in grati pro collato beneficio animi πνμήιον *ſcrinium ſuum antiquarium* dedicavit.

In nova autem hac ſtatione collocatus, Bremenſium vocationem, qui ipſum lautis admodum conditionibus ſuo Athenæo addicere tentarunt, oblata ſcilicet non tantum profeſſione Theologica, ſed & alternante gymnaſii ephoria, modeſte recuſavit, ne patriæ quidem amore, cujus dulcedine plerique teneri ſolent, a Groninganis ſuis ſeſe avelli paſſus. Hic itaque jucundiſſimam rerum fortunarumque ſedem nactus *Gerdeſius* noſter, cunctas duplicis ſui muneris partes obire ſtrenue perrexit usque ad annum MDCCLII, quum ob ingraveſcentem pectoris anxietatem, quocum morbo ipſi inde a juventute conflictandum fuit, a ſacris concionibus habendis abſtinere debuerit, quam tamen ſpartam prolixa Procerum Ampliſſimorum voluntate cum profeſſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ commutauit, nihil quidquam deinceps intermittens, quominus utramque, quam profitebatur, diſciplinam ſuis diligentiſſime exponeret auditoribus, atque docte elaboratis lucubrationibus itidem illuſtraret; quibus omnibus partam dudum nominis celebritatem non tantum apud noſtros, ſed & exteros quo-

Digitized by Google

quoque conſervavit inlibatam, imo adauxit etiam, & quotidie reddidit majorem, cujus, ut multa alia mittam, publicum valdeque honorificum dedere teſtimonium Jenenſes, quum ipſum anno MDCCLIII. Latinæ ſuæ adſcriberent ſocietati.

Verum enim vero, uti nihil in humanis ſtabile eſt & diuturnum, ſic & mature ſatis beatus noſter *Gerdeſius*, acriter meditando, quotidie docendo, plurimos ingenii fetus edendo, rariſſima, multorumque oculis ſubducta, aliorum ſchediasmata colligendo, & evulgando, atque epiſtolas de lectiſſimis argumentis ad ſummos ubique homines, tam Lutheranæ, ac Pontificiæ, quam Reformatæ religioni addictos, exarando, vires corporis ſui, quod nactus erat debile, ac variis ſubinde, graviſſimisque morbis vexabatur, paulatim deteri ac labefactari ſenſit, ſumma tamen frugalitate & agnata quadam animi hilaritate, quam ſæpius inter continuos morborum inſultus ſummopere miratus ſum, id effecit, ut ætatem ſuam longius, quam infirma adeo corpuſculi conſtitutio, & concatenati labores portendere videbantur, protraxerit; LXVII. enim anno ferme exacto, atque laborum, honorumque, ex literis reportatorum, ſatur, placida morte deceſſit a. d. 11. *Februarii* labentis anni; pia & beatam ἀνάλυσιν ſerio anhelante anima in cœleſtis, ac per pre-

 tio-

Digitized by Google

tioſiſſimum Chriſti ſanguinem placati patris manus tradita, dum exhauſti corporis exuviæ ſolemni pompa a. d. IX. ejusdem menſis tumulo inlatæ ſunt.

Sic ergo vixit vir deſideratiſſimus, ac de omni re Theologica, ſpeciatim vero de Hiſtoria Eccleſiaſtica præclare meritus, cujus memoriam, quamdiu maſcula eruditio & haud fucata pietas in pretio erunt & æſtimatione, nulla facile obliterabit ætas; multa enim præſtantiſſima reliquit monumenta, ingenium varia doctrina probe excultum, effuſam admodum eruditionem, & animum ſummi Numinis reverentia & amore penitus inbutum probantia, quorum nunc ſyllabum contexere, ut ſtupendam beati viri diligentiam agnoſcas, & mecum admireris, operæ fuerit pretium; edidit autem:

Anno MDCCXVII. Diſſertationem quandam de vocibus, *Lar*, *Penates* &c. atque *de Larium & Penatium origine*, inſertam tomo XV. Hiſtoriæ Criticæ Reip. Lit. quam lingua Gallica tunc evulgabat cl. *Maſſonus*.

A. MDCCXIX. Diſſertationem Theologico-Philologicam *de opera Miniſterii Euangelici, ſub emblemate collectionis, quæ fit tempore meſſis, ad parabolam Chriſti, Joh.* IV. vſ. 35-38. Bremæ ſub præſidio cl. *Schumacheri* defenſam.

A.

Digitized by Google

A. MDCCXX. Schediasma Philologicum *de tempore meſſis Hebræorum*, cum reſponſione ad cel. *Meyeri*, Harderoviceni Profeſſoris, animadverſiones, Traj. ad Rhen. 4°.

A. MDCCXXVI. Orationem Inauguralem *de docta in Theologia ignorantia*, Duisb. ad Rhen. 4°.

A. MDCCXXVII. Diſſertationem Theologicam *de judicio particulari animarum a corpore ſeparatarum*, Duisb. ad Rhen. 4°.

A. eodem *Veſperas Vadenſes*, ſive Diatribas Theologico-Philologicas *de Hyperbolis ex Scriptura S. eliminandis*, Traj. ad Rhen. 4°.

A. eodem Diſſertationum Theologicarum bigam ad parabolam Chriſti *Matth.* XX. vſ. 1-26. *de operariis in Vinea*, Duisb. 4°.

A. MDCCXXVIII. Diſſertationem Hiſtorico-Theologicam *de uſu Euchariſtiæ medico*, Duisb. 4°.

A. eodem Diſſertationem Theologicam *de Myſterio Baptismi Chriſti* ad locum *Matt.* III. vſ. 13-17. Duisb. 4°.

A. MDCCXXIX. Obſervationum Miſcellanearum, *Hiſtoriam Patriarcharum* illuſtrantium, partem I. Duisb. 4°.

A. eodem librum Belgicum ſub titulo: *Uytgeleeſene Bybelſtoffen*, quo variæ comprehenduntur ad ſe-

Digitized by Google

lecta loca conciones, Amſt. 8°.

A. MDCCXXX. Diſſertationem Theologico-Philologicam *de feſto clangoris, & ejus myſterio*, Duisb. 4°.

A. eodem Diſputationem ſæcularem *in memoriam Jubilæi ſecundi Auguſtanæ Confeſſionis*, Duisb. 4°.

A. MDCCXXXI. libellum Belgicum ſub titulo: *Kort begrip der voornaamſte merkwaardigheeden, raakende het opſtel, en de overgaave der wydberoemde Augsburgſe Confeſſie* &c. Amſt. 8°.

A. eodem Obſervationum Miſcellanearum, *Hiſtoriam Patriarcharum* illuſtrantium, partem II. Duisb. 4°.

A. MDCCXXXII. Obſervationem Exegeticam *ad locum Paulli Philip.* II. vſ. 17.

A. eodem *Miſcellanea Duisburgenſia.* t. 1. ed. II. anno MDCCXXXVI. Amſt. & Duisb. 8°.

A. MDCCXXXIII. Obſervationem Exegeticam *ad locum* 1 *Petr.* IV. vſ. 6.

A. eodem *Origines Euangelicas inter Saltzburgenſes ante Lutherum.*

A. eodem Præfationem Belgicam ad locum illum Tertulliani *ſemen & ſanguis Chriſtianorum*, præfixam verſioni Belgicæ tractatus Schelhorniani *de Religionis Euangelicæ in Provincia Saltzburgenſi ortu, progreſſu & fatis*, Amſt. 8°.

A.

Digitized by Google

A. eodem Obſervationum Miſcellanearum, *Hiſtoriam Patriarcharum* illuſtrantium, partem III & IV. Duisb. 4°.

A. eodem Obſervationem Exegeticam *ad locum Pſ.* XXII. vſ. 17.

A. eodem breves illuſtrationes circa Vitam & Scripta *Theologorum Duisburgenſium.*

A. MDCCXXXIV. Obſervationum Miſcellanearum, *Hiſtoriam Patriarcharum* illuſtrantium, partem V. & VI.

A. eodem Obſervationum Miſcellanearum *ad Hiſtoriam Iſaäci* decada Duisb. 4°.

A. eodem תורת חסד *Doctrinam Gratiæ*, ſive compendium *Theologiæ Dogmaticæ* ex Scripturarum fontibus hauſtum &c. Amſt. 4°. cujus II. editio prodiit ibid. anno MDCCXLIV.

A. eodem Præfationem Belgicam *de negotio Spiritus S. circa memoriam regenitorum* ad locum *Joh.* XIV. vſ. 26. præfixam verſioni Belgici operis Huldriciani in *Matth.* V, VI & VII. cujus integer titulus eſt: *de hoogſte Wysheid op de hoogtens roepende, of de guldene zoo genoemde bergpredikatie van den grooten Leeraar Jeſus Chriſtus, begrepen in het* V, VI *en* VII. *Capittel des Euangeliums van Matthæus, in verſcheide predikatien verklaart en toegepaſt door*

Digitized by Google

Johan Jacob Ulrich, bedienaar des H. Euangeliums en Hoogleeraar te Zurich, uit het hoogduitsch vertaalt door Is. le Long, verrykt met eene voorrede over de genadewerkingen des H. Geestes omtrent de memorie van des Heeren gunstelingen, door Daniel Gerdes, Hoogleeraar der H. Godgeleerdheid en der Kerkelyke Geschiedenissen in de Akademie van Duisburg, III. deelen VI. stukken, 4°. 's Gravenhage 1735. quam præfationem deinceps variis adcessionibus auctam seorsim edidit, atque Collectioni Belgicæ: *Bundel van Godgeleerde, Oudheid, Geschied, en Letterkundige oeffeningen* &c. Amst. ante aliquos annos editæ t. 10. p. 127-154. & p. 229-258. inseruit.

A. eodem *Miscellanea Duisburgensia.* t. II. Amst. & Duisb. 8°.

A. MDCCXXXVI. Orationem Inauguralem *de unctione, quæ fideles docet omnia* Gron. 4°. Belgice quoque versam a R. Antonio Clantio, V. D. Ministro, dum vivebat, Noorthornensi.

A. eodem *Concionem Belgicam* ad *Zach.* IX. vs. 17.

A. eodem Dissertationem Theologicam *de Synagoga Libertinorum ad Act.* VI. *vs.* 9. Gron. 4°.

A. eodem *Miscellanea Groningana.* t. I. Amst. & Duisb. 8°.

A. MDCCXXXVII. Dissertationem Theologicam *de*

Digitized by Google

de myſterio circumciſionis Chriſti, Gron. 4°.

A. eodem, Frid. Adol. Lampe, Theologi conſummati *Diſſertationum Philologico-Theologicarum Syntagma* &c. Amſt. vol. II. 4°. cui & præfationem præmiſit.

A. MDCCXXXVIII. *Exercitationum Academicarum libros tres* &c. Amſt. 4°.

A. MDCCXXXIX, *Miſcellanea Groningana.* t. II. Gron. 8°.

A. eodem *Spicilegium librorum quorundam rariorum in Catalogo Vogtiano omiſſorum*, inſertum Miſc. Gron. t. II p. 643-706.

A. eodem Joh. Arn. Noltenii Diſſertationes duas; I. *de judicio Sanctorum in mundum & angelos ad* 1 *Cor.* VI. *vſ.* 2, 3. II. *de miraculis per ſe veritatem religionis Chriſtianæ demonſtrantibus*, quibus & præfationem præmiſit. Amſt. 8°.

A. MDCCXL. *Miſcellanea Groningana.* t. III. Gron. 8°.

A. eodem *continuationem ſpicilegii librorum rariorum*, Miſcel. Gron. t. III. p. 65-113. inſertam.

A. eodem *Elenchum Veritatum, circa quas defendendas verſatur Theologia Elenctica, in uſum ſcholæ privatæ adornatum.* Gron. 4°.

A. MDCCXLI. Frid. Ad. Lampe, Theologi conſummati

Digitized by Google

mati *Meditationum Exegeticarum opera anecdota, quibus ſiſtuntur commentarius in Pſalmos graduum, itemque fragmenta in Apocalypſin Johanneam, & in Eccleſiaſtem Salomonis adnotationes*, quibus & præfationem præmiſit. Gron. 4°.

A. eodem *Twee Godgeleerde Verhandelingen over de Vryheid des Geloofs, des Godsdienſtes en der Conſcientie, als meede over de Socinianery en de Socinianen.* Gron. 4°.

A. eodem *de Vryheid des Geloofs, des Godsdienſtes en der Conſcientie, verdedigt in eene ontbloting en wederlegging van de deductie der Frieſche Doopsgezinden* &c. Gron. 4°.

A. MDCCXLII. *Rariora quædam ſuperioris ætatis λειψανα, quibus continentur J. Gilloti ad J. Scaligerum Epiſtolæ, Caroli Lotharingici Card. oratio in Coll. Poſſiaceno A. 1561. habita, & Catharinæ Mediceæ Reg. Gall. ad Epiſcopum de Renes de eodem colloquio Epiſtola.* Gron. 8°.

A. eodem *Narrationem Hiſtoricam nuperi Crypto-Socinismi Friſici, Mennonitarum cumprimis cœtibus infeſti*, inſertam Miſcell. Gron. t. III. p. 609-642.

A. MDCCXLIII. *Miſcellanea Groningana.* t. IIII. Gron. 8°.

A. eodem *Orationem de Via, quam myſteria ratio-*

Digitized by Google

rationis parant ad recipiendum myſteria revelationis, pro felicibus Rectoratus Acad. auſpiciis Gron. a. d. 3. Sept. A. MDCCXLIII. dictam, & Doctrinæ Gratiæ ult. ed. ſubjectam.

A. MDCCXLIV. *Introductionem in Hiſtoriam Euangelii*, *ſæculo* XVI. *paſſim per Europam renovati*, *doctrinæque Reformatæ* &c. Gron. 4°.

A. eodem *Verhandelingen van de Liefde Gods en derzelver invloed op alle de hartstogten en gemoedsbeweegingen* &c. *door J. Watts*, quibus & præfationem, Belgice conſcriptam, *de operationibus Spiritus S. & de naturali & ſpirituali cognitione* præmiſit. Amſt. 8°.

A. eodem *Orationem de mediis ſe præſervandi ab apoſtaſia fidei Euangelicæ*, dictam ſolemniter ad 3. Sept. a. MDCCXLIV. itidem Doctrinæ Gratiæ ult. ed. ſubfixam.

A. MDCCXLV. *Handleiding tot het Gebed enz. door J. Watts*, cui præfationem *de exemplo*, *quod in ſuis precibus Chriſtus fidelibus ad imitandum reliquit*, Belgice exaratam præfixit. Amſt. 8°.

A. eodem *Dood en Hemel enz. door J. Watts*, quem tractatum itid. Belgica præfatione *de Euangelio mortuis prædicato ad* 1 *Petr.* IV. *vſ.* 6. exornavit. Gron. 8°.

A. MDCCXLVI. *Hiſtoriam Reformationis*, *ſive*

*** *An-*

Annales Euangelii, ſæculo XVI *paſſim per Europam renovati, doctrinæque Reformatæ &c.* t. II. Groningæ & Bremæ 4°.

A. eodem *De toekomende Wereld, of redenvoeringen over de vreugde en ſmerten der afgeſcheide Zielen naa den dood enz. door J. Watts*, quibus ſubjunxit *duas exercitationes Epiſtolicas, alteram a ſe, alteram a viro plur. Ven. Theodoro van Schelluyne, eximio & facundiſſimo inter Amſtelodamenſes V. D. Interprete, Belgice itidem exaratas.* Amſt. 8°. II vol.

A. MDCCXLVII. *Florilegium librorum rariorum* &c. quæ editio eſt auctior longe atque emendatior. Gron. & Brem. 8°. quam & tandem excepit Editio III. eaque ultima, ſuperioribus auctior longe atque emendatior. Gron. & Bremæ 1763. 8°.

A. MDCCXLVIII. *Scrinium antiquarium, ſive miſcellanea Groningana nova ad Hiſtoriam reformationis eccleſiaſticam præcipue ſpectantia* &c. tom. I. p. I. Gron. & Bremæ 4°.

A. MDCCXLIX. *Scrinium antiquarium* &c. t. I. p. II. ibid. 4°.

A. eodem *Hiſtoriam Reformationis, ſive annales Euangelii, ſæculo* XVI. *paſſim per Europam renovati, doctrinæque Reformatæ* &c. t. III. Gron. & Brem. 4°.

A. MDCCL. *Scrinium antiquarium* &c. tom. II. p. I. ibid. 4°.

A.

Digitized by Google

A. MDCCLI. *Scrinium antiquarium* &c. tom. II. p. II. ibid. 4°.

A. MDCCLII. *Historiam Reformationis, sive annales Euangelii, sæculo* XVI. *passim per Europam renovati, doctrinæque Reformatæ.* &c. t. IV. ibid. 4°.

A. eodem *Scrinium antiquarium* &c. tom. III. p. I. ibid. 4°.

A. MDCCLIII. *Orationem de duobus in Theologia elenctica scopulis evitandis, altero,* τῇ ἀληθολαζ ἀμελείᾳ. *altero, pia, quam dicunt, fraude.* dictam a. d. 3. Sept. MDCCLIII. quum fasces Academicos iterum poneret. Gron. 4°.

A. eodem *Scrinium antiquarium.* tom. III. p. II. Gron. & Bremæ 4°.

A. MDCCLIV. *Scrinium antiquarium* tom. IV. p. I. ibid. 4°.

A. MDCCLV. *Scrinium antiquarium.* tom. IV. p. II. ibid. 4°.

A. MDCCLVI. *Scrinium antiquarium.* tom. V. p. I. ibid. 4°.

A. MDCCLVIII. *Scrinium antiquarium.* tom. V. p. II. ibid. 4°.

A. MDCCLIX. *Meletemata Sacra, sive Isagogen & Exegesin in Caput* XV. *Epistolæ prioris ad Corinthios, antea per formam Disputationum Academica-*

Digitized by Google

rum edita, jam denuo recenſita, aucta & novis obſervationibus, novisque ſummariis inſtructa. ibid. 4°.

A. MDCCLX. *Scrinium antiquarium.* tom. VI. p. I. ibid. 4°.

A. eodem *Epiſtolam commendatitiam plur. Ven. Henrici Stochii, V. D. in Eccleſia Enchuſana Miniſtri fideliſſimi, erudito in cap.* XV. *prioris ad Corinthios Epiſtolæ commentario Belgico Ench.* 1761. *in lucem emiſſo, præfixam,* Belgice itid. conſcriptam.

A. MDCCLXI. *Scrinium antiquarium.* tom. VI. p. II. Gron. & Bremæ 4°.

A, MDCCLXII. *Scrinium antiquarium.* tom. VII. p. I. ibid. 4°.

A. MDCCLXIII. *Scrinium antiquarium.* tom. VII. p. II. ibid. 4°.

A. eodem *Scrinium antiquarium.* tom. VIII. p. I. ibid. 4°.

A. MDCCLXV. *Scrinium Antiquarium* tom. VIII. p. II. ibid. 4°. quæ poſt triſtiſſimum auctoris fatum demum prodiit.

Hiſce, ne nunc, quæ aut ἀνωνύμως ſcripſit ὁ μαχαίτης, quæque admodum pauca ſunt, aut, quæ in ipſius ſcriniis, nondum excuſſis, forte adfecta latitant, commemorem, tandem adcedit hoc *ſpecimen Italiæ Reformatæ,* quod Tuos itidem in uſus in dias luminis auras

Digitized by Google

auras nunc prodire jubemus, & de quo polliciti ſumus nonnulla adhuc breviter nos eſſe monituros. Quod tamen antequam fiat, non poſſum, quin privata magis & domeſtica *Gerdeſii* noſtri fata paucis tantummodo verbis Tibi exponam.

In Academia Teutoburgenſi dum multo cum adplauſu Sacras Literas & Hiſtoriam Eccleſiaſticam docebat, ſolitariæ pertæſus vitæ a. d. 20. vel 21. Junii anni MDCCXXIX. domum ſuam duxit lectiſſimam piiſſimamque virginem *Elizabetham Seullyn*, expertiſſimi Medici, *Samuelis Seullyn*, artem ſalutarem inter Amſtelodamenſes tunc temporis feliciſſime exercentis, & ejus urbis Collegio Medico adſcripti, filiam, quæ cum præmatura morte a. d. 18. Nov.. MDCCXXXII. nulla *Gerdeſio* relicta prole, amantiſſimo conjugi fuiſſet erepta, quadriennio fere exacto, atque ad Groninganos jam delatus, ad ſecunda vota tranſiit, a. d. 10. Julii anni MDCCXXXVI. vitæ lectique ſociam ſibi adſciſcens ornatiſſimam, ratisque non minus animi, quam corporis dotibus conſpicuam puellam, *Reinudinam Mellema*, natam viri ſpectatiſſimi, *Hermanni Mellema*, architecturæ militaris, munitionumque curandarum Directoris, & cohortis pedeſtris Præfecti, quæ dilectiſſimi mariti mortem acerbo quidem, ut meretur, ſed, qua eſt in Deum

Digitized by Google

pietate, moderato tamen luctu prosequitur. Ex felicissimo hoc conjugio duæ susceptæ sunt filiæ, quarum natu majorem *Annam Mariam* ipse ante septennium, & quod excurrit, fidissimam suavissimamque uxorem nactus sum; alteram autem, *Elizabetham* tribus abhinc annis faustissimi secum conjugii vinculo copulavit vir clarissimus *Samuel Henricus Manger*, viri summe venerandi, *Sibaldi Godfridi Manger*, Divinæ mentis inter Delfenses interpretis doctissimi ac piissimi, dignissimus filius, Th. Doctor, & in Alma Frisiorum, quæ Franequeræ floret, Theol. Professor & Ecclesiastes Academicus, gemina jam prole ex ea beatus, filiolo quippe & filiola, quorum primus, quemadmodum avi materni nomen, quum sacro fonte abluueretur, indeptus est, sic &, si quid nostra valeant vota, gemini stemmatis, cujus ex sanguine crevit, decus & gloriam non tantum tuebitur & conservabit, sed & majorum suorum eruditionem & pietatem felicissime etiam imitabitur!

Verum ne pluribus Tua morer tempora, amice Lector! Teque diutius in elegantissimi hujus operis vestibulo detineam, pauca adhuc quædam, ut dictis fidem faciam, de illius constitutione atque usu monebo.

Italiæ reformatæ specimen quum libri titulus solummodo promittat, nolo, quisquis es, ultimum hunc in-

Digitized by Google

ingenii *Gerdesiani* fetum pro V quasi tomo eximii operis, quod *Historiam Reformationis* inscripsit auctor noster, Tibi obferri putes, vel plenam hic, omnibusque absolutam numeris, propagatæ per universam Italiam emendatæ religionis inventurum Te enarrationem arbitreris. Eam quippe quamvis vir literatissimus sibi adquisivisset rerum, hoc tempore in Ecclesia gestarum, peritiam, atque tantam insuper indefesso studio ac magnis sumtibus eruditæ supellectilis, rarissimorumque monumentorum conparasset copiam, ut longe ampliorem iisdem de rebus conscribere potuisset commentarium, eo tamen consilio se hunc laborem minime adgressum fuisse, aperte satis ipse in hoc libro professus est: *sunt enim hæc* inquit p. 155. *in tanta subsidiorum penuria, altioris indaginis & longioris anhelitus, quam ut a me in hac ætate provecta, & quidem per horas tantummodo successivas, prolixius explicari potuerint; inprimis, cum me casu magis, quam præmeditato consilio, in harum rerum recensionem veluti prolapsum esse, non diffitear, ipseque, quod probe sciunt amici mei, ante hos paucos annos, non nisi tentamen quoddam susceperim, ac specimen solum fuerim meditatus, non vero, quod opus aut tractatum integrum, tametsi varia abinde mihi se obtulerint monumenta ad hanc causam facientia.*

Est

Eſt autem totum opus bipartitum; prima pars ſtrictim enarrat, quibus mediis purgatæ religionis lux denſiſſimas in ipſa quoque Italia tenebras diſſipaverit, quorſum merito (miſſis Waldenſibus, aliisque priſci temporis veritatis teſtibus) referuntur egregia plurimorum Reformatorum ſcripta, ſub fictitiis auctorum nominibus in Italicum ſermonem transfuſa; Sacrarum literarum in eandem linguam verſiones, additis paſſim eximiis illarum elogiis, graviſſima eas ſedulo legendi inſtructis commendatione; bellica Caroli V in urbem Romam annis MDXXVI. & MDXXVII. expeditio; ſingulare prorſus quorundam Principum Italicorum, Euangelicæ veritati inpenſe faventium, ſtudium, ubi *Renatæ*, *Herculi Eſtenſi*, Ferrarienſium Principi, nuptæ, ejusque filiæ *Annæ;* & *Margarethæ*, *Henrici* II. Galliarum regis ſororis, præcipue emicuit induſtria; frequens denique literarum commercium, cum *Helvetiis* ac *Saxonibus* purgatæ religioni addictis, inſtitutum. Quibus omnibus adſpirante ſummo Numine, id effectum fuit, ut multi præclari homines in ipſis illis locis, ubi inveterata ſuperſtitio ſecuram ſatis ſibi ſedem tenere videbatur, poſtquam exorta veritatis luce colluſtrati eſſent, receptos errores non tantum repudiaverint, atque ejurata Romani Pontificis tyrannide, intolerabile humanæ

Digitized by Google

manæ auctoritatis jugum generoſe excuſſerint, ſed & puriora ſacra amplecti, profiteri, immo ore & calamo propagare, ſuoque ſanguine obſignare fuerint auſi, ut tum luculentis apud *Venetianos*, *Mediolanenſes*, *Mutinenſes*, *Neapolitanos*, *Luccenſes* & *Mantuanos* exemplis, tum ipſis Pontificum brevibus, tum denique variis ipſorum Italorum epiſtolis affatim comprobatur.

Altera autem pars Syllabum Italorum reformatorum, emendatis ſaltim ſacris aliquo modo faventium, complectitur, ordine alphabetico contextum, de quo cur ſpeciatim quid adderem, non video.

Sin vero uſum, qui ex docta hac *Gerdeſii* lucubratione haberi poteſt, reſpicias, eſt ille omnino varius & multiplex. Quam vellem hic, ſi inſtituti ratio permitteret, in jucundiſſimum locum de ſumma Hiſtoriæ, ſpeciatim Eccleſiaſticæ, nimis cheu! a Juventute Academica, noſtro præſertim tempore, neglectæ, utilitate, immo & neceſſitate exſpatiari! ſed ne extra oleas vagari, ac brevis præfationis limites migrare velle videar, tribus tantum verbis monuiſſe ſuffecerit, præſens hoc opuſculum præter id, quod cum aliis ejusdem generis laboribus commune habet, duplici ſeſe inprimis nomine commendare: primum eſt, quod in catalogo Italorum reformato-

****

rum,

Digitized by Google

rum, qui præclare admodum de literis ac de puriore religione ſunt meriti, etiam ejusmodi viros doctos offendas, qui ob ſententias, vel parum orthodoxas, vel ita ſaltim viſas, famæ valde dubiæ, immo nonnullis vehementer inviſi fuere, uti de *Jacobo Acontio*, *Sebaſtiano Caſtellione*, *Cœlio Secundo Curione*, *Scipione Gentili*, *Bernardino Ochino*, *Johanne Valdeſio*, *Petro Paulo Vergerio*, aliisque inter eruditos conſtat, quorum privas licet ego opiniones minime probem, aut defendere in me ſuſcipiam, ſi tamen ea, quæ poſt *J. G. Schelhornium*, eximium illum Memmingenſium polyhiſtorem, ipſe auctor noſter, ſaniori doctrinæ addictiſſimus, de iis in medium protulit, adcuratius perpendere volueris, aut vehementer fallar, aut moderate magis, magisque prudenter de magnis hiſce hominibus judicare diſces; neque facile ejusmodi cenſorum ſubſcribes ſententiæ, qui inſignia ipſorum merita ob leviorem gravioremque in religione errorem penitus obſcurare non vereantur. Alterum eſt, quod eximium illum divinas veritates in medio Papismo profitendi, propagandi, atque defendendi ardorem in hiſce Reformatoribus conſpicuum, ſi conſideres, ſi admireris, non poſſis non una mecum graviter indoleſcere, quod ſalutaris Euangelii doctrina, quam unicuique noſtra in Patria liberrime amplecti & adſerere licet, hoc in-

pri-

Digitized by Google

primis ſæculo, Deiſtis, Naturaliſtis, Indifferentiſtis ac Libertinis adeo feraci, tam proterve contemnatur, rideatur, immo palam obpugnetur. Cui longe lateque gliſcenti, ac majores quotidie vires adquirenti inpietati fortiter reſiſtere eorum eſt, qui pro ſanctiſſima noſtra religione excubias agunt, atque cœleſte hoc pignus, ab ipſo nobis Numine concreditum, inlibatum cuſtodiri, nullaque inminutum parte ſeris itidem tradi nepotibus enixe cupiunt. Huc ſaltim ſi præſens plurimum venerandi ſoceri noſtri opuſculum aliquid contulerit, manes *Gerdeſiani*, dummodo ullus rerum humanarum ſenſus illis ſupereſſet, inpenſe lætarentur, quum eo omnes ſemper præclari viri, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, conatus unice collineaverint.

Quod ſupereſt, benevole Lector! vitiis typographicis, quæ in hoc volumine plurima reperiri doleo, benigne velim, ignoſcas; eaque ſummæ beati auctoris debilitati, atque dolorum, ſæpius recurrentium, vehementiæ unice adtribuas! dum, quod non multo adhuc plura in illud inrepſerint, curæ debes ac ſollicitudini virorum clariſſimorum, *Pauli Chevallier* & *Dionyſii van de Wynperſſe*, hujus Philoſophiæ, illius Theologiæ in Alma Groningana Profeſſoris celeberrimi, qui emendandis typothetarum erroribus

lubenter vacare haud dedignati ſunt, quibusque pro hoc erga defunctum collegam benevolentiæ documento juſtas mecum rependere non recuſabis gratias. Dabam Lugduni in Batavis ipſis Idibus Julii MDCCLXV.

Digitized by Google

SPECIMEN ITALIÆ REFORMATÆ.

* * *
* *
*

§. I.

Quod ne ITALIA quidem, ipſaque ROMA, urbium Metropolis, ac Pontificis Romani ſedes primaria, a *Reformatæ doctrinæ*, quæ inſtar novi cujusdam ſideris Seculo XVI. feliciter ubivis enitescebat, radiis ſuerit excluſa, ex multifariis reſcire licet Documentis, quæ in unum hactenus a quoquam collecta atque in ordinem redacta fuiſſe, non recordamur. Ut inter libros promiſſos quidem, ſed latentes ac deſideratos, etiam nunc recenſeatur, ITALIA REFORMATA *a*), ſive jam,

A eo

a) Promiſit eam FERRARIUS quidam Italus, qui ante aliquot annos Reformatam Religionem amplexus fuerat, vid. *Biblioth. Ger-*

Digitized by Google

eo titulo, *Hiſtoriam* REFORMATIONIS, *doctrinæque Reformatæ*, multis modis in variis ITALIÆ civitatibus exortæ promotæque, velimus intelligere, ſive, *Indicem* & *Catalogum* ITALORUM, qui unquam REFORMATAM *doctrinam* amplexi, ac profeſſi, ad noſtra ſacra tranſierunt, ac nominis quandam celebritatem fuerunt adepti.

Vovendum autem eſſet, accuratiores Virorum præſtantiſſimorum, qui inter Italos tum floruerunt, ac Reformationi fuerunt addicti, ex *Mediolanenſibus*, *Bononienſibus*, *Ferrarienſibus*, *Venetis*, *Patavinis*, *Senenſibus*, *Luccenſibus*, *Mutinenſibus*, *Neapolitanis* aliisque, conſervatas fuiſſe Memorias *a*); quippe quæ nos ad telam hanc ſuſci-

Germanique Tom. X. p. 231. ſed & Cl. SCHELHORNIUS in *Amœnit. Hiſt. Eccl.* Tom. II. p. 651. ſe aliquando de *Euangelicæ Religionis in Italia & Hiſpania fatis*, copioſius acturum eſſe, fidem dedit, nondum quantum nobis conſtat perſolutam.

Breves interea lineas *Renati ſub Renata in Italia Euangelii*, nobis dedit *Georg. Ludov.* NOLTENIUS *Jo. Arn.* Theologi Berolinenſis Aulici, filius (ſed qui & ipſe præmaturo jam fato functus eſt) in Diſſertatione Juvenili, *de Olympia Fulvia Morata*, quæ Francof. ad Viadrum prodiit. A. 1731. 4.

a) Quanquam, cur id fieri ne ab ipſis quidem noſtris potuerit, adverſariorum nimia etiam in diſperſos præclarorum Virorum cineres facit hoſtilitas, quæ eo usque ſe extendit, ut in terribili Inquiſitionis tribunali hæreſeos damnati, uno eodemque numero habeantur cum iis, qui nunquam nati fuerunt, utque ſimul cum corpore deleatur funditus ac eradatur memoria nominis eorum.

Quid? quod ne nunc quidem recentiorum, (mirum dictu) inter Pontificios Scriptorum, alia ſit ratio, quam ut a nominibus illis ſollicite commemorandis abſtineant, ut, ſi quæ reſidua ſint antiquorum ad perpetuandam eorum memoriam monumenta, reticeant, aboleant, ac perpetuæ oblivioni mancipent;

Digitized by Google

ſcipiendam, & pertexendam manuducere potuiſſent; Cum nunc e contrario, hinc inde ſolummodo quædam congerere nobis liceat, liciorum veluti fragmenta, ex quibus, quod luce Euangelica non plane caruerit ITALIA; quodque *Reformationis* ſplendor aliquando, ringentibus licet adverſariis, in ipſis Romæ portis refulſerit, haud vanam conjecturam facere licet, tametſi, plenum Opus ut inde conficiamus, minime ſufficiant. In hiſce vero perquirendis ac brevi oratione adumbrandis cum verſamur, ſimul *Virorum Doctorum* ITALORUM, id eſt, Italiam patriam agnoſcentium, atque, ſi vel maxime non in Italia, ſed in peregrinis regionibus, *Euangelicam doctrinam*, & *Religionem* REFORMATAM ſuſcipientium, ac profitentium, eamque promoventium, recolemus Memoriam, atque ab oblivione quantumpote vindicabimus.

§. II. Non jam moramur WALDENSIUM in Alpibus Cottiis, & DIOECESI ITALICA, proprie ita dicta, vel originem, vel reliquias, vel doctrinam, vel inſtituta, quanquam loca convallibus vicina tantò quoque proniora fuiſſe colligi queat, in recipiendis, quæ ex Germania & Helvetia ad ipſos deferebantur, Euangelicorum placitis a Romanæ Eccleſiæ placitis diſſonantibus, quantò magis ea cum antiqua *Convallenſium* ſuorum doctrina, quam *Gundulphus a)*, præclarus inter *Italos* Veritatis teſtis, & ejus aſſeclæ, dudum quoque & jam à Seculo XI. in partibus *Pedemontanis*

cipent; Cujus rei, in ſupprimendis nominibus PALINGENII, PALEARII, CARNESECÆ, & aliorum multorum, exempla exſtant, ſæpe deinceps animadvertenda.

a) Illam omnem cauſam latè tractavit *Petrus* ALLIXIUS, Theologus Gallo-Brittannus, edito ſuperiori ſeculo Tractatu præclaro, ſub tit. *Remarks upon the ancient churches of Piedmont*, ubi & Cap. XI. pag. 93 &ſq. ſpeciatim de GUNDULPHO & ejus diſcipulis agit; Conf. *Hiſtor. noſtr. Ref. Belgic.* p. 1. ſq.

Digitized by Google

inſtillaverant, conſpirabant. Cum enim conſtet, quod præter *Lombardiam* etiam *Apulia* & *Calabria* Waldenſibus abundaverit, quodque per totum fere *Regnum Neapolitanum* in *Siciliam* usque protenſi fuerint, inde meritò concludimus, quod ſemina doctrinæ Reformatorum per omnem Italiam fuerint diſperſa, quæ ſuo tempore ſemet exſerebant.

Certè extat Scriptum inquiſitorum quod ex Codice Mſſ. Biblioth. Cantabrigienſis protulit ALLIXIUS, quo affirmatur, quod ii *qui Lugduno ejecti erant P. Waldi aſſeclæ, in Pedemontium inde in Italiam quin ultra Romam in Apuliam ſe extenderint, ſuosque* Barbas i. e. *Miniſtros habuerint, quorum caput in Regno a) Neapolitano reſidebat.*

Quid? quod deinceps, Papa Pius V. quoque *Chriſtophoro Rodericio* Hiſpano, Jeſuita, fuerit uſus, quò *Waldenſium* reliquias in regno *Neapolitano* reſiduas, vel ad Eccleſiæ Romanæ communionem redigeret, vel omnino exterminaret, quod tum & factum eſt, ſi fides LADERCHIO in *Annalib. Eccleſiaſt.* Tom. XXII. pag. 93.

§. III. Neque etiam, in fata ac doctrinam *Hieronymi* SAVONAROLÆ Ferrarienſis, ſeculo xv. florentis, ac A. 1498. juſſu Alexandri VI. quod ab Eccleſia Romana deſciviſſet, apud Florentinos exuſti, inquirimus, tametſi non deſint, qui eum pro *Italiæ Luthero* venditent, ac eo nomine condecorent; Neque enim is, licet Papam Romanum & abuſum poteſtatis ejus impugnaverit, ac etiam Emendationem Eccleſiæ alacriter urſerit, ipſum Papatum, aut ejus errores aggreſſus eſt, quinimò variis ſuperſtitionibus eorum temporum innutritus & addictus, etiam proprios ſæpe inſtinctus ac privatas revelationes, magis præ ſe tulit, quam Scripturam ſacram, uti ex ejus Scriptis alioquin omni laude dignissimis ac minimè fucatam pietatem ſpirantibus, colluceſcit. Te-

a) Conf. BASNAG. in *Hiſtoire de l'Egl. Reformée* T. II. c. V. et ALLIX. in lib cit. pag. 297.

Digitized by Google

Teſtimonia verò Virorum ſummorum ex Italis, *Franciſci* PETRARCHÆ, *Fr.* PICI, MIRANDULANI Comitis, *Petri Sauli* FAUSTINI *a*) & aliorum, barbaros ſeculi mores, & exundantis & in omne neſas prorumpentis, Aulæ ac ſedis Romanæ, nequitiam ac inpietatem depingentium, & Reformationem expoſtulantium, hic ſilentio præterimus.

§. IV. Primam verò cognoſcendæ ac recipiendæ Doctrinæ Sacrorum Emendatorum, atque, ut Evangelii reſtituti fulgor ſolverit veternum illum, quo per tot ſecula miſere occupabantur etiam Itali, anſam dederunt *Martini* LUTHERI & ejus ſociorum Libri, magno ſatis numero, ac maturè admodum, in Italiam transmiſſi. Qua de re notabilis extat *Johannis* FROBENII, Bibliopolæ Baſileenſis *b*) Epiſtola ad Lutherum, jam d. 14 Febr. A. 1519. data, ubi de Lutheri quibusdam libellis tum editis, ac recuſis, ubique propagatis, & ad exteros miſſis, inter alia quoque: *Calvus* inquit, *bibliopola Papienſis, Vir eruditiſſimus, & Muſis ſacer, bonam libellorum partem in Italiam deportavit, per omnes civitates ſparſurus. Neque enim tam ſectatur lucrum, quam cupit renaſcenti pietati ſuppetias ferre, & quatenus poteſt, prodeſſe. Is promiſit ab omnibus eruditis in Italia viris Epigrammata ſe miſſurum in tui laudem ſcripta, usque adeo tibi favet, Chriſtique negotio, quod tanta conſtantia, tam viriliter tamque dextre geris.*

Atque hic opportune ſe nobis objicit illud Epigramma, quod A. 1521. *Mediolanenſis quidam* in Lutheri laudem

a) *Fauſtini* hujus memoriam renovavit Cl. SCHELHORN, in Commerc. Epiſtol. Uffenbach. Tom. III. p. 59. ſq. conf. *Florileg.* noſtr. *lib. rar.* p. 124.

b) Vid. LUTHERI Opp. Jenenſ. Lat. Tom. I. fol. 388 & 389. itemque *Miſcell. Groning.* Tom. III. p. 60 ſq. uti Cl. HEUMANNUS hanc Epiſtolam notis illuſtravit ac inſeruit Diſſertationi qua fabulam convellit de extrema *Juliani* voce, *Viciſti Galilæe*, &c. pag. 23.

Digitized by Google

conſcripſit, quodque nobis conſervavit doctiſſ. SCHELHORNIUS. *a*)

Non, te ſi Coi calamus pinxiſſet Apellis
Quo Venus ex udo proſilit orta mari,
Non, ſi Praxiteles vivos de marmore vultus
Scalpſiſſet Pario, magne Luthere, tuos.
Divinas animi dotes, mentemque ſerenis
Imbutam placitis, pingere quî poterint?
Sola quidem veræ ſi majeſtatis honores
Mens habet, artificum quid levis umbra poteſt?
Ingenuos quænam ars poterit comprendere mores,
Et quidnam vocis libera plectra piæ.
Vocis, quæ totum penitus diffuſa per orbem
Terruit inſolito pectora tetra ſono.
Pectora, morboſo nimium maleſana veterno,
Cui qui miſceret pharmaca, nullus erat.
Macte igitur virtute, pater celebrande Luthere:
Communis cujus pendet ab ore ſalus.
Gratia, cui ablatis debetur maxima monſtris,
Alcidæ potuit quæ metuiſſe manus.

Ex hiſce ſaltem, & ſi quæ ſunt alia, ſpeciminibus jam non anxiè inquirendis, &, quod Lutheri ſcripta, copioſè fuerint lecta apud Italos, &, quod fautores habuerint ac approbatores haud paucos, qui in ejus ſententiam concederent, affatim colligitur.

§. V. Certè, vixit eo tempore VENETIIS, illuſtris Monachus, *Bernhardus* SCHENKIUS *b*) ex familia Schenkiorum, Tautenburgi Dynaſtarum; Is *Georgio Spalatino*, qui Friderico

a) Vid. SCHELHORN. *Amoenit. Hiſt. Eccl. Literar. Tom. II. p.* 624.
b) Vid. SECKENDORF *Hiſt. Lutheran. L. I. p.* 115. 116. ex Archivo, & in *Hiſtor. noſt. Reform.* Tom. II. p. 19. 20.

Digitized by Google

rico Electori Saxoniæ à secretis erat & a confessionibus, familiariter notus, commercium cum eo habebat literarium, atque inter alia jam A. 1520. ita ad eum d. 19. Septembris *Legi*, scribebat, *quæ de domino Martino Luther petiisti, & certe bona fama viri diu apud nos fuit; dicunt autem:* caveat sibi a Pontifice. *Ante duos menses decem libri de suis apportati, & statim venditi fuerunt, antequam novissem. In principio verò hujus mensis supervenit mandatum Papæ a), & Domini Patriarchæ Veneti, inhibens libros, quos Dominus Patriarcha apud librarios investigando unicum imperfectum invenit, & abstulit. Ego habere desideravi, sed præ timore librarius non vult adducere. Fratres autem nonnulli de provincia Saxoniæ, qui eos legerunt & cognoscunt personam domini Martini, multa bona mihi retulerunt de eo, de scientia, de vita, & doctrina ejus.*

Sed, ille SCHENCKIUS, anno sequenti 1521. d. 5 Aprilis iterum ad Spalatinum, *b*) „ &, quod publicatio bul- „ læ Papalis apud Venetos in annum sequentem, (qua de „ caussa incertum,) fuerit dilata, &, quod Magistratus Ve- „ netus, tum quoque tergiversatus fuerit in ea publican- „ da, satis diserte commemorat. „ *Unum dolens dico, quoniam Patriarcha Venetiarum secunda feria Paschæ, jussu Papæ, ab omnibus prædicatoribus, fecit excommunicari Magistrum* Martinum Lauther., *& omnes habentes libros suos, quoscunque & fautores ipsius cujuscumque gradus & status, cum magna totius Germaniæ divisione, tanquam consentientis. In hoc tamen Domini Veneti prudenter egerunt, quod noluerunt hoc publicari, nisi postquam populus fuerat confessus, dimisso nempe cœtu, aut maxima ejus parte.* Fuit

a) Intendit *Bullam* LEONIS X. adversus Lutherum, quam in *Histor. nostr. Reform.* Tom. I. n. XIV. a p. 131—145. inseruimus.

b) Vid. SECKENDORF. *lib. cit. p.* 116.

Digitized by Google

Fuit idem ille SCHENKIUS, qui eodem hoc anno 1521. d. 19 Octobris iterum ad Spalatinum ſcribere, ac illi varias pro Friderico Electore, (tum ejusmodi theſauris etiamnunc inhiante) reliquias Papiſticas, opera *Jacobi* & *Petri Pauli Vergerii* fratrum, coëmtas, procurare non verebatur; qua occaſione, quod cumprimis *Petrus Paulus Vergerius*, *a*) (cujus in Hiſtoria Reformationis notum ſatis eſt nomen, atque in ſequentibus haud ſemel recurret) Spalatino, & per eum Electori fuerit commendatus, docemur, ceu *præſtantiſſimus Juvenis, quique inter juris ſtudioſos Patavinos excelleret, ſuaque ſtudia apud Witebergenſes ſub auſpiciis & protectione Friderici Electoris perficere cupiebat;* quæ Vitæ Vergerianæ pericopa eſt notabilis, quandoquidem idem ille VERGERIUS, aliquot annis poſt, a Clemente VII & Paulo III ceu legatus Pontificius, in cauſa Lutherana, ad Germanos Principes fuerit miſſus, ac primò inter Pontificios, deinde mirabili modo converſus, etiam inter Proteſtantes, magnum ſibi nomen acquiſiverit, ac ſingulari ratione, uti poſtmodum videbimus, inter *Italos Reformatos* eminuerit.

§. VI. Quid? quod CAMPEGII Cardinalis, Clementis VII apud Germanos legati, *Oratio ad Ordines Imperii in Comitiis Noribergenſibus* congregatos, A. 1524 habita, ſatis argueret *Reformatæ* doctrinæ in *Italia* & inter *Italos* progreſſum, Pontificiæ ſedi & religioni extimeſcendum; Sic enim ille diſertis verbis quod intus in animo latebat, aperit *b*) ac profitetur: „ Dolere ſe, non tam de Germania, „ quod Lutheri doctrinam amplecteretur, quam de Italia; „ jam enim Venetiis libros Lutheri copioſe legi: Germanos „ eo eſſe ingenio, ut nova cupide accipiant, ſed & facile deponant; Italos pertinaciter inhærere ſemel acceptis. „ Quæ CAMPEGII verba, uti nihil ſimulatum nihilque

a) ibid *l. c. fol.* 223.
b) Vid. SECKEND. *l. c. L. I. Sect.* 58. *p.* 289. & MAJ. *Hiſt. Ref.* ex ſcriptis Luth. p. 153.

Digitized by Google

que fictum obtendunt, ita pæne coincidunt cum illis *Gerh.* BUSDRAGI, *a*) (quicunque is demum fuerit) in Epistola de *præservanda Italia a Lutheranismo*, verbis: „ Atque „ id dolendum est, quod quemadmodum corporum pestis „ propter caliditatem cœli Italici, multo vehementior est „ & venenatior, quam ea quæ in Germania solet sævire, ita „ quoque Lutheranismus, quem dixi pestem Papatus, si in„ vaserit ingenia Italica, utpote calidiora & vivaciora, mul„ to plus impetus & furoris habiturus est.

Cetcrum, non desunt, qui Lutheranismi augmenta Pontificatui CLEMENTIS VII *b*) aperte inputent, idque vel ideo, quod Concilii Generalis celebrationem, quam ardenter sciebat a Christianis nationibus exposci, tantopere devitabat, quantopere illæ eam exposcebant.

§. VII. Quod vero, non apud *Venetos* solum, sed & apud FLORENTINOS, jam tum fuerint, qui Lutheri seque-

a) Vid. *Scrin. nostr. antiquar.* Tom. I. P. II. p. 325. Est autem credibile (ut ὡς ἐν παροδῳ moneamus) sub nomine *Busdragi* delitescere *P. P. Vergerium*, cujus quamplurima alia extant in Paparum Scripta cedro digna.

b) Vid. RICHER. in *Histor. Concil. General.* Lib. IV. part. II. p. m. 70. Saltem memorabilia *Clementis* VII. verba de incremento Evangelii in Italia A. 1530. perscripta, ex RAYNALDO leguntur apud CYPRIAN. Hist. Aug. Conf. c. IX. pag. 110. „ Cum ex relatione nobis facta cum gravi mentis nostræ mo„ lestia innotuit, quod *in diversis Italiæ partibus* adeo pe„ stifera *hæresis Lutheri*, non tantùm apud seculares perso„ nas, sed etiam ecclesiasticas & regulares tam mendican„ tes quam non mendicantes *invaluerit*, ut aliquando non„ nulli ex suis sermonibus & verbis, & (quod deterius est) „ publicis prædicationibus tali labe plerosque inficiant, & „ Christi fideles sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ viventes, & præcepta ejusdem Ecclesiæ servantes non le„ viter scandalizent, in hæresium augmentum, pusillorum „ scandalum, atque catholicæ fidei non mediocre detri„ mentum &c.

Digitized by Google

quebantur doctrinam, avideque recipiebant, colligitur, cum ex aliis argumentis, tum ex memorabili teſtimonio *Santis* PAGNINI, Theologi Luccenſis, in Epiſtola ad Clementem VII. die 1. Januarii 1525. data, qua teſtatur, *a*) *quam cives* FLORENTINI *multi jam tum* LUTHERIANA *hæreſi fuerint infecti, quibus tamen is fuerit concionatus, non citra animarum multarum lucrum.*

Etenim, unicum illud, priusquam in ulteriora nos immittamus, monendum eſt: Eos ſcil. omnes, qui ſedis Romanæ placita relinquebant, vel ab iis alieniores erant, juxta receptam conſuetudinem appellari LUTHERANOS *b*) (quippe quo nomine tum magis probroſum & turpe, quin imo etiam, pernicioſum ac capitale, excogitari non poterat) tametſi, nec, qua in re, inter Lutheranos γνησιως ita dictos & Reformatos, diſſenſus eſſet ſitus, intelligerent, nec, ad ſe illam inter Evangelico-Lutheranos & Reformatos pertinere controverſiam judicarent, imò etiam, magis (quod cumprimis de *Italis* verum eſt) ad *Helvetiorum* quam ad *Saxonicorum* doctrinam ſæpe numero inclinarent; Ut eo nomine ad hodiernam quandam litem, inter Lutheri aſſeclas & noſtros, definiendam, abuti (quod tamen à recentioribus quibusdam inficetè ſatis factum eſt) nullo modo debeamus.

§. VIII. Verùm etiàm, *Phil.* MELANCHTHONIS libros, *c*) ab ejus, imò potius, à Veritatis Evangelicæ amicis & aſſertoribus, clandeſtinis, diligenter *in Italiam* delatos, avideque receptos fuiſſe ac lectos, nequidem diffitetur BAILLETUS, idque notabili exemplo *Hypotypoſεων Theologi-*

a) Vid. Præfat. PAGNINI ad *Editionem Biblior. Latin.* 1528 fol. lit. *d.* III. lin. 12.

b) Conf. SALIG. *in Hiſt. Conf Aug.* Tom. II. p. 28. 29. 30. it. CAMERAR. *in vita Melanchth.* p. 283.

c) Vid. BAILLET *Jugemens des Savans* Tom. V. p. II. *des Auteurs deguiſez* p. m. 462.

Digitized by Google

gicarum PHILIPPI MELANCHTHONIS comprobatur, quippe quæ, ne verus Auctor, jam Pontificiis, quod cum Luthero colludere diceretur, inviſus, detegeretur, ſub larvato nomine *Ippofilo da Terra negra*, Venetiis impreſſæ, ac apud ipſos Romanos magna cum ſtudio coëmtæ ac lectæ fuerunt, *a*) referente Joſepho Scaligero (vel potius Jul. Cæſ. SCALIGERO, *b*) Joſephi Patre) qui ex ore *Seraphini* Cardinalis, id, eodem fere quo in congregatione ſacra, ſive collegio cardinalium, ea de re actum fuerat, die accepit.

Erat alioqui, tanta apud Italos non minus quam apud reliquas gentes *Phil. Melanchtonis* ob eruditionis gloriam, celebritas, ut frequentiſſimum cum viris doctis ei quoque commercium eſſet literarium, & cumprimis cum *Italis*, prouti etiam nunc extat, Ejus ad *Petrum Bembum* Epiſtola, qua, *Georgium Sabinum*, & ejus in itinere Italico comites, commendabat; Nam & illa Germanorum in Italiam itinera identidem repetita non parum Evangelii cauſam promovebant, ut haud immeritò *G. Busdragus* in illa quam diximus Epiſtola, illud proponeret (ſive jocoſè, ſive ſeriò, perinde eſt) *c*) conſilium, „ ſi forte itinera illa ac commercia, „ cum epiſtolica tum alia, inter Germanos & Italos, impediri „ poſſent, ſicque præveniri, ne illa quam dicebant hæreſis „ totam Italiam pervagaretur.

Eſt verò etiam memorabile, quod præcipuè Monachi apud Italos *Auguſtiniani*, citius quam reliqui, Libros illos receperint, atque etiam alacrius ſe in illorum lectionem immiſerint, aliosque ad id ipſum non ſemel exſtimulaverint.

a) Vid. *Scaligerana ſecunda* pag. 207. citata à quam multis, & cumprimis à Cel. BRUCKERO in Notitia libri rariſſimi &c. inſerta Miſcell. Lipſ. nov. T. I. p. 632. quæ & inter *Miſcellanea Hiſtor. Philoſ. Literar. Critic.* P. II. Obſ. IV. pag. 323. & ſeq. recuſa legitur.

b) Vid. BRUCKER in *Miſcell. Lipſ. nov.* l. c. p. 640. & in *Miſc. Philoſ.* l. c. p. 332.

c) BUSDRAGI Ep. in *ſcrin. antiquar.* l. c. p. 322.

Digitized by Google

Sic enim in Oratione *J. N.* STUPANI Basileenfis de Vita & obitu *Cæl. Sec. Curionis* A. 1570. habita, *a*) inter alia legitur, quod, cum *C. S. Curio*, admodum Juvenis, A. 1523 & 1524. percupidus esset ad Lutheri & Zwinglii doctrinam pernoscendam, is operâ *Hieronymi Nigri Fossanei* & quorundam aliorum, qui tunc in familia *Augustiniana Taurini* florebant, *Lutheri* libros de *Indulgentiis*, de *Captivitate Babylonica*, itemque *Zwinglii, de falsa & vera Religione*, cum aliis quibusdam *Philippi Melanchthonis Operibus*, assecutus fuerit, legeritque, ac ita sit admiratus, ut quoque decreverit in Germaniam transire, cum ob purioris Theologiæ, tum reliquarum politiorum literarum studia, quod hæc, Melanchthone & Erasmo in id suadentibus, admodum florere intelligeret.

§. IX. Sed &, *Explicationem Orationis Dominicæ*, quam LUTHERUS conscripsit, *Venetiis*, Italico sermone, omisso Auctoris nomine, editam & cum applausu lectam, refert *Johannes Mathesius. b*)

Eandem fortunam expertus est *Lutheri Catechismus*, qui cum sine nomine in Italiam delatus esset, pro libro valde pio habitus fuit; *c*)

De *Mart. Bucero* *) & ejus in Psalmos, sub nomine *Aretii Felini* editis commentariis, non minus testatur *Johannes* STURMIUS, *d*) hunc in modum: „ *Bucerus in Psal-*

a) Vid. Hanc Orationem insertam *Amœnitatib. Literariis* à SCHELHORNIO editis Tom. XIV. pag. 331.

b) Vid. MATHES. in Vita Lutheri conc. 15. p. 177. *b.*

c) Conf. BAXTER. de abnegat. sui. 150. & PLACCIUS in Catal. anonymor. n. 89.

*) Eund. hunc Bucerum etiam sub aliis fictis nominibus v. g. *Conr. Treu von Friedesleben*, itemque, *Waremundi Luitboldi* & sim. scripta quædam edidisse docemur in BAUMG. *Relation. de libris memorab.* Vol. V. p. 344.

d) STURMIUS in Anti-Pappo IV. P. I. pag. 11. 12.

Digitized by Google

„ *Pſalmis* explicandis verſabatur, neque quisquam omnium „ eſt, qui plura tunc ſcripſerat quam Bucerus. Capito quæ„ dam in lucem ediderat, non tam ſuo judicio quam ami„ corum ſtudio divulgata. Habebat autem tum Bucerus „ Commentarios Pſalmorum, quos *Aretii Felini a*) nomi„ ne inſcripſit, opus valde vendibile, etiam Cardinalibus & „ Epiſcopis laudatum, dum verus Auctor ignorabatur.

Erat verò BUCERI nomen apud Italos, Evangelii Confeſſores in magna exiſtimatione, quippe cujus etiam ſub ficto *Aretii Felini* nomine duæ præclaræ leguntur Epiſtolæ A. 1541. d. 17 Aug. & d. 23 Decembris, ad Italos veritatis ſtudioſiſſimos datæ; *b*) Quin imò etiam ſub proprio Buceri nomine, quædam eod. anno d. 10 Septembris data *ad eos qui Chriſtum pura fide invocant, Fratres, qui ſunt in Bononia & Mutina.*

Legitur etiam *Johannis* CALVINI *Catechismus* in Italicum ſermonem translatus, nec loco nec auctoris nomine commemorato, A. 1545. referente in *Miſcellan. Lipſ. nov.* Tom. I. p. 636. & in *Miſcellan. Hiſt. Philoſ.* &c. pag. 329. Doct. BRUCKERO.

Nam &, quod poſtmodum CALVINI *Inſtitutio Religionis Chriſtianæ* à *Julio Cæſare Paſchali* in Italicum ſermonem fuerit translata & dedicata *Galeacio Caracciolo* Marchioni Vici, & impreſſa Genevæ, 1557. 4. docemur apud BÆLUM. *c*)

Ut alios Proteſtantium libros, pari artificio in Italiam vel delatos, vel illic ſub recto nomine impreſſos & divenditos taceamus, ſic enim *Ulricum Zwinglium*, *Coricium cogelium*, fuiſſe appellatum, *Julium Mediolanenſim*, *Girola-*

a) Conf. MORHOF in Polyhiſt. T. III. L. V. p. 539. BAILLET l. c. p. 465. ſq. COLOMES ad Scaligeran. p. 263.
b) Vid. BUCERI Opera Anglicana fol. 685. 687. & 689.
c) BÆL. in voce *Paſchalis.*

Digitized by Google

mum Savonetum, alios aliter, notum eſt. Et, exſtat in hunc usque diem in Indice librorum prohibitorum, *Hippophili Melangæi* Commentarius in Evangelium Mathæi, inter libros prohibitos, unde colligimus, etiam ſub hac larva illum Melanchthonis librum in Italiam fuiſſe delatum. Nam & ERASMI dialogos in Italicam linguam cura *Petri Lauri* Mutinenſis, translatos novimus *a*); Cum per hæc ſaltem media, Lux doctrinæ ſalutaris renovato quodam ſplendore exoriens, atque nebulis ſuis evoluta, ad Italos devenerit, eorumque animi puriori veritatis lumine fuerint colluſtrati.

§. X. Neque ſolum hæc & alia Reformatorum noſtrorum Scripta in Italiam deportata, Italorum animos commoverunt, atque ut Veritatem Evangelicam retecta facie intueri poſſent, effecerunt, ſed cumprimis, quod SCRIPTURÆ S. & ſpeciatim *Librorum* NOVI TESTAMENTI in linguam *Italicam Verſio* non una procuraretur, invitis etiam & contranitentibus cum toto ſuorum agmine Pontificibus, nobilem illum ac ſalutiferum habuit effectum, ut Evangelium ita renaſcens Italorum corda ſuo ſplendore perſtringeret.

Certè in *Relationibus b*) *Gottinganis* jam ex *Foſcarini* Tractatu *de Eruditione Venetorum*, refertur quod *Nic.* MALERMI *c*) Editio Italica Bibliorum, tametſi barbare & vitioſè eſſet converſa, tamen jam novies ſeculo XV. & duodecies proximo, ſive noſtro ſeculo XVI. ſint edita; Quæ editionum repetitio, ſatis quam avida eſſet Italorum natio ad doctrinam ſacram ex ipſo Dei verbo hauriendam arguebat.

Nam &, A. 1530. prima *Antonii* BRUCIOLI *Verſio Italica* Novi Teſtamenti prodiit, quæ licet à *Jac. le Long*, *d*) atque etiam à *Ricb.* SIMONIO *e*) inter Verſiones Catho-

a) Vid. COLOMES. Biblioth. ſelect. p. m. 466.
b) Vid. *Relat. Gotting.* Tom. III. Faſcic. XI. p. 243.
c) Conf. SCHELHORN. Ergötzl. Tom. I. p. IV. pag. 644.
d) *Le* LONG. Biblioth. S. Vol. I. fol. 355. 356.
e) SIMON Hiſt. Crit. Vet. Teſt. lib. II. c. 22.

Digitized by Google

tholicas recenſeatur, conſtat tamen, quod ea deinde inter libros prohibitos *a*) primi ordinis fuerit recenſita.

Uti non minus integra Bibliorum translatio, per eundem *Brucciolum* curata, ac in ſeptem Tomos diſtributa & Venetiis 1546. edita, *b*) propter Dedicationes varias Operi præmiſſas, & Evangelicæ veritati per omnem Italiam propagandæ *c*) inſerviit, & eam cum maximè promovet ſuſpicionem, quod à Proteſtantibus non eſſet alienus BRUCCIOLUS *d*); cujus alioquin Scripta reliqua, fuerunt prohibita, non edita ſolùm ſed & edenda, uti habet *Index Tridentinus*. *e*)

Sed

a) *Le* LONG. loc. cit. & *Florileg.* noſtr. *libr. rarior.* p. 51. edit. tertiæ.

b) Rich. SIMON. disquiſit. critic. cap. 29. p. 195.

c) Sunt notabilia *Theologorum Genevenſium* ſuperiori ſeculo A. 1680. verba, in Reſponſione ad *Julii Spinolæ* Cardinalis & Epiſcopi *Luccenſis* literas, hanc cauſam confirmantia: „ „ Quoique *l' Italie* fut comme le fort & le dongeon de la „ doctrine & de l' Empire du Pape, puisque ſon autorité y „ etoit plus puiſſament établie ſur les peuples: la Lumie„ re ne laiſſa pas d'y penetrer en divers lieux, & de faire „ tomber les écailles des yeux de pluſieurs aveugles & les „ chaines de quantité de Captifs, par le moyen d'une Tra„ duction Italienne de la Bible faite par *Bruccioli*, qui pa„ rut alors, & qu'on ne s'aviſa pas d'ettuffer en ſa naiſſan„ ce, comme on a taché de faire depuis. La ville *de Lu„ ques* fut ſans doute un des endroits plus conſiderables, „ ou Dieu fut paſſer les rayons de cette Lumiere. A peine „ y en eut il aucun, ou elle repandiſt plus abondamment „ ſon eclat. Dieu ſe ſervit pour cela de l'organe du ſavant „ *Pierre Martyr* &c. Conf. SCHELHORN. Recreat. Eccleſiaſt. Tom. I. pag. 398.

d) Conf. Cl. BAUMGART. in Biblioth. Halenſi. Tom. II. p. 101. & Tom. V. p. 97. qui & obſervat, quam id in præfationibus ſuis præcipuè intendat BRUCCIOLUS, *ut vernaculas Verſiones & utiles & neceſſarias eſſe & nullo modo reprobandas aut condemnandas*, evincat.

e) Vid. *Florileg.* noſtr. l. c.

Digitized by Google

Sed & *Sanctes* MARMOCHINUS Venetiis 1538. fol., novam ex textu originali confectam Verſionem Italicam ſemet edere Lectori perſuadere voluit, cum tamen & Vulgatam fuerit ſecutus & hinc inde Bruccioli labore uſus, Vulgatam ſolum emendare, fuerit anniſus †

Deinde verò etiam *Philippus* RUSTICIUS, novam procurare editionem *Bibliorum lingua Italica* non verebatur A. 1562. fol. * cum Præfatione ad Principes & Respublicas Italiæ directa, quæ itidem „ Verſiones in linguas vernacu-„ las, etiam adverſus quasvis prohibitiones Papales defendit, „ ac, quod Scripturæ S. lectio cuivis Chriſtiano incumbat, inculcat; Tametſi ſurdis auribus ut plurimum ſaluberrima hæc monita acciperentur.

Ne dicamus, de *Maximi* THEOPHILI, Florentini, *Verſione Italica* librorum Novi Teſtamenti, Lugduni A. 1551. 16. quæ, Richardo Simonio minus cognita fuiſſe videtur, ſed à le LONG inter Proteſtantium verſiones *a)* commemoratur, quæque laudatur à Doctiſſ. *Gisb.* VOETIO *b)*; Utpote, quæ non modo ſingularum ad *Franciscum* de *Medicis* Principem hæreditarium Florentinum habet Dedicationem, ſed &, Appendicem memorabilem, ſive Allocutionem ad Lectorem Chriſtianum, *de Chriſto Legis ſcopo* & *inexhauſto bonorum omnium fonte in Scripturis ſacris* cumprimis in N. T. reperiundo, & ſimul, Paræneſin *c)* ad Episcopos, ne *à le-*

† Conf. LE LONG l. c. fol. 356. & 486.

* Hujus verſionis Hiſtoriam nobis contexuit, WIDEKINDUS in Relat. Germ. de libris rarior. P. III. pag. 543. 544.

a) Se eandem poſſidere refert Cl. SCHELHORN. in libro, cui titulum fecit, *Ergötzlichkeiten*, quem nos abinde ſub *Recreationum* nomine citabimus Tom. I. p. 418.

b) VOETII Biblioth. Stud. Theol. p. 511. & LE LONG. lib. cit. p. 359.

c) Conf. BAUMGART. in Biblioth. Hal. T. II. p. 103. & LE LONG in Biblioth. S. Tom. I. p. 359. ubi & Novum Teſt. Italicum recenſetur, cum annotationibus *Antonii des Gallars* Italicè redditis ex officina Fabii Tudeſchi 1560. Conf. quoque DU PIN. in Diſſ. prælim. *ſur la Bible.* T. I. p. 222.

Digitized by Google

à lectura ſacræ Scripturæ populum Chriſtianum vel abducant vel dimoveant.

§. XI. Ceterum, quod non deeſſent in Italia A. 1527. quando feralis illa ROMÆ obſidio, occupatio, & Pontificis in Caſtello S. Angeli detentio *a)* rationes Pontificias diſturbabat, qui Reformationis negotio faverent, ac ejus principiis eſſent imbuti, vel ex Concilii Tridentini hiſtoriographo doctiſſimo *b)* addiſcere licet: Sic enim *Paulus* SARPUS inter alia, ad annum 1527. „ in *Italia* quoque (annotat) cum prope biennio neque Pontifex eſſet, neque „ Curia Romana, & illæ quas utrique perpeſſi erant ca„ lamitates, plerisque viderentur exſecutio ſententiæ divinæ „ contra ejus regiminis corruptelas, permulti pronis animis „ atque auribus Reformationi auſcultabant, atque in priva„ tis diverſarum civitatum ædibus, maxime *Faenzæ*, Pon„ tificis territorio, contra Eccleſiam Romanam prædicabant, „ creſcente indies numero eorum, quos alii *Lutheranos*, „ ipſi ſe vocabant *Evangelicos*. „

Neque enim dubitari poteſt, quin illa quoque *CAROLI* V. in Pontificem Clementem VII. Urbemque Romam A. 1526. & 1527. ſuſcepta Expeditio, ſingulari providentiæ divinæ nutu, propagandæ inter Italos doctrinæ Evangelicæ miris modis inſervierit; Non, ac ſi flagitiorum turpitudo ac morum immanitas plus quam ferina etiam adverſus meritos & pœnæ à Deo deſtinatos perpetrata, probanda ſint, aut collaudanda; Sed, quod tamen, cum per occultam Nemeſin ea Clementi & Sedi Papali inferrentur, Deus iis eſt uſus mediis, ad Myſterium iniquitatis Papalis detegendum, atque Evangelicæ veritatis radios longe lateque etiam per ipſam Italiam diſpergendum, quando milites Germani magnam partem Lutherani, Romam captam direptamque detinebant, ipſum-

 que

a) Vid. SECKENDORF. Lib. II. §. 28. pag. 79.
b) SARPIUS in Hiſtor. Concil. Trid. p. 40. Ed. Lat. p. 87. Edit. Gall. Courayer.

Digitized by Google

que Papam in Adriani molem, quam S. Angeli caſtellum vocant, ſe recondentem obſidione cingebant, atque, ut tandem quoque facta deditione, ſemet ferocientium & dignitati ſuæ illudentium militum libidini permitteret, cogebant. Ita enim, non ſolum fictitia illa dignitas & Sanctitas Papalis apud exercitum Imperatoris ex variis nationibus collectum evileſcebat, ſed &, hæ vexationes, unà cum Scriptis amœbæis *inter Imperatorem & Papam* reciprocatis *a*) multorum oculos aperiebant, ſtimulumque in animis relinquebant, ad perveſtigandum Eccleſiæ Papalis abominationes, atque, ut de Reformationis neceſſitate perſuaderentur, tantoque ad recipiendam Evangelicæ doctrinæ puritatem, eſſent proniores.

§. XII. Non verò hic, tametſi alioquin ejusmodi lacinia Operi hiſtorico innexa, parum ad decus aut ornamentum faciat, reticere poſſumus, *Anonymi* cujusdam *Itali*, de hac urbis Romæ direptione relationem, quam in Latinum ſermonem tranſtulit ſuo tempore *Caſpar* BARTHIUS, *b*) Vir uti genere illuſtris, ita doctrina excellentiſſimus: Ea ita ſe habet.

„ Taceri non debet, quod nonnulli Germanorum militum „ globi, ludibrio circumſeſſi in arce Pontificis facinus ex„ hibuerint. Ji mulabus aſinisque catervatim inſidentes cum „ omnem urbem ſpectaculo ridicularum geſticulationum, „ opprobrio ſacerdotum fictarum, attraxiſſent, prope caſtrum „ S. Angeli tandem conſtitere. Tum unus inter eos *c*) „ vultus majeſtate & corporis proceritate paullum ceteris „ conſpectior, induto habitu Pontificali, corona triplici ca-

„ piti

a) De hiſce quædam commemoravimus in *Hiſtor. noſtr. Reform.* Tom. II. p. 164. & p. 180.

b) Vid. BARTHII Pornodidaſcalon Cygneæ 1660. 8. editum p. 137. apud FABRICIUM in Centifolio Lutherano P. I. p. 96. ſq.

c) Nomine *Grunwald*, vide COCHLÆUM ad A. 1527. in Actis Lutheri fol. 167. itemque *Spondanum*, *Bzovium* & *Rainaldum* ad Ann. 1527.

Digitized by Google

„ piti impoſita, infulis ſtolisque pretioſiſſimis involutis, „ pompa Papali, equo generoſiſſimo ſe collocari fecit. A- „ derant non pauci, Magnatum Cardinaliumque veſtimentis „ exornati, pars Episcopalibus mitris, pars cocco, albisque „ tunicis pro ſe quisque ſacerdotum Proceres exprimens; „ neque non ſatellites hinc inde equitantem circumcurſabant, „ tympanis tibiisque undique perſtrepentibus, plane ut ſummi „ Pontificis agmen ipſum ſtipans, proequitantem videre di- „ xiſſes.

„ Cum Caſtellum, vel & domum aliam aliquam acceſſiſſent, „ qua Procerum captivorum aliquis detinebatur, porrectis „ digitis benedicebat populum. Ubi laſſus equitandi fuerat, „ ſella parata humeris ſatellitum imponebatur, nonnun- „ quam grandi poculo correpto captivo Pontifici propina- „ bat ſaluti ipſius & perpetuæ cuſtodiæ. Secuti fictiti- „ um Papam omnes Cardinalium Epiſcoporumque cho- „ ri, inſtar fidorum filiorum patris hauſtum excepere; „ ſimul juramento ſe agmenque omne devincientes præ- „ eunte verba Præſule; *nulli ſe unquam templo ædifi- „ cando affuturos, Cæſari tanquam legitimo ſolique ipſo- „ rum Principi, obtemperaturos, fidemque ſervaturos; „ nullis unquam dolis inſidiisve Romanum Imperium, quod „ nunc eſſet, infeſtaturos. Verum quod ex præſcripto „ Apoſtoli Pauli ipſis conveniret, obedientiam Magiſtrati- „ bus, inſtar Chriſti, Petri, & omnium fere Chriſtiano- „ rum, ipſius vitæ periculo firmam conſervaturos.* Quod „ contra, Pontifices Romani cum omni Cardinalium ſuorum „ choro ſemper ſenſerint, excommunicatis reip. Chriſtianæ „ neceſſariis Imperatoribus non alia de cauſa, quam quod „ horribili & inaudito ipſorum faſtui regia capita ſubmittere „ detrectarent. Hinc orta innumerabilia mala adeo divinam „ iram in genus mortalium exacerbaſſe, ut nulla non ætas, „ dum Papæ rerum potiti ſunt, civilibus, parricidalibus, „ ſacrilegisque bellis fas fere omne piumque tradiderit. Jam

„ respexisse miseros à tanto tempore Deum, ultriciaque ip-
„ sorum arma sedi omnium scelerum intulisse, ut videre
„ tandem possint, quid meriti sint, qui Religionem volupta-
„ tibus suis constrinxerint. Esse nimirum penes Cæsarem
„ virtutem animosque vindicandorum majorum, præcessorum-
„ que suorum, quorum capitibus sceleratos pedes Pontifices
„ imposuerint. Se quidem (ea proclamatio militaris Papæ
„ tum fuit) ut antea juramento sanxerit, Imperatori fidum
„ obedientemque, dum vita suppetat, futurum; Ab obitu
„ verò suo jus omne Pontificiæ dignitatis testamento (con-
„ sentientibus quos penes ejus negotii cardo verteretur)
„ MARTINO LUTHERO transcripturum; ut is pro lu-
„ bitu & usu publico, Sedi Apostolicæ, tot vitia, jam præ-
„ sulum libidine & annorum serie contracta extirparet, no-
„ visque velis, rudentibus, remis & magistris navem Petri
„ instrueret: quæ palaret modo velut ludibrio ventorum &
„ æquoris exposita, insciis regiminis incuriosisque, qui ad cla-
„ vum sedentes noctu diuque pergræcarentur, parum de po-
„ testate solliciti. Addidit his magna voce: *Cui ea res*
„ *placeret, quique arbitrium suum in ea exsequenda secutu-*
„ *rus esset, manu sublata clarum consensui signum daret.*
„ Compositi ad id milites, toto agmine manibus porre-
„ ctis vociferati sunt: *Vita Luthero Papæ! Vivat Lutherus*
„ *Pontifex!* Ea omnia in oculis CLEMENTIS *septimi*
„ gesta, quo vultu excepta ab ipso universoque Comitatu
„ fuerint, in facili est conjectare. „ Hactenus Anonymus ille.

§. XIII. Commemorari vero etiam meretur memorabilis *Oratio*, quam anno sequenti 1528. d. 15 Maji in Urbe Roma ad Rotæ auditores habuit Episcopus *Johannes* STAPHYLÆUS Siburicensis, *a*) qua vera eruitur Excidii urbis causa,

a) Vid. SECKENDORF. Lib. II. §. XXVIII. pag. 79. & WOLFII Lectiones Memorab. Vol. II. Centenar. 16. pag. 316. & seq.

Digitized by Google

cauſa, ac, (quod notabile eſt pænéque excedit fidem,) *Romam eſſe ipſiſſimam Babylonem*, *a*) de qua Prophetæ & Apoſtoli vaticinati ſint, aſſeritur, atque inter alia hunc in modum diſſeritur:

„ Nos non ſponte & pro arbitrio noſtro, ſed Deus ipſe „ acerrimus ſcelerum vindex & flagitiorum noſtrorum .... „ Deus inquam per manus ſceleſtiſſimorum hominum, vel „ ut verius dicam ſæviſſimarum ferarum, juſtitium indixit, „ tribunalia noſtra ſubvertit, locum hunc, ſacrarium juſti- „ tiæ, cum omnibus ad divinum cultum pro more ibidem „ exiſtentibus expilavit, profanavitque libros noſtros, divinas „ ac humanas leges continentes, quibus pro adminiſtranda „ juſtitia toti orbi utebamur &c. &c. Sed, unde hæc quæſo? „ Quasve ob cauſas tot & tam graviſſima incommoda nobis „ evenere? Nempe, quia omnis caro corruperat viam ſuam, „ eramus omnes *cives & inhabitatores* non Urbis ſanctæ, „ Romæ, ſed *Babylonis*, urbis peccatricis. De qua im- „ pletum eſt temporibus noſtris, verbum Domini in Jeſaia: „ *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicio* „ *& ſanctitate? Juſtitia prius habitabat in ea, nunc* „ *ſacrilegi & homicidæ, prius gens ſancta, populus acqui-* „ *ſitionis, nunc populus Gomorrhæ, ſemen nequam, filii* „ *ſceleratí, ſacerdotes infideles, ſocii furum* ..... „ ſed, ne quisquam arbitretur vaticinium Prophetæ jamdu- „ dum fuiſſe impletum in *everſione Babylonis & Hieroſo-* „ *lymæ*, ſub Veſpaſiano & Tito Imperatoribus Romanis;

 „ cum

a) Neque ſanè id tum demum, ſed & dudum ante jam in Eccleſia Romana erat aſſertum: *Papam Rom. eſſe Antichriſtum & filium perditionis incipere ſe revelare Romæ*, quæ definitio erat *Concilii Rhemenſis* A. 991. canone 28. Uti ante omnia, teſte BARONIO, inſtante primo Chriſtianismi millenario diſertis verbis aſſerebatur: *Jam revelandum eſſe illum hominem peccati, filium perditionis, dictum cognomine Antichriſtum.*

Digitized by Google

„ cum verba Prophetæ videantur reſpicere tempus illud præ-
„ ſens Prophetæ, non futurum: animadvertendum cenſeo,
„ juxta Eccleſiaſticam veritatem, futura fuiſſe præſentia Pro-
„ phetis, quaſi jam futura præſentia cernerent oculis men-
„ tis, ut paſſim ex ſacris paginis facile deprehendimus.....
„ *derelinquetur filia Sion & deſolabitur in vaſtitate ho-*
„ *ſtili* Hanc filiam Sionis Joh. Apoſtolus in Apocalypſi in-
„ terpretatur non Hieruſalem, ſed *Romanam* prorſus *urbem:*
„ quod ex illius deſcriptione, ſi introſpicimus, in aperto eſt:
„ dum exponens Johannes, ſeu verius, *unus de ſeptem An-*
„ *gelis* Johanni, viſionem, quam vidit ſuper damnatione *mu-*
„ *lieris meretricis*, *ſub nomine Babylonis* intelligit hanc
„ urbem: *Mulier* inquit *quam vidiſti eſt civitas magna,*
„ *quæ habet regnum* (quod de regno ſpirituali vult intelligi)
„ *ſuper reges terræ.*

Dicit, „ illam *ſedere ſuper ſeptem montes*, quod proprie
„ *Romæ* convenit, quæ ab antiquis ob hoc potiſſimum dicta
„ eſt ſepticollis. *Ponit ſedem quoque* illius *ſuper aquas*
„ *multas*, quæ ſignificant populos, gentes, ac varias lin-
„ guas, ex quibus magis, quam ulla alia in orbe præſertim
„ Chriſtiano collecta eſt hæc urbs, ut videmus.

Dicit præterea, „ *plenam eſſe nominibus blaſphemis,*
„ *matrem immunditiæ, fornicationum & abominationum*
„ *terræ.* Hæc quippe verba demonſtrationem hujus urbis
„ magis ſpecificam non exigunt, cum hæc flagitia &ſi ubique
„ fere regnent, hic tamen ſedem & imperium habeant . .
„ ..... &c. " Hactenus ille.

Quis verò non videt, quam corruptiſſimus ille Ordinis Eccleſiaſtici *a*) & Curiæ Romanæ ſtatus, & contemplatio Ju-

a) Vid. P. GIANNONE in *Hiſtoir. Civ. de Naples* Tom. IV. p. 110. „ Les moeurs depravees de l'Ordre Eccleſi-
„ aſtique & de la Cour de Rome perſuaderent à bien des
„ perſonnes, que tous les maux, qu'on eprouvoit, etoient
„ en

Judiciorum divinorum, doctrinæ morumque & abusuum Emendationem plane necessariam esse evinceret, quò ex admirabili providentia Dei fiebat, ut Lutherani sive *Evangelici*, ejusmodi emendationem urgentes, indies majores facerent in ipsa quoque *Italia* progressus, ipsique Itali, ut à tenebris emergerent, & ad Veritatis Evangelicæ, vitæque, Christianæ terminos, unde recesserant, regrederentur, operam darent.

§. XIV. Eodem fere tempore A. 1528. in Aula FERRARIENSI, quæ tum ex *Domo Estensi* peculiares suos habebat Duces, nunc verò Pontificis Romani subjacet dominio, quidam suscipiebantur ac fovebantur Verbi divini Ministri, *Reformatæ doctrinæ* addicti, qui dein suppressi, popularium suorum erga Deum ingratitudinem lacrymis deplorarunt sanguinolentis; Res ita se habet:

RENATA Armorica, *a*) *Ludovici* XII. Galliarum Regis filia natu secunda, soror *Claudiæ Francicæ*, quæ Francisco I. Galliarum Regi nupta erat, *Herculi Atestino Duci*, in *Ferraria* & *Mutina* A. 1527. in matrimonium elocata, Princeps erat variis non solum scientiis & artibus exercitatissima, sed & Evangelicæ religioni tum temporis jam ubivis prorumpenti addictissima; licet Maritus quoque Pontificem, adversus Carolum Hispanorum Regem ejusque modo dictas invasiones militares ita tueretur, ut titulo *Defensoris Ecclesiæ*

„ en execution des Jugemens de Dieu, qui venoient vanger „ les grands abus, qui se commettoient journellement. On „ embrassoit en consequence la Reforme, dans les maisons, „ & divers Villes, particulierement à *Faënza*, quoique Terre „ du Pape, on y prechoit contre l'Eglise Romaine; de maniere, que de jour en jour, le nombre des Lutheriens, „ qui se faisoient nommer Evangelistes, s'augmentoient.

a) Dicitur illa Gallis, *Rende*, Calcagnino, *Irenea*, Palearo, *Herenea*, conf. NOLTEN. Diss. de *Olympia Fulvia Morata*. p. 11. 12.

Digitized by Google

ſiæ a) eum honoraret Pontifex, quem mox, adverſarius non Eccleſiæ ſed Papæ, gerere deſiit.

Hujus igitur *Renatæ* Aula, uti Prytaneum quoddam Virorum Doctorum, ita commune quoque Aſylum erat, omnibus ob religionem Evangelicam, perſecutionem paſſis *b*), quamvis & ipſa eapropter odium incurreret, cum *Regis Galliæ*, tum Papæ *Julii III.* & ejus aſſeclarum *c*), qui non ſemel omnem moverunt lapidem, quò vel ipſius *Mariti* animum ab ea abalienarent, & in eam incenderent.

§. XV. Erat verò mirifica prorſus & in exemplum ponenda Ejus in Profeſſione ac Retentione Veritatis Evangelicæ Ἀμεταπτωσία & Conſtantia, quam ad extremum vitæ ſuæ illabefactam conſervavit; Cujus rei memorabile documentum ex hiſtoria *Henrici II. Galliarum Regis* repetendum, hic ut referamus, Lectoribus forte non erit ingratum.

Henricus enim, uti Renatæ cognatus erat, ac Pontificiæ ſuperſtitioni addictiſſimus, ita propenſum Renatæ in Reformatam doctrinam ejusque confeſſores, qui tum quoque per omnem Galliam jam erant diſſeminati, ac laudabantur, & ſu-

a) Conf. BAIL in tit *Ferrare*; itemque Fr. RABELAIS, in Epp. Gallicis cum obſervationibus Sammarthanorum Bruxell. 1710. 12. edit. Ep. 3. & 14.

b) MAIMBURG Hiſt. du Calvinisme ad A. 1536. Conf. VARILLAS in Hiſtor. Caroli IX. & in Hiſtor. hæreſium. it. BRANTOME in Vitis illuſtrium foeminar. Conf. BAYLE tit. *Ferrare*, & LABOUREUR in addit. ad *Memorias de Caſtelnau.* vol. I. pag. 713 ſqq.

c) RAYNALD annal. ad ann. 1552. n. 57. fol. 60. ubi Breve quoddam legitur Julii III. ad Franzinum Michaelem Episcopum Caſalenſem & Hieronymum de Laude Ordinis Prædicatorum, quo ipſis commiſſio mandatur *ad extirpandum* (uti dicitur) *peſtiferum ſemen hæreſeos in Civitate ac dioeceſi Ferrarienſi & in nonnullis aliis locis Herculis Ducis Ferrariæ ad Dei omnipotentis ſervitium, catholicæ fidei conſervationem & animarum ſalutem.* &c. &c.

ſuſcipiebantur ab his, culpabantur ab illis, animum ferre nequibat, quin omnia tentare potius ſuſtinebat, quo à Reformata Religione ad Papismi cultum & patrocinium eandem reduceret. Inſtruxerat inter alia Legatum ſuum *Oritzium*, Doctorem, qui Inquiſitoris officium in Gallia tum obibat, ſingulari quodam mandato, quod propter rei memoriam, ex LABOUREURII additamentis ad *Memorias Dn. de Caſtelnau* *a*) hic ſubjungimus. „ Le Docteur *Oriz* *b*) l'un, des Peni-„ tenciers de Noſtre S. Pere le Pape, eſtant arrivé à Fer-„ rare, ou le Roy l'envoye preſentement, baillera à M. le „ Duc de Ferrare, les lettres, que le dit Seigneur lui eſcrit „ de ſa main: & lui dira, comme il a expreſſe charge de ſa „ Majeſté, de s'employer & faire tout entierement ce qu'il „ pourra en l'affaire pour laquelle il eſt depeché. Et là deſ-„ ſus ſçaura dudit S. Duc, les moyens qu'il aura à tenir, „ pour mieux & plus exactement commencer & pourſuivre „ l'oeuvre, ſi bon, ſi ſaint & ſalutaire, que par commande-„ ment du Roy il a entrepris.

D „ Apres

a) Vid. *Laboureur* in Additions aux Memoires de CASTELNAU &c. Vol. I. fol. 717. 718.

b) Eſt inter Epiſtolas *Joh.* CALVINI quæ in ejus Operibus Vol. IX. p. 268. ultima pagina & ultimo loco legitur, Græcè exarata, quæ ex hac relatione quandam foeneratur lucem: Eſt enim ille Ὁρίσιος ὁ θεολογος (ὃν μετασολογον δικαιοτερον εἴποι τις ἂν) ὁ της πίςεως ζητητης καλούμενος, idem ille, qui hic in ſcenam prodit *Oritzius*, & de cujus ad nutum & mandatum Regis in hæreticos inquiſitione ibidem agitur, itemque, quod ſibi arrogaverit ὁλοκληρον και ἀνυπευθυνον (ὡς οἱ Ρωμαιοι λεγουσι) ſine provocatione, κρισιν και γνωσιν της αἱρεσεως, διδοσθαι και συγχωρεισθαι quanquam ei ſe oppoſuerit ſupremus Regni Senatus, qui hanc auctoritatem nec agnoſcere voluerit, nec Regis literas aut approbare aut ad acta referre: Sic eadem, quæ etiam nunc in Gallia, inter ſupremum Regni Senatum, & Curiam Regiam, ſæpenumero obtinet, discordiarum jam ludebatur fabula!

Digitized by Google

„ Apres qu'il aura entendu du dit Seigneur Duc, ce qu'il
„ aura à faire, venant à entrer en propos avec Madame la
„ Ducheſſe, & qu'il ſe ſera bien & diligemment enquis &
„ informé des principaux poinrs ſur leſquels elle eſt tombée
„ en erreur . . . . . il baillera la lettre que le Roy
„ lui eſcrit de ſa main, lui dira que ſa Majeſté ayant enten-
„ du . . . . que la dite Dame s'eſt laiſſée precipiter au la-
„ byrinthe de ces malheureuſes & damnées opinions, con-
„ traires & repugnantes à noſtre ſainte Foy & Religion,
„ il en a reçu en ſon coeur telle douleur, triſteſſe & ennuy,
„ qu'il eſt impoſſible de les ſcavoir exprimer, ne lui eſtant
„ cette nouvelle autre que de la perte de la vie corporelle
„ & ſpirituelle de ſa Tante unique, qu'il a toujours tant
„ aimée, eſtimée & honorée, comme ſingulierement il fait
„ encore. &c. &c. Et ſi apres telles remonſtrances & per-
„ ſuaſions, avec celles que le dit Docteur *Oriz* lui fera de
„ ſon eſtat & profeſſion pour lui faire connoitre la verité &
„ la difference qu'il y a de la lumiere avec les tenebres, il
„ connoiſt qu'il ne la puiſſe par la voye de douceur gagner
„ & reduire: il regardera avec le dit Sieur Duc, ce qui ſe
„ pourra faire par la rigueur & ſeverité, pour la ranger à
„ la raiſon.

„ Et en premier lieu, le Roy eſt d'avis, que ſur les prin-
„ cipaux points là ou elle ſe trouve plus en erreur, le dit
„ Sieur Duc faſſe faire par le dit *Oriz* des Predications, ou
„ il aſſiſtera & fera pareillement ladite Dame avec toute ſa
„ famille, quelque refus ou difficulté qu'elle en ſçache faire.
„ & ayant continué cela par quelques jours, s'il voit que par
„ telle voye l'on ne puiſſe rien profiter à l'endroit d'icelle
„ Dame, le Dit *Oriz* lui declarera en la preſence d'icelui
„ Sieur Duc, que le Roy lui a donné charge expreſſe par
„ cette preſente inſtruction, ſignée de ſa propre main, laquelle
„ il pourra lors montrer, que ſi ainſi eſtoit qu'icelle Dame,
„ apres avoir fait ce qu'on pourra envers elle, voulut finа-

„ le-

„ lement demeurer opiniaſtre & pertinace en ſes dites erreurs, „ ſans ſe vouloir autrement reduire à l'obeiſſance de l'Egliſe „ & à l'obſervation de noſtre ſainte Foy Catholique.

„ Sa Majeſté veut & entend, & de fait prie & exhorte „ tres inſtamment iceluy S. Duc, qu'il ait à faire mettre la „ dite Dame en lieu ſeparé de congregation & converſation, „ où celle ne puiſſe plus gâter perſonne que ſoy meme, „ luy oſtant ſes propres enfans & toute ſa famille entiere- „ ment, de quelque nation qu'ils ſoyent, lesquels ſe trou- „ veront chargez ou vehementemment ſoupconnez des dites „ erreurs & fauſſes doctrines, pour leur faire les proces, „ appellé le dit *Oriz*, qui eſt experimenté en telles matie- „ res qui ſont de ſa profeſſion, eſtant *Inquiſiteur de la Foy* „ *en ce Royaume.*

„ Et leurdits proces faits, qu'il ſoit fait punition & cor- „ rection exemplaire des fauteurs & delinquants: remettant „ ſa Majeſté au dit Sieur Duc, de faire uſer en telles ex- „ ſecutions & procedures, mesme en ce qui touchera la „ perſonne de ladite Dame & ce qui en depend, de telle „ modeſtie & façon de faire, que avec le devoir de Juſtice „ les choſes paſſent ſans ſcandale, ny note qui puiſſent eſtre „ inferées à aucune macule ou reproche à l'endroit de ce „ qui touche & regarde icelle Dame, & ceux qui en de- „ pendent. "

§. XVI. Sed, hæc omnia, ita frangere RENATÆ animum in Veritate confirmatum non poterant, ut quoque fatorum iniquitatem, & Mariti ſui Principis indignationem patienter ferre, ac, ut à liberorum, quos ſusceperat, ulteriori educatione removeretur, perferre maluerit, quam ut ab agnita veritate faceret divortium, aut ad Papiſtarum ſordes recipiendas animum adverteret: Neque verò tum quicquam ei circa liberos proprios relictum fuiſſe refertur, niſi quod *Annæ* tamen, *filiæ* natu ſecundæ, quæ, cum hæc ab Henrico Rege tentarentur, jam quoque ad adultam ætatem excreverat, Re-

Digitized by Google

ligionem, ipſa, uti ſtatim videbimus, direxiſſe videatur. Interea verò, hac animi conſtantia ac firmitate ut tantò magis Paparum odium incurreret, factum eſt, quam ob rem deinceps, mortuo Marito, A. 1559. ſe his ærumnis eripere, ac religionis liberius ſervandæ gratia in Galliam remigrare, fuit coacta, ubi Hugonottorum ita dictorum ad finem usque vitæ patrona extitit, atque A. 1575. vitam hanc caducam & miſeram cum meliori commutavit.

§. XVII. Inter eos autem, quos RENATA jam inde à primis, quibus Ferrariæ agebat annis, in aulam ſuam recipiebat ac recreabat, erant purioris Religionis ſtatores ac fautores v. g. *Johannes* CALVINUS, *a*) *Clemens* MAROTTUS, *b*) & *Leo* JAMETUS; *c*) Porrò ex ipſis Italis, *Marcus Antonius* FLAMINIUS, *Marcellus* PALINGENIUS, celebris ille Poematis, ſub tit. *Zodiacus Vitæ*, auctor,

a) De *Jo.* CALVINI in ejus aulam ſeceſſu, ſpeciatim agit J. B. de ROCOLES, in libro, cui tit. *L'Hiſtoire veritable du Calvinisme*, qui Maimburgii Hiſtoriæ Calvinismi eſt oppoſitus & Amſtelod. 1683. 12. editus, pag. 106 ſq. Is enim, cum A. 1534. Galliam relinqueret, circa finem 1535. tum, cum non ita pridem, primam ſuæ *Inſtitutionis* editionem apud Baſilienſes edidiſſet, Ferrariam adiit.

b) *Clem.* MAROTTUS, jam ante Calvinum apud Renatam fuerat commoratus, ac ejus egerat Secretarium, ut credibile etiam ſit, eum permultum ad Renatæ inſtitutionem ulteriorem, converſionem, & in veritate confirmationem, contuliſſe. Vid. LABOUREUR in additam. ad Caſtelnau pag. 716. 717.

c) De *Leone* JAMETO, alias dicto *Lyon Jamet*, notari debet, eum non minus ob religionem à Gallia proſcriptum fuiſſe, atque Renatæ protectionem ſibi expetiviſſe: Erat autem ſingularis Marotti amicus, atque in religionis articulis cum ipſo faciens, uti patet ex duabus Epiſtolis, quas *Marottus* ad ipſum ſcripſit, ſub titulo Gallico *du Cocq à l'Asne*, atque, ex ea quam Jametus ad Marottum dedit reſponſione.

Digitized by Google

ctor, quo Romanæ ecclesiæ vitia libere satis taxantur & satyrico sale perfricantur, *Petrus* MARTYR Vermilius, PFANNIUS sive *Fanninus* Faventinus, & *Cœlius Secundus* CURIO, patria Pedemontanus, aliique quamplurimi, *a*) deinceps plenius describendi.

§. XVIII. Enimvero RENATA nostra ita non solum receptaculum præbendo ac incolumitatem Viris eximiis, Reformationi utilem navabat operam, ac rem Reformatam mirificè sustentabat ac promovebat, verùm etiam (uti jam monuimus) suscipiendo ANNAM, *Filiam* Principem, quæ A. 1531. in lucem est edita, maximum Reformationi temporibus secuturis fulcrum & ornamentum adtulit; *Hæc enim*, (uti THUANUS *b*) ait) *à teneris annis Ferrariæ sub Renata Principe Parente, ei doctrinæ, quæ tunc exagitabatur, est innutrita, Olympiæ Moratæ lectissimæ & eruditissimæ fœminæ consuetudine ad id usa.* Quam causam accuratius nemo explicat quam CÆLIUS SECUNDUS CURIO: *c*) „ Cum Anna Herculis Estensis Ferrariensium Prin„ cipis filia, iisdem literis à Johanne Sinapio, Viro sum„ mo institueretur, ut haberet, quicum honesta æmulatione „ certaret, visum Matri est .... ut Olympia in aulam, „ in qua aliquot annos magna cum laude fuit, advocaretur. "

Certè, inde factum est, ut ea singularem fuerit etiam promerita laudem, propter progressum in artibus linguis ac disciplinis, *d*) quem *Thuanus*, *Rabelaisius*, *Sammarthani*,

a) Conf. NOLTEN. in Diss. laudata p. 22—30. & quæ deinde singulari studio de præclaris hisce viris monebuntur.

b) THUANUS Historiar. lib. 24. cap. 21. fol. m. 831.

c) CURIO in Epist. ad Betulejum, inter Epistolas Olympiæ Fulviæ Moratæ. p. m. 109.

d) Conf. CALCAGNINI varias ad eam Epistolas & Ep. PALEARII ad RICCIUM, hujusque ad Palearium in Operibus Palearii p. 564. 567. ubi singularia quædam de *Anna* &

Digitized by Google

Calcagninus & alli; concelebrant, qui & ejus virtutem multiplicem, pietatem, ingenium & eruditionem multis modis evehunt; *Uti &* ipsa, licet primum *Guisio* acerrimo Reformatorum hosti, & deinceps *Jacobo Sabaudico*, Duci Nemurcensi esset nupta, piis tamen ob religionem in Gallia vexatis addicta mansit, *a*) usque ad vitæ exitum, quem A. 1607. ætatis septuagesimo sexto habuit.

§. XIX. Profuit verò etiam Evangelio in *Sabaudiam* inferendo, MARGARITA Henrici II. Gallorum Regis soror, & posthac Emanuëlis Philiberti Sabaudiæ Ducis conjux; Quippe quam ea propter *Jacobus de* LADERCHIO, inficetus licet scriptor, sed acerrimus Monarchiæ Pontificiæ hyperaspistes, Protestantium verò, (quos *hæreticos* ubivis appellat) insectator, hæreseos *b*) insimulat, eamque dicit, „ alterius *Margaritæ*, Franciſci I. Sororis & Navarræ quondam „ Reginæ, *c*) vestigiis institisse, ac eruditos Calvinianos Lu-

& *Lucretia*, Renatæ filiabus. Ceterùm de *Bartholomæo* RICCIO, qui & ipse in Renatæ aula versabatur, novimus, quod sibi proposuerit Libros *de gloria* consarcinare, in quibus & *Renatæ* & *Annæ* Atestinæ laudes evehere voluit, teste *Aonio* PALEARIO, quos lucem aspexisse dubitamus.

a) Vid. NOLTEN. de Olympia &c. p. 17. 18. Nam & legitur ipsius OLYMPIÆ ad eam, quando Guisio adhuc nupta erat, Epistola inter *Epp. Olymp.* Lib. II. p. m. 146. sq.

b) LADERCHIO in Annalib. Ecclesiast. Tom. XXIII. fol. 35. quanquam ex iis quæ à *Labourerio* in addit. ad Memor. Castelnau l. c. p. 720. referuntur, minime pateat quod unquam doctrinam reformatam fuerit amplexa, aut à sacris Pontificiorum desciverit.

c) De *Margaritæ Navarrenæ* in Evangelicos studio singulari ac favore, in *Hist. Ref Gallicæ* à nobis est actum. conf. BEZA in *Histoire Ecclesiast.* Tom. I. pag. 14. unde & REMOND in *Hist. de l' Heresie* L. VII. c. 3. dicit: „ Cela „ est notamment marqué par tous les Historiens de l'un & „ de l'autre parti, que cette Princesse seule fut cause, sans „ y pen-

Digitized by Google

„ Lutheranosque è Gallia in Sabaudiam ſecum adduxiſſe, ad-
„ dens: *Petrum Carneſecam illi auctorem fuiſſe, ut hæreticum*
„ *alterum Marc. Ant. Flaminium a) in gratiam reciperet.*

§. XX. Uti igitur jam in ſuperioribus evicimus, quod permulti Italorum ejus temporis non illi ſolum, qui illuc miſſi, negotia vel publica vel privata tractabant, aut qui animi relaxandi & περιεργιας ergo peregrinabantur, ſed &, qui ſtudia ſua ac doctrinam promovere ſatagebant, quoque *Germaniam* atque *Helvetiam* adierint, ac cumprimis *Witebergam*, quò tum confluebant ad ſcholam *Phil.* MELANCHTHONIS & cathedram LUTHERI, quidquid fere erat ingeniorum elegantiorum, quò & in literis humanioribus & in veritatis doctrina inſtructiores redderentur atque confirmatiores.

Ita non minus conſtat, quod cum *Huldrico* ZWINGLIO Celebri Helvetiæ Reformatore, ſimulac ultra Alpes fama Reformationis ejus evolaverat, jam A. 1525. 1526. & 1531. commercium literarium inſtituerint Itali quidam viri optimi, quippe quod ante omnia discimus ex Literarum ab ipſis *ad Zwinglium* datarum reliquiis, quæ uti inſolitæ eo ſeculo *eruditionis Zwinglianæ* ſunt documenta ἀναντιῤῥητα, ita ſimul *Lucis Evangelicæ apud Italos* denuo exortæ teſtimonium præbent irrefragabile.

Erat inter alios *Ægidius à* PORTA, Comenſis; (eſt autem *Comum*, Territorii ejus nominis in ducatu Mediolanenſi civitas primaria ad lacum Comenſem ſita) qui A. 1525. d. XI. Decemb. ita ſcribebat, ſuumque erga *Zwinglium* te-

„ y penſer mal de la conſervation des Lutheriens Francois
„ &c. Cf. BÆL. tit *Navarre.*

a) Sic igitur *Laderchius* omnino *Flaminium* nobis delineat *hæreticum*, quem *Ang. Maria Quirinus* Cardinalis, Pontificiis ſuis accenſet, ne in Viro præclaro gloriari queant Proteſtantes. Enimverò præclari hujus Itali religionem ab omni calumnia & ſuſpicione liberavit Cl. SCHELHORNIUS in Amoen. Hiſt. Eccl. T. II. à p. 1—180.

Digitized by Google

tenerrimum animi teſtabatur affectum, ut doctrinæ ſinceritatem atque ab omni fæce Pelagiana quæ Papismum infecerat, purificationem proderet, ac conſilium ejus ſimul expeteret, ac quid ipſis in ea in qua verſabatur animi convictione de Pſeudo-catholica religione, eſſet faciendum, exquireret. *a*)

„ Annus nunc agitur quartus ſupra decimum, quo zelo
„ quidem mea ſententia pio, tamen non ſecundum ſcientiam,
„ ſubduxi memet à parentum patrocinio, cucullumque ni-
„ grum, quem Auguſtinianum ferunt, ex animo ſuſcepi,
„ ratus cum Pelagianis ſalutem operibus meis mihi poſſe
„ parare. Dedique operam, ut ſi non fierem vel doctus
„ vel pius, certè pro docto ac pio haberer, in tantumque
„ egi, ut jam ſeptennio fungar evangelizandi verbi divini
„ munere, proh! pudor, in quanta literarum bonarum igno-
„ rantia. Ego non quod Chriſtum ſaperet, ſapiebam. Ni-
„ hilque fidei, omnia operibus tribuebam. In his confidere
„ audacter ac ſtrenuè docebam. Et quis recenſeat venena,
„ quæ & ego in agro Dominico ſeminavi? Sed noluit
„ bonus Deus, ſervum ſuum perire in perpetuum, proſtra-
„ vitque me penitus. Neque amplius lumen oculorum me-
„ orum mecum eſt, neque muta reliquit labia; quin potius
„ ad ravim usque clamavi: *Domine, quid me vis facere?*
„ Tandem audivit cor meum egregiam illam vocem: *Ingre-*
„ *dere ad Huldrium Zwinglium*, & *ipſe te inſtruet,*
„ *quid oporteat te facere.* O præclaram vocem! Senſit in hac
„ voce anima mea pacem ineffabilem. Quæſo ne me putes
„ ludere. Tu enim, imo, non Tu, ſed per Te erüet me
„ Deus de laqueo venantium. Ut quid dico, ego, me?
„ Quia ſpero fratres aliquot mecum adducere &c.

Atque idem ille, omnis ἐθελοθρησκιας à Pontificiis inductæ pertæſus, Anno ſequenti 1526. d. xv. Decemb. cum jam alia multa non minus piè quam graviter ſubmonuiſſet, ita per-

a) Vid. HOTTING. in Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. Tom. II. p. 611. 612.

Digitized by Google

pergit: „ Sub hæc, confratres nonnulli, Viri certe & pie-
„ tate & eruditione nequaquam contemtibiles, voto quodam
„ divino æſtuantes, efflagitarunt, quotidieque efflagitant,
„ quò te non rogarem modo, ſed obſecrarem, imò per De-
„ um adjurarem, ſicut & facio, ut inter tot ac tantas oc-
„ cupationes tuas vel horulam quoque nobis accommodan-
„ dam ſuffureris. Quo quidem tempore ad noſtri Ordinis
„ ne dicam Sectæ Rectores ſcribas Epiſtolium rationibus qui-
„ bus poteris validioribus eosdem avellens à tantarum legum
„ ſylva ſeu farragine. Ita tamen cautè, ne videaris eos ig-
„ norantiæ accuſare. Sunt quippe faſtuoſiſſimi, ob idque
„ ſua nervea colla rotarent. Proinde è ſcripturis exempla
„ aliqua ob oculos appone, quibus intelligant, vel, quam
„ Deo arrideat Verbum ſuum impermiſtè ſeu pure prædica-
„ tum, vel, quanta indignatione illud idem adulterantes &
„ ſua pro divinis inducentes, perſequatur &c. Comi ex ædi-
„ bus divi Auguſtini. *a*)

§. XXI. Verum etiam, *Balthaſar* FONTANA, Carmelitanus Monachus, apud Locarnenſes, toti Eccleſiæ Germanicæ, vel, ſi mavis, Helvetiæ Germanicæ, tum temporis inſcripſit Epiſtolam, commemoratione dignam, quam nobis ex *reliquiis Zwinglianis* conſervavit HOTTINGERUS; *b*) In ea Italiam nobis repræſentat ſub jugo ſuperſtitionis graviſſime gementem, & ad libertatem Evangelicam adſpirantem, porro, ſe ſuosque, fratribus Germanis, vel potius Helvetiis, de meliori nota commendat, ac inter alia, ut *Huldr. Zwinglii* ſcripta transmittere velint, omni niſu, ſuo ſuorumque nomine contendit: *Lacrymoſis ergo ſuſpiriis, degentes in tenebris obſecramus humiliter, ut Vos, qui titulum, volumina, & ſcientiarum auctores bene noſtis (certi enim ſumus vobis datum eſſe noſſe myſterium regni Dei) præcipuè Opera omnia diviniſſimi Zwinglii &c. nec non &*

 ali-

a) HOTTINGER. loc. cit. p. 616. 617.
b) HOTTING. loc. cit. p. 619. 620.

Digitized by Google

aliorum electorum doctorum, si qui sunt, ad nos, pecuniis nostris mediantibus, penes magnificum Jacobum Werdmyller transmittere dignemini. Eja igitur . . . . . ut civitas quædam Lombardiæ a) servituti Babylonicæ tradita, quæ Jesu Christi Evangelium huc usque non novit, liberetur, satagite. Confœderati, conjunctique in expeditionem veritatis tres tantùm numero sumus &c. Ex Locarno Kalendis Martiis 1531.

§. XXII. Cum verò, Germanorum, qui (uti diximus) in Italiam bellatum veniebant, permulti, Doctrinæ emendatæ semina jam imbibissent, atque ita eveniret, ut multi quoque Itali, in diversis provinciis, non tantum Laici, verum etiam Ecclesiastici & Regulares ea imbuerentur, adeò ut ne quidem à publicis sermonibus & scriptis ut eandem ad alios transferrent, abstinerent; Factum est, ut CLEMENS Pontifex huic Evangelii progressui obicem ponere adgrederetur, sicque A. 1530. d. 15. Januarii Bononiæ existens Rescriptum b) daret, ad *Paulum Butigellam* Ordinis Fratrum prædicatorum Vicarium generalem, & in Ferrariensi ac Mutinensi dioecesibus hæreticæ pravitatis Inquisitorem, quo ut diligenter in eos & aliorum ordinum Religiosos qui in eam fecesserant sententiam, inquireretur, præcipit.

Neque autem Veritatis Evangelicæ cupidi tantum permulti inter Italos, deprehendebantur, sed &, cum in ea eruditi essent,

a) Intelligit civitatem *Locarnensem*, de qua dubioque quædam dicenda erunt.

b) Vid. SPONDAN. Annal. Ecclesiast. Tom. I. ad Ann. 1530. fol. 406, 407. ex *Bullar. Magn.* Tom. I. fol. 681. Certe iisdem pæne verborum formulis hæc describit SPONDANUS l. c. nisi quod Evangelicam veritatem, appellet hæreticam pravitatem, atque de Italorum loquatur infectione, quam nos salutiferam dicimus informationem: Verba autem ipsius Bullæ, notabile illud de Incremento Evangelii in Italia exhibent testimonium, quod jam §. VI. à nobis quoque est adductum.

essent, tenaces & constantes, quique confirmatiores facti, alios etiam confirmare allaborabant, sicque animum addere scriptis suis Reformatoribus nostris satagebant. Quæ res singulari eoque notabili comprobatur Exemplo, quod reticere nefas esset, inprimis cum ad exemplum faciat, ac miram causæ fiduciam animique in veritate obfirmati constantiam arguat, &, quam qui pro salute est, neminem delassare debeat labor.

Percrebuerat scilicet fama *a*), cum Legatus Pontificius, *Campegius Cardinalis* in Germania versaretur, ibique in Comitiis Augustanis 1530. causam Pontificiam apud Ordines, Electorem Saxoniæ & Reformatores ageret, *Philippum* MELANCHTHONEM, (cujus alioqui timidiusculum satis notum erat ingenium) eò delapsum esse humilitatis ac submissionis, ut Campegio supplex factus, illi & Pontificis sapientiæ se & sua submisisset: Rumor igitur ille, cum Venetias (ubi tum non pauci fuisse dicuntur *Reformationis à Luthero* tentatæ, assecłæ) delatus esset, *Lucius Paulus* ROSELLIUS, è vestigio, in documentum propensissimi sui in Evangelium apud Germanos puritate sua restitutum, animi, tam piam, quam eruditam ad ipsum conscribere Epistolam *b*), qua, ne

E 2 vel

a) Vid. SECKENDORF L. II. §. LXXIII. pag. 189.

b) Hanc Epistolam nobis conservavit *Georg.* CÆLESTINUS in Actis Comitiorum Augustanorum Tom. II. fol. 274. unde eam propter rei memoriam depromimus;

Eximio Viro *Phil.* MELANCHTHONI.

Talis & tanta est nominis tui apud nos celebritas, tantaque doctrinæ & humanitatis fama, ut multi velut te amare tibique favere cogantur, præsertim hi qui veritatem Evangelicam, cujus tu acerrimus defensor existis, amplectuntur. Inter cæteros autem tuarum virtutum tuæque gloriæ admiratores, ego unus non te potui non observare, non colere, non suspicere & maximis cum viris ad astra non tollere. Cumque ob locorum intercapedinem, quæ nos disjunctos facit, tua non potuerim frui consuetudine, tuorum tamen libellorum lectione

vel animum desponderet, vel stationem desereret, validissimis in medium adductis argumentis eum hortabatur; Atque inter alia: *Hæc si vera essent* (scribit Italus ille,) *pessime profecto, cum Evangelio, cumque his, qui tui Lutherique causa Evangelio adhæserunt, ageretur.* Hortatur eum de-

one animum meum sæpenumero oblectavi, quibus profecto adeo oblector, ut nullus cujusvis auctoris liber adeo meo arrideat animo, ac tui isti libelli, qui hactenus in lucem prodierunt.

Cæterum, cum nuper à Georgio Curione, tibi summa charitate & conjunctione devincto acceperim, Te Augustæ esse, honoris Christi veritatisque Evangelicæ defendendæ & tutandæ adversus impios quosdam lupos, Christianarum animarum devoratores, gratia; Visum est mihi, has meas ad te dare, teque hortari, ut Provinciam hanc Evangelicæ veritatis defendendæ, præsenti quidem animo susciperes, neque Imperatoris aut Pontificis vel alius cujusdam mortalis, sed solius immortalis Dei, rationem haberes.

Et, licet compertum habeam te satis sponte, ad hujusmodi obeundam provinciam incitatum esse, nullaque egere alterius adhortatione, tamen cum hic varii de te rumores, circumferantur, ab his præsertim qui Pontificio idolo favent, affirmantibus scilicet, Te Ικτεην factum Cardinali Campegio Legato Pontificio, teque tuaque omnia judicio & sapientiæ Pontificis maximi subjecisse, non potui te de hujusmodi re non monere. Nam, si vera essent, quæ de te in vulgus proferunt Papistæ, pessimè profecto cum Evangelio, cumque his qui tui Lutherique causa Evangelio adhærent, ageretur. Scias igitur, Italos omnes expectare Augustensis hujus vestri Conventus decreta. Quidquid enim in eo determinatum fuerit, id cæteræ omnes Christianæ provinciæ approbabunt & Imperatoris præcipuè auctoritatem magni facient. Tua igitur cæterorumque qui isthic adestis, Evangelii tutandi causa maximè refert, id strenuè facere, neque minis aut metu loco discedere, neque prece aut precio Christi vexillum deserere.

Te igitur, tanquam omnium Evangelicorum caput exercitusque Evangelici præfectum rogo atque obsecro, ut nihil omit-

Digitized by Google

deinde pluribus, ut fortiter agat, addens: *Etsi mors tibi subeunda fuerit; ad Christi gloriam*, eam ne expaveſcas, quæſo, quandoquidem *ſatius ſit mori cum laude, quam vitam cum ignominia ducere.*

Extat vero etiam altera quædam *Epiſtola* ROSELLII ad eundem MELANCHTHONEM *a*), eodem menſe eodemque anno data, ubi monitioni ſuæ inſiſtit, & Melanchthonis ad Campegium datam (uti ferebatur) Epiſtolam, ipſi transmittit, ſimul vero etiam inquirit, num verè *Philippus* eandem, (quod comprobatum tamen eſt nunquam) conſcripſerit, eumque in tali caſu inproviſo hortatur, ut tantò ardentius veritatis cauſam ſuſcipiat ac tueatur, quantò illa Epiſtola videretur remiſſior, nec ſatis cum ejus virtute & conſtantia conciliari poſſet: *Si vero*, (ita ſcribit) *ut plerique tui amantes ſcribunt, aliena eſt; hominum raſorum malignitatem expendas, qui tibi ea adſcribunt, quæ Chriſto, verisque Chriſti defenſoribus dedecori ſunt. Te igitur oro & obſecro, ut cum iſtorum inſulſam diligentiam, eorumque improbam animi malitiam cognoveris, velis ardentius eorum iniquitatibus reſiſtere, ipſorumque calumniis reſpondere..... Nihil enim virtute duce, ſed fraude ac dolis conſequi ſtudent. Quod ſi feceris, virtutis tuæ lumen ubique gentium eluceſcet &c.*

omittas, quod ad ſalutem cujusquam pertinere videatur. Etiamſi mors tibi ſubeunda foret, ob Chriſti gloriam, eam ne expaveſcas quæſo, quandoquidem ſatius ſit mori cum laude, quam vitam cum ignominia ducere. Maximum enim tibi apud Dominum ſeſum Chriſtum comparabis triumphum, ſi cauſam ejus juſtiſſimam tutatus fueris, ad quem quidem adipiſcendum, te non parum adjuvabunt multorum orationes & preces, qui de die noctequæ Deum Opt. Maximum rogant, ut rem Evangelicam bene vertat, & per ſanctum ſuum ſanguinem, te cæterosque Evangelicos viros ſervet. Vale & Chriſti cauſam ne deſeras. Venetiis d. 3 Kal. Auguſti anno 1530.

T. LUCIUS PAULUS ROSELLIUS.

a) Apud CÆLESTINUM lib. cit. Tom. III. fol. 18. a. b.

Digitized by Google

§. XXIII. Ut ſe res habeat, cum *Balthaſaris* FONTANÆ, Locarno ad Helvetios ſcriptam Epiſtolam §. XXI. recenſuerimus, ut paucis quo pacto *Inſubrum* oræ miro Evangelii ſplendore fuerint illuminatæ, perluſtremus, operæ erit pretium.

Eſt inter *Præfecturas* Helvetiorum ita dictas *Italicas*, quas in confiniis Rhætorum & Mediolanenſium habent, etiam *Locarnenſis*, oppido quodam ad lacum Verbanum ſito, *LOCARNUM* dicto, conſpicua.

Hæc, æque ac reliquæ, *Luganenſis*, *Mendriſienſis*, & *Mediavallenſis*, Helveticæ Civitati, jam tum A. 1512. duodecim pagis conſtanti, in poteſtatem erat tradita, ita ut Pagi, unoquovis biennio, novum illuc mitterent Dynaſtam, ſive Præfectum, qui ipſorum nomine in *Locarnenſes* pariter et in reliquos exerceret Imperium, quod in hunc usque diem *a*) continuari, notum eſt.

LOCARNENSES, quod eſſent mercaturæ dediti, ſicque non cum Germanis ſolum & Helvetiis, ſed & cum Italis ſuis haberent commercium, præterea verò etiam, per vices, præfectos haberent ex *Helvetiæ* paulo poſt *Reformatæ*, *Tigurinorum*, *Bernenſium*, *Scaphuſanorum*, & *Baſileenſium* pagis (tametſi alioqui Pontifici Romano eſſent addictiſſimi, tamen) ad librorum Evangelicorum notitiam ac lectionem utcunque devenerant, atque ex iis, quod aliter fieri nequibat, quædam veritatis ſemina perceperant; Uti igitur, numero licet admodum pauci, pontificiarum næniarum pertæſi, Veritatem ex Scripturis lingua vernacula lectis hauriebant, amplectebantur, eamque quantum in ipſis erat, non verebantur aliis inſtillare, ut quandam fidelium veluti haberent congregationem.

Inter eos, qui eam colligebant, cumprimis *Baltaſar* ille erat *Fontana*, ex Carmelitarum ſecta verè religioſus (V. §. XXI.) Huic pauci quidam, ſed quorum nomina poſteritatis me-

a) Vid. Joh. SIMLER von der Eydgenoſſchaft p. 366. 367.

Digitized by Google

memoriæ ſubtracta ſunt, ſe jungebant, usque dum A. 1546 *Benedictus* LOCARNUS, itemque *Varnerius* CASTILIONÆUS & *Johannes* BECCARIA *a*), aliique indefeſſo ſtudio ac diligentia tantum brevi promoverent, ut fere unius quadrienni ſpatio ad numeroſam quandam frequentiam: *cœtus Locarnenſis* accreſceret, novamque nobis, veluti ſiſteret Eccleſiæ cujusdam faciem.

§. XXIV. Tum verò Pontificii, qui tenebris ſuis obvoluti nihil minus quam veritatis lucem perferre didicerant, quovis modo has favillas extinguere, eumque in finem operâ Dynaſtæ (qui eo biennio *Subſylvanus* erat, ſive, *Untervaldius*, Evangelio infeſtus) abuti non negligebant.

Hi igitur, primò colloquium indicere, inter Sacerdotem Luganenſem, qui Pontificiorum partes tuebatur, & *Joh.* BECCARIAM, Doctorem Locarnenſem, qui ſocios habebat *Ludovicum* RUNCHUM & *Thaddæum* à DUNIS.

Sed, hoc colloquio non ad Pontificiorum nutum & voluntatem compoſito, converſum eſt ad perſecutiones, quarum atrocitas, ita annis non ita multis poſt, & cumprimis A. 1554. in nervum erumpebat, ut tandem anno ſequenti decretum à Pagis Pontificiis, quibus ſe opponere nequibant reliqui, formaretur, quò „ piis hominibus injungebatur, ut quotquot „ ſe à priſtinis ſacris abalienaverant, ad ſacra Romana re„ verterentur, vel patria excederent, ea ſub lege & condi„ tione, ut nec Locarnum unquam redirent, nec in ſeptem „ Pontificiorum pagorum ditione tolerarentur.

Quæ res, poſt magnum dolorum & lacrymarum cumulum, variasque Confeſſoribus illatas injurias, triſtiſſimam eam habuit

a) Conf. *Tempe Helvetica* Tom. IV. pag. 111—202. Ubi non ſolum Joh. de MURALTO Oratio legitur *de Perſecutione Locarnenſi* A. 1550—1555. ſed &, variis alia rem *Locarnenſem* concernentia exhibentur Monumenta ex *Epiſtolarum autographis* ſollicitè excerpta, atque ad eorum temporum faciem nobis repræſentandam facientia.

buit eventum, ut media hyeme, numero fere *centum & quinquaginta*, *a*) patria emigrare, ſalvis tamen facultatibus ipſorum, cogerentur, niſi in carceris ſqualore verſari, vel in ſuppliciis mori vellent.

Hi igitur, cum nec à *Mediolanenſibus*, qui tutum ipſis perfugium denegabant, recipi poſſent, nec à reliquis *pagis Pontificiis*, niſi quod bimeſtre ſaltem commorandi ſpatium ipſis in *Rhætorum Alpibus* concederetur & eorum quidam doloribus fracti illic permanerent, tandem ineunte vere anni ſequentis *Tigurum* appellebant, ac à Tigurinis comiter excepti, prima ITALICÆ ECCLESIÆ *b*) apud Tigurinos fundamenta ponebant.

Uti *Orelliorum*, *Magoriorum*, *Muraltorum* &ſim familiæ, *c*) etiamnunc apud Tigurinos florentes ac vigentes, abinde ſuum habent ortum.

Interea, primus qui ipſis tum dabatur Verbi divini miniſter, erat *Bernardinus Ocellus*, ſive OCHINUS, Senenſis, de cujus miniſterio, doctrinia, fatis ac exilio deinceps quædam recurrent.

§. XXV. Quæ circa Doctrinam Evangelicam eo fere tempore in *Tractu Avenionenſi* & *Comitatu Venaſcenſi* (Venaiſſy) Pontificiæ Jurisdictionis in confiniis Galliæ Narbonenſis, vel promotam, vel disjectam, contigerunt, licet propriè ad Italiæ Reformationem non faciant, tamen & propter ſententiarum diverſitatem, &, quod ab Italis, altero, Pontifice Romano, altero, Epiſcopo Carpentoractenſi, *Jacobo Sadoleto* agerentur, non indigna ſunt relatu; Referunt *d*) ſcilicet, PAULUM III. Pont. Romanum *Jacobo* SADOLETO,

a) Vid. *Obſervat. Select. Halenſ.* Tom. IV. p. 420. 421.
b) Conf. SIMLER in Vita Bullingeri p. m. 28. uti de Locarnenſium miniſtris plura habet Cl. HOTTING. in Helvet. Kirch. Geſch. p. 762. 763.
c) *Tempe Helvetic.* loc. cit.
d) RAYNALDI Annal. ad ann. 1539. §. 33. 34. fol. 111.

Digitized by Google

LETO, qui Episcopatum illius regionis *Carpentoractensem* administrabat, d. 5 Junii mandasse, „ ut pro pietate sua, „ & qui celebribus scriptis suis religionem catholicam ad- „ versus hæreses non semel defenderit, illas extingueret, to- „ tamque regionem ab illis purgaret, data ei potestate „ puniendi, qui culpabiles reperirentur;

Cui Pontificis mandato equidem *Sadoletus* ita obtemperandum sibi duxit, ut quoque ad Nepotem Pontificis Cardinalem Farnesium Epistolam d. VI. Kal. Aug. daret, in qua, *se die & noctu sollicitum esse*, scribit, *ut caveat, ne hæretici in ditionem Pontificiam se conferant: & refert, eos vix in vicinia consistere audere, animatis contra eos Parlamentis regiis, Aquis Sextiis, Tolosæ*, & *Gratianopoli*. Addit tamen, „ se „ potestate in Pontificio diplomate concessa non facile usu- „ rum, cum validiora sint remedia, veritas ipsa, & man- „ suetudo Christiana, quâ errorum confessio corde magis „ quam ore prolata exprimatur. Quæ & ipsa Epistola à *Raynaldo*, loco citato exhibetur, licet meritò dubitemus, an iis, quæ *Sadoletus* præscribebat multum fuerit in extirpandis illis hæreticis profectum. *Sadoleti* tamen pium & mite ingenium in illa ipsa causa Thuanus laudat.

Produxerunt ad eundem annum RAYNALDUS & SPONDANUS, Sadoleti ad Farnesium aliam Epistolam, qua Pontificem reprehendit, „ quod, cum Lutheranos persequatur, „ Judæis nova indies privilegia in ditione Avenionensi con- „ cedat, quibus ad injurias subditis inferendas veluti armen- „ tur, & inter hos ut lupi grassentur. *Quomodo*, ait, *hoc accipi putatis à regionibus trans Alpes?* Et, post pauca: *In tantane defectione animorum, omnium jam à nobis gentium (plane enim dico omnium, quod ego ita esse intelligo, vos haud ita sentitis, propterea quod auribus vestris vulgo homines blandiuntur) in tantane inquam defectione omnium, & prope execratione authoritatis ecclesiasticæ, magno*

Digitized by Google

reipublicæ præſidio putatis, ſi ſic alueritis, ſi ſic extuleritis Judæos. a)

Hanc Viri inter Cardinales, ob eruditionem, moderationem & pietatem laudatiſſimi confeſſionem, de univerſali odio orbis terrarum in regimen Pontificium, neſcio an ſatis caute, produxit tamen RAYNALDUS, *b)* quæ opponi poteſt Paraſitis Aulæ Romanæ veteribus & novis, qui ſolius Lutheri ferociæ, vel, aliis etiam cauſis magis adhuc frivolis, tribuunt, quod tot Gentes dominatum illum excuſſerint. Sed, hæc veluti per tranſennam!

§. XXVI. Interea temporis, in meditullio quoque Pontificii dominatus, BONONIÆ nempe, (non obſtante Bulla Pontificia, de qua §. XXII. & §. VI. not. *(b)* pag. 9.) erant A. 1533. inſignes Viri, ac Reformationis ſtudioſiſſimi, qui *Johanni Planitio* Electoris Saxoniæ Legato, in aula Cæſaris ibi tum agenti, deſideria ſua, *de convocando Concilio libero & Chriſtiano, de proferendis in apertum Confeſſionibus ſuis, de permittenda unicuivis S. Scripturæ lectione, & doctrinæ ſuæ ad normam Chriſti & Pauli exactione*, oretenus & per literas ſignificabant: Hæ cum ſint digniſſimæ, ut ad poſteritatem transmittantur, operæ pretium fecit Ill. SECKENDORFIUS *c)* eas operi ſuo pulcherrimo inſerere, unde eas decerpere, atque ad hæc collectanea noſtra referre, non minus operæ pretium facturos nos judicavimus. Sic enim eorum quosdam. Nonis Januarii 1533. ad Legatum illum Electoralem ſcripſiſſe leguntur:

„ Etſi non nihil verebamur, ne forte videremur impru-
„ den-

a) Conf. SECKENDORF. Lib. III. §. LXXV. fol. 244. *b.*

b) RAYNALD. l. c. fol. 112. SPONDAN. in contin. annalium Baronii ad a. c. fol. 460.

c) Vid. SECKENDORF. L. III. fol. 68. *b.* & 69. Qui ſimul, quam eas Dresda acceperit, annotat, & quam verſionem tamen earum Germanicam in Archivo Vinarienſi invenerit, ut de fide earum dubitari non poſſit.

Digitized by Google

„ dentiores, ſi humiles nos idioteæque, magnum Te, magni
„ Principis Legatum, & magnis de rebus cum ipſo Cæſare
„ agentem, aliquo pacto interpellaſſemus. Tua nos tamen,
„ excellens vir, nobis cognita humanitas, & Germaniæ
„ omnis, tuæque præſertim Saxoniæ, in ſanctum Evange-
„ lium amor, toto jam Chriſtianorum orbe multis perſpe-
„ ctus argumentis, fecit, ut nullo prorſus timore, quin
„ imo audacter decreverimus, & ad de literas dare, & coram poſtea te domi convenire, tecum iis de rebus fa-
„ miliarius locuturi, quæ ad tuæ Legationis cauſam non
„ parum nobis videntur pertinere.

„ Siquidem, non modo apud nos, qui Chriſti Evange-
„ liique gloriam maximè illuſtrare cupimus, verum etiam
„ apud alios, qui hanc ipſam miſere obrutam abolitamque
„ vellent, id pro compertiſſimo habetur, ideò à Principe
„ tuo verè Chriſtianiſſimo, maximoque Evangelii defenſore,
„ miſſum eſſe ad *Carolum Cæſarem clementiſſimum*, *ut is*,
„ quippe Catholicus & Romanorum Imperator, Catholicæ
„ fidei, ſanctæque matris Eccleſiæ miſertus, *Romanum*
„ *Pontificem accendat ad Concilium*, *quod quidem pro om-*
„ *nium Eccleſiarum inſtauratione*, *ſummis votis precibus-*
„ *que*, *à piis omnibus multis jam annis expectatur.*

„ Quod ſi ita eſt, ut ita eſſe confidimus, maximam vo-
„ bis omnibus gratiam habemus, & tibi, qui in Babylonicas
„ has terras venire ſuſtinueris, & Germaniæ omni, quæ hoc
„ Concilium pro ſuo jure poſtulat, & tuo præcipuè Evangelico
„ Saxonum Principi, qui animis tam ardentibus Evangelii &
„ omnium fidelium defenſionem ſuſcepit, ut non contentus
„ Saxoniæ ſuæ, Germaniæque univerſæ, Chriſtianam gra-
„ tiam & libertatem revexiſſe, parum ſibi feciſſe videatur,
„ niſi & *Britanniæ* & *Galliæ* & *Hiſpaniæ* & *Italiæ* & ali-
„ arum denique gentium Eccleſias in eandem gratiam & li-
„ bertatem reſtituat.

„ Nos etenim illud probè ſcimus, parvi veſtra Germanorum

„ referre, id cogatur Concilium nec ne, quippe *qui vosmet* „ jam dudum, uti fortes fidosque decet Christianos, ab Antichristi tyrannide, excusso jugo, *in liberum sanctumque* „ *Jesu Christi regnum*, *asserueritis*, *quique passim*, *quæ*„ *cunque velitis*, *legatis*, *scribatis & palam etiam prædi*„ *cetis*, omnium Prophetarum spiritus simul & audientes & „ dijudicantes, juxta Apostolorum præceptum. Scimus & „ illud, vos ne tantulum quidem commoveri, quod intolerabili alioqui hæreseos crimine insimulemini, quin vos id „ ipsum lætitiæ æternæque gloriæ materiam existimare, quod „ digni habiti sitis, qui primi pro nomine Jesu contumelias, carceres, ignes denique & gladios subiretis. Itaque „ perspicuum est, vos, dum tam sollicite Synodo huic cogendæ advigilatis, haud vestra Germanorum commoda „ spectare, sed, regulam sequentes Apostolicam, aliorum „ populorum commodis salutique consulere.

„ Quare omnes Christianorum provinciæ se plurimum vobis „ debere profitentur, *nostraque hæc* præcipuè *Italia*, quæ „ quanto propius subest aulæ tyrannicæ, vel ut verius loquar, „ cum ipsum intra se & contineat & foveat tyrannum, tanto „ magis vestrum divinum agnoscit Liberationis beneficium.

„ Nos itaque, tametsi te ad id negotii satis & incitatum esse „ & inflammatum videmus, ut nihil opus sit te tui officii admonere, tamen, ut equo quod ajunt currenti calcar adsit, „ te oramus, obsecramus & per Christianam fidem obtestamur, „ ut apud piissimum Cæsarem nihil non tentes, nullum non „ moveas lapidem, quo *utilissimum necessariumque* hoc *Concilium* tandem exoretur; quod quidem facile fiet, *quum* „ *facillimus & benignissimus Imperator noverit*, *in nobilissimis etiam* Italiæ urbibus, *atque in ipsa adeo* Roma, *à* „ *pluribus piis*, *doctis*, *& honestissimo*, *si quid id ad rem* „ *facit*, *loco natis*, *concilium*, *peti*, *postulari*, *expectari*, „ erumpentibusque *interdum summis vocibus clamari*, *quorum bonam partem huc advolaturos certe scimus*, *ubi te* „ *hac de causa Legatum venisse cognoverint.* „ Et

Digitized by Google

„ Et quemnam quæſo majorem ſibi triumphum parare queat
„ CAROLUS Imperator invictiſſimus, quam ſi per ipſum
„ fiat, ut expugnata proſtrataque & abolita impietate, Chriſti
„ imperium, lex, & eccleſia, triumphet? Aut, quæ major
„ felicitas Cæſari feliciſſimo contingere unquam queat, quam
„ hanc tantam inſtauratæ Eccleſiæ felicitatem Chriſtianis
„ omnibus exhibere? Neque verò credimus humaniſſimum
„ Pontificem id usque adeò recuſaturum. Homo eſt, &
„ ipſe, poteſt, ſapientis more, ſua conſilia melioribus ſar-
„ cire, poteſt vitia, quæ non ipſius, ſed prædeceſſorum &
„ temporum culpa in Chriſti eccleſiam irrepſerunt, nunc
„ penitus facile feliciterque abolere: qua quidem re, quid
„ illi commodius poſſet contingere, ad conſequendum &
„ apud homines & apud divos, & apud Chriſtum ipſum,
„ vitam, gloriamque ſempiternam?

„ Denique, vel illud ſperamus, non invitus dederit, quod
„ & æquiſſimum eſt, quod & Apoſtoli ſanctique Patres ſta-
„ tuerunt, ut omnibus videlicet liceat omnium Confeſſiones
„ inſpicere, ſiquidem juſtus non ad acta aliena, ſed ſua ipſius
„ fide eſt victurus, alioqui fides profecto fides non eſſet.
„ *Neque* enim *perſuaſio*, *quæ in corde divinitus non naſci-*
„ *tur*, *perſuaſio eſt*, *ſed violenta potius & coacta impul-*
„ *ſio*, *quæ quidem quam ſit ad ſalutem inutilis*, *vel lippis*,
„ *& infantibus*, *vulgato proverbio eſt apertiſſimum.*
„ Quodſi tamen adhuc ſæviat Satanæ malignitas, ut id ſta-
„ tim impetrare ſit admodum difficile, illud certe interea
„ lubentiſſime donabit, ut ſcilicet nec inter monachos nec
„ laicos *Bibliorum opus emere*, hæreticum habeatur, nec
„ aut *Chriſtum* aut *Paulum* interdum citaſſe, *Lutheranum.*
„ Nam, id ſæpe proh dolor! proh loci ſancti deteſtanda
„ abominatio! accidit, & quodnam Antichriſti regnum eſt,
„ ſi hoc nunc non eſt? cum Chriſtiana lex & gratia, &
„ doctrina, & veritas, & pax, & libertas tam aperte op-
„ pugnantur, conculcantur, modisque omnibus eliminantur.

Digitized by Google

„ Sed ne hæc tecum, qui ſatis nimisque omnia noſti, lon-
„ gius deploremus; te illud unum per Dominum obſecra-
„ mus, ut manibus pedibusque omnia obnixe efficias, ne aut
„ tu fruſtra huc profectus videare, aut nos noſtrosque vana
„ ſpe animos lactaſſe. Magis verò libet meliora ominari:
„ omnino enim futurum confidimus, ut aliquid, adjutore
„ Deo, boni ſtatuatur. Quare tu rem perge magno animo
„ efficere. Nos, ſi quid opus erit noſtra opera, tibi nus-
„ quam profecto deerimus, & fortunarum & capitis pericu-
„ lum pro Chriſto, ſi res poſtulet, adituri.

„ Interea id, quod ſolum licet, perquam facimus libenter,
„ teque & negotium tuum, noſtrum, imo Chriſtianorum
„ & Eccleſiarum omnium, puris illi precibus commenda-
„ mus, qui ſe nobiſcum una ad conſummationem uſque
„ ſeculi futurum pollicitus eſt. Vale in Domino, Domine
„ & frater noſter optatiſſime, vereque felix & Apoſtolice
„ Legate. *Bononiæ* Nonis Januariis, Anno partus ſalutiferi
„ MDXXXIII. "

§. XXVII. Scilicet, multus erat ubique ſermo, non ſolùm per omnem *Italiam*, ſed & per univerſum *orbem Chriſtianum*, inter maximos, medioximos, imos, Principes, Magiſtratus, Cives, Eccleſiaſticos, Politicos, de inveniendo commodo diſſidia religionis componendi medio, ac convocando CONCILIO quodam GENERALI, in quo Emendationis Eccleſiaſticæ ratio, cum circa doctrinam tum circa diſciplinam accuratius definiretur, ſi vel ita, irarum quæ ſe exſerebant æſtus quodammodo deferveſcerent, ac in mutuam concordiam coirent diſſentientes.

Pontifex autem CLEMENS VII. cujus tamen cum maximè intererat rem Chriſtianam promovere, ab ejusmodi Concilio pariter ac a Reformatione omni Eccleſiaſtica abhorrens, quò illam Sedi papali imminentem, uti verebatur, plagam præverteret, omnia tentare non deſiſtebat, ſicque jam *anno* ejus ſeculi *triceſimo* animum induxerat mittendi ad Regem Roma-

Digitized by Google

manorum *Ferdinandum*, Legatum quendam, eumque *Petrum Paulum* VERGERIUM *a)*, Jureconſultum (conf. §. IV.) rebus gerendis atque ad nutum Pontificis dirigendis idoneum, cum ampla quidem poteſtate, ſed expreſſo ante omnia mandato „ provideret, ne Concilium quoddam in „ Germania cogeretur, quin imò, apud Ferdinandum mani„ bus pedibusque omnia obnixe ageret, ne ejus generis „ actio inſtitueretur.

Neque malè tunc is rem gerebat, quin potius ſibi commiſſum munus diligenter exſequebatur, Lutheranis ita dictis inimicus, in *Jo. Fabrum*, *Eckium*, *Cochlæum*, *Nauſeam*, aliosque Lutheri adverſarios munificus & liberalis, deditque cumprimis operam, ut quam longiſſimè tempus duceretur, unde triennio poſt, nova quoque à Clemente reciepebat mandata *b)*, quibus ipſi injungebatur, ut cum Jo. Friderico Saxone, magno Evangelicorum patrono preſſius ageret, ac omni niſu impediret, ne ad neceſſitatem convocandi Concilii adigeretur ipſe; Quam in rem peculiaris quædam atque arcana ipſi præſcripta erat agendi formula, cui diligenter inſiſteret, & à qua ne latum quidem unguem diſcederet.

Et, quanquam haud ita multo poſt, à PAULO III. Clementis ſucceſſore, Romam revocaretur *Vergerius*, ut de rebus Germaniæ referret, tamen altera vice quod fuerit miſſus in Germaniam docemur, *c)* novo eoque aſtuto conſilio, ſed eo cum mandato expreſſo, „ ut Generale nunc quoddam „ Concilium promitteret, idque daret operam, ne quid „ aſtute vel captioſe fieri putaretur, quod Clementi nimirum „ acciderat, utque profectus ad omnes Principes, diſertis „ etiam verbis aſſereret, *Mantuæ*, loco, quem ante biennium „ jam

a) SLEIDAN. Hiſtor. lib. VII. ad annum 1530. pag. *m.* 182.
b) SLEIDAN. ſub fin. lib. VIII. p. 234.
c) SARP. in Hiſt. Conc. Trid. p. 65. & in verſione Gall. c. n. Courayerii pag. 137. & SLEIDAN. l. IX. p. 245.

Digitized by Google

„ jam cum Cæſare definiverat Clemens, futurum *Concilium*; „ ac ibi de conditionibus agendum eſſe, diceret, inprimis „ autem adtenderet, quam vellent actionis eſſe formam Pro„ teſtantes, ut, ea perſpecta, modum deinde iis præſcribe„ ret atque leges, quibus minimè venturos eſſe ſciret..... „ videret præterea, num qua ratione poſſent Lutherus atque „ Melanchthon ab inſtituto dimoveri. "

Atque, fuerat Ferdinandus Rex, ſigillatim auctor Paulo, remittendi Vergerii, quod eum præcipue idoneum eſſe diceret, ad munus illud Legati, qui tempus percunctatione conſumeret, feliciter obeundum.

Vergerius tum peculiarem cum *Luthero & Melanchthone* inſtituere, quod in mandatis habebat, collocutionem Witebergæ; de qua tamen ut jam ſpecialiora *a*) referamus, opus non eſt, excepto eo quod A. 1536. ad Pontificem reverſus, inter alia renunciaret. „ De Luthero & ſociis, „ nihil ſpei eſſe reliquum, niſi continuò armis opprime„ rentur.

§. XXVIII Ut ſe res habeat, navatæ operæ ſuæ præmium *b*) eo tempore ferebat *Vergerius*, *Epiſcopatum* Capitis Iſtriæ, quem dicunt *Juſtinopolitanum*; At verò, A. 1541. tertia vice in Germaniam miſſus, in *Conventu Wormatienſi*, quod ad Oratores Principum Germaniæ, qui Wormatiæ convenerant, *de Unitate & Pace Eccleſiæ* *c*) habue-

a) Vid. SARP. Hiſt. Conc. Trid. p. 65-68. Verſ. Gall. p. 139. Sunt autem hæc de VERGERIO inter *Italos Reformatos* deinceps eminenti, tantò magis obſervanda, quod ejus inimici, & cumprimis *Jo. Caſa*, omnem hanc cauſam narratione ſua depravarunt, ac variis Vergerium calumniis proſcindere non ſunt veriti, quas ab eo abſterſit Cl. SCHELHORNIUS, ſingulari eaque eximia *adverſus Caſam pro Vergerio*, diatriba.

b) Vid. SARP l. c. p. 68. verſ. Gall. p. 144.

c) Quæ Oratio Venetiis jam 1542. eſt impreſſa. Conf. SLEIDAN. Lib. XIII. SARP. p. 81. verſ. Gall. p. 169.

Digitized by Google

bueric Orationem, conſtat; In qua potiſſimum id agit, ut doceat, „ non eſſe cogitandum de Concilio nationis Ger„ manicæ, quò vel ſic *colloquium* illud (*Wormatienſe* ſcil.) „ perrumperet, quod ejusmodi Concilium quadantenus re„ ferebat. Interea, licet hac ratione ducendo tempus & nectendo moram, imò diverticula quærendo & effugia, Pontificis rebus mirum in modum inſerviret, atque etiam ſingulari apud Ferdinandum aliosque Principes Catholicos gratia floreret *Vergerius* ille, eſt tamen deinde mirabili quadam occaſione converſus ad Evangelicam Veritatem, nec parum ad Reformationis Opus promovendum, Tyrannidemque Papiſticam denudandam & ſolio ſuo deturbandam, contulit.

§. XXIX. Sed *Concilii* generalis *pro Reformanda Eccleſia* convocandi, quod univerſus fere Orbis Chriſtianus urgebat ſibique poſtulabat, quodque tantopere detrectabat cum ſuis Pontifex, quanta cum aviditate id ab ipſis quoque Italis expectabatur, commemoratio, facit, ut notabile illud, quod ſub nutu & auſpiciis PAULI *tertii Pontificis Romani* ſuſceptum eſt *pro emendanda Eccleſia Romana Conſilium*, inveſtigemus, atque huic ipſi tractationi, quæ non parvam inde fœnerabitur lucem, intertexamus.

Quis enim ignorat, PAULUM hunc A. 1537. magno cum apparatu primarios quosdam, Eccleſiæ Antiſtites, Romam advocaſſe, *Caraffam* & *Corteſium* Venetiis, *Polum* Patavio, *Gibertum* Verona, Eugubio *Fregoſium*, demum è Gallia *Sadoletum*; Quibus omnibus, tres alii, qui Romæ aderant, adjuncti, ſcilicet, *Contarenus*, *Aleander* & *Badia*; Hi igitur ſub auſpiciis Pauli celeberrimum illum conventum conflarunt, quem noviſſimis temporibus tantis in cœlum laudibus evexit Cardinalis *Angelus Maria* QUIRINUS, ut ea propter quoque *Paulum Tertium*, inter optimos ſapientiſſimosque Pontifices, & Eccleſiæ univerſalis Reformatores præ-

Digitized by Google

cipuos, referendum esse, singulari edita Diatriba, *a*) comprobare susceperit:

Neque sane differi possumus, bene omnino egisse & sapienter, PAULUM tertium, qui ab omni parte ad Concilium generale habendum etiam ingratiis propriis urgebatur, quod Consessum virorum sui seculi eruditione, pietate, & prudentia illustrissimorum, convocavit, *ut sententiam de emendanda Ecclesia & Curia Romana indicarent*, modo candide magis minusque simulatè hanc causam tractasset, atque Diploma illud in testimonium sinceri pro Reformatione animi publicasset, ac, non totum illud deinde datum Consilium in spongiam incubuisset; cum nunc alia omnia contigerint.

Neque enim illud Diploma Pontificis unquam fuit vulgatum, *quippe quod* (verba sunt PALLAVICINI Lib. III. 57. 3.) *dum reformari mores jubebat, in iis deformationem inesse, adeoque obtrectationes hæreticorum apud vulgus confirmasset*; neque etiam ulla ad Consilii illius dati nutum, tentata est, vel Ecclesiæ vel Curiæ Romanæ Reformatio.

Sed, Patres illi conatibus suis & consiliis oppido bonis, tametsi non sufficientibus, privati sunt, quod ipse hujus Conventus sanctioris comprobat eventus, in fumum abiens, ac corvos hiantes deludens.

§. XXX. Etenim, conscripserunt hi, *de Reformatione Ecclesiæ* CONSILIUM, ac illud exhibuerunt Pontifici.

In eo (quæ verba sunt Pauli SARPII *b*) triplicem proponunt

a) Extat enim A. M. QUIRINI Diatriba Brixiæ 1745. edita, qua *Imaginem* exhibet *Optimi* (uti habet titulus) *Sapientissimique Pontificis expressam in Gestis Pauli* III. *Farnesii* &c. Cui Ven. KIESLINGIUS Theologus Lipsiensis suam opposuit *Epistolam de Gestis Pauli III. ad Cardinalem Quirinum*. Lips. 1747. 4.

b) SARPIUS in Hist. Concil. Trident. pag. 73. cujus operi etiam totum illud Consilium subjunctum legitur, quod alioquin à *Sturmio*, *Lutbero*, *Vergerio*, aliisque, uti videbimus, est editum. Conf. vers. Gall. Sarpii pag. 153. 154.

Digitized by Google

runt fontem omnium malorum, quæ in Ecclesiam inundassent; *propensionem* Pontificum ad aures adulatoribus aperiendas, eorundem *facultatem* in derogando legibus ecclesiasticis, & *neglectum* mandati, quo præcepit Christus lucrum è functionibus spiritualibus non esse captandum:

Deinde, ad peculiares abusus descendentes observant XXIV. in rerum Ecclesiasticarum administratione; Et IV. in curiæ Romanæ regimine. In ordinatione clericorum, collatione beneficiorum, pensionibus, permutationibus, regressibus, reservationibus, pluralitate beneficiorum, commendis, residentia, exemtionibus, deformatione ordinum regularium, ignorantia prædicatorum & confessariorum, licentia excudendi libros pernicioſos, lectionibus, tolerandis apostatis & quæstuariis.

Tum ventum est, ad dispensationes, & primum in matrimoniis inauguratorum, dein ad facilitatem dispensandi in matrimoniis intra gradus prohibitos, dispensationes simoniacorum, ad facilitatem concedendi confessionales & indulgentias, ad dispensationem votorum, ad licentiam testandi de bonis ecclesiasticis, ad mutandas testatorum ultimas voluntates, ad meretrices tolerandas, ad neglectam hospitiorum publicorum & Xenodochiorum procurationem, & alia id genus permulta, quæ omnia sigillatim explicantur.

§. XXXI. Sed, quò tantò magis de summa Reformationis Ecclesiasticæ necessitate, etiam ab Italis, & quidem primariis Ecclesiæ columnis, perspecta & professa, persuadeamur, non injucundum erit, pauca quædam speciatim ex hoc *Consilio* seligere, ac in hanc causam referre:

Sic verbi gratia dicunt hi Cardinales & Episcopi: „ Abusus esse & graviſſimos morbos, quibus jam pridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Curia Romana, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus.

Porro dicunt, PAULM III. alloquendo. „ Nonnulli „ Pontifices tui prædeceſſores, prurientes auribus, ut „ inquit Apoſtolus Paulus, coacervarunt ſibi magiſtros ad „ deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quod facere de- „ berent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ra- „ tio, qua liceret id quod liberet: inde effectum eſt, præ- „ terquam quod principatum omnem ſequitur adulatio, ut „ umbra corpus, difficillimusque ſemper fuit aditus veritatis ad „ aures Principum, quod confeſtim prodirent doctores, qui „ docerent Pontificem eſſe Dominum beneficiorum omnium, „ ac ideo, cum Dominus jure vendat id quod ſuum eſt, „ neceſſariò ſequi, in Pontificem non poſſe cadere Simo- „ niam &c.

Deinde ita pergunt:

Atque ut omnia liberius inter nos tractari poſſent, tibique à nobis explicari, jurejurando nos obſtrinxiſti: addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus noſtri muneris proderemus.

Porro.

„ Scis . . . non licere Pontifici & Chriſti vicario, in uſu „ poteſtatis clavium, poteſtatis, inquam, à Chriſto ei col- „ latæ, lucrum aliquod comparare: Hoc enim eſt Chriſti „ mandatum: Gratis accepiſtis, gratis date.

Teſtantur deinceps:

„ Primus abuſus eſt in hac parte ordinatio Clericorum „ & præſertim Presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, „ nulla adhibetur diligentia, quod paſſim quicumque ſunt „ imperitiſſimi, ſint viliſſimo genere orti, ſint malis moribus „ ornati, ſint adoleſcentes, admittantur ad Ordines ſacros &c.

Inter alia poſtmodum ita:

„ Alius etiam abuſus invaluit, ut reverendiſſimis Cardina- „ libus Epiſcopatus conferantur ſeu commendentur, non „ unus tantum, ſed plures, quem B. P. putamus magni „ momenti eſſe in Eccleſia Dei: primò quidem quia officium „ Car-

Digitized by Google

„ Cardinalatus & officium Episcopi incompatibilia sunt.
„ Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuæ, in gubernanda
„ universali Ecclesia. Officium autem Episcopi, est pascere
„ gregem suum, quod præstare bene, nec ut debet, potest,
„ nisi habitet cum ovibus suis, ut pastor cum grege.

Deinde iterum, de residentia Episcoporum necessaria.

„ Nam, (inquiunt,) per Deum immortalem, quis misе-
„ rabilior viro Christiano conspectus esse potest, Christia-
„ num Orbem peragranti, quam hæc solitudo Ecclesiarum?
„ Omnes fere pastores recesserunt à suis gregibus, commissi
„ sunt omnes fere mercenariis.

Denique:

„ Abusus alius in absolutione Simoniacorum: proh dolor,
„ quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium! adeò
„ ut quidam non verentur Simoniam committere, deinde
„ confestim petunt absolutionem à poena, imò eam eruunt,
„ sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus
„ Sanctitatem tuam non posse poenam illam, quæ est de
„ jure positivo constituta, eis condonare, sed quod nullo
„ pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum per-
„ niciosius nec magis scandalosum.

Tandem sub finem addunt:

„ In hac etiam urbe, meretrices ut matronæ incedunt per
„ urbem, seu mulâ vehuntur, quas affectantur de media die
„ nobiles familiares Cardinales, Clericique. Nulla in urbe
„ vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium
„ exemplari, habitant etiam insignes ædes: corrigendus
„ etiam hic turpis abusus. „

§. XXXII. Sed, hæc talia, cum minimè placere pos-
sent auribus Romanis, quid mirum, quod tota res, ubi ad Pon-
tificem referebatur, in aliud tempus fuerit dilata, uti nec un-
quam ea Emendatio ab Aula Romana, (cujusque adeo Laus
exinde enixo licet studio elicita vel nulla est vel admodum

Digitized by Google

exigua,) in publicum fuit educta, quippe cùm sub altâ silentii fide transacta fuissent omnia *).

Est tamen opportune satis in Germaniam ejus Consilii quoddam delatum exemplum, quod à *Cardinali Schombergio* factum fuisse creditur: Erat enim *Nicolaus* ille, *Schombergius* Archiepiscopus *Capuanus a*) in Cardinalium cœtu, omnis emendationis impatiens; Hic à Paulo summissus (ut certò creditur) magna contentione reclamabat, ne quid omnino reformaretur; ac inter alia dicebat, „ fore alioquin, ut „ Lutherani jactent, quasi ab ipsis propemodum adacti, il„ lud fecerint. Et tamen hic ipse, qui obicem ponebat consilio, clanculum in Germaniam ad amicum quendam formulam ejus, sive libellum, misisse dicitur, quod plerique sic accipiunt, quasi Pontificem voluerit atque reformatores illos præbere deridendos. Alii putant, non nescio Pontifice, exiisse libellum, ut sic ipsius aliquod studium appareret Emendationis, & id homines intelligerent aliunde, tanquam ipse fuerit daturus graviora, siquidem aliquid ejusmodi putasset evulgandum. *b*)

Tum verò, è vestigio *Johannes* STURMIUS, Argentoratensis Rector, Latinè, & *Martinus* LUTHERUS, Germanicè, illud publicare, *c*) cum animadversionibus, ac festiva quadam epicrisi, in qua Lutherus inter alia, dicebat: *A Cardinalibus tantùm festucas aliquantulum tangi, trabes crassissimas sileri & confirmari, excolari muscas, camelos deglutiri.*

*) Huc faciunt verba ipsorum illorum Prælatorum: *Ut omnia liberius inter nos tractari possent, tibique à nobis explicari, jurejurando nos obstrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris promeremus.*

a) SLEIDAN. Lib. XII. p. 329.

b) Hæc omnia erant SLEIDANI verba, loco citato. Conf. SECKEND. Lib. III. §. LIX. p. 163.

c) Prodiit tamen idem quoque jam Romæ 1538. typis *Antonii Bla-*

Digitized by Google

tiri. Atque Lutheri libello præfixa pictura ſtatim denotabat argumentum; Nam, Pontificem in ſublimi *a*) ſolio ſedentem, circumſiſtunt aliquot Cardinales qui caudis vulpinis ad longurios alligatis, veluti ſcopis, omnia ſurſum deorſum repurgant.

§. XXXIII. Pontifex autem, pudore rei ductus ac mirabiliter jam immutatus, tantum aberat, ut quandam Opere ipſo inſtitueret Emendationem, ut planè etiam ex hominum oculis, & memoria ſublatum voluerit illud Conſilium, quippe cui monitis illis locum dare non expediebat; Unde nec mirum, quod PAULUS IV. Papa ejus Succeſſor (qui fuerat *Petrus* ille *Caraffa* Epiſcopus Theatinus, & magna illius conſultationis pars) deinceps illud in *Indicem librorum prohibitorum b*) retulerit. Erat enim illud hominum manibus excutiendum, & ex eorum memoria eradendum, tanquam anteceſſoribus ſuis & ſedi Romanæ minus honorificum, quodque præterea hactenus executioni non datum noverat. Quamquam alioquin omnis ea res, uti coepta, transacta ac denique intercluſa fuit, ſatis arguat, quam ITALI ſaltem prudentiores ex iis, æque ac reliquæ nationes, eccleſiæ ſuæ deformationem ſatis ſuperque agnoſcerent, Reformationem autem anhelarent, ac ſollicito ſtudio anquirerent, num

Bladi, Impreſſoris Cameræ Apoſtolicæ, imò etiam, eodem anno, typis *Godardi de Ponte*, teſte Eminent. QUIRINO apud SCHELHORN. in diatr. *de Conſilio hoc &c.* p. 23. 25. &ſq. Ut ſane Sturmius impreſſum exemplar Româ videatur accepiſſe, ac ſub incudem ſtatim vocaſſe. Eſt enim Ejus præfatio jam d. 3 Nov. Aprilis 1538. Argentorati exarata.

a) SLEIDAN. l. c. p. 329.

b) Hæc eſt illa hujus Conſilii in numerum librorum damnatorum recenſio à Paulo IV. facta, circa quam, contentionis ſerram reciprocarunt Eminentiſſ. Card. QUIRINUS & Cel. SCHELHORNIUS, editis ab utravis parte Scriptis amoebeis lectu digniſſimis.

Digitized by Google

num à capite inchoando totius Ecclesiæ occidentalis corpus renovari posset, ac malis moribus exui. Sed hæc hactenus.

§. XXXIV. Hæc cum Romæ & in Curia Romana deliberantur, indies variis in Italiæ partibus adaugeri Confessorum numerus: Certè A. 1542. jam VENETIA suos, VICENTIA suos, suosque TREVISIUM alebant, fovebantque veritatis testes incomparabiles, sicque Reformationis assectæ, incredibile dictu, quantum brevi multiplicabantur.

Quod in civitate VENETIARUM jam primis temporibus Evangelii renati lux sese diffuderit, ac multorum animos collustraverit, haud obscure colligitur ex eo, quod, qui apud alios loco cedere cogebantur, illuc se recipere, ac tutum invenire perfugium soliti essent: Aurea Venetorum libertas, quæ simul sentiendi ac dicendi libertatem suis concedebat. Procerum Venetorum prudentia & gravitas. Studia literarum apud eos efflorescentia. Typographia. *) culta cum exteris nationibus Commercia, aliaque multa, eò faciebant.

Certè, quod jam 1528. apud *Venetos* quidam Evangelii doctrinam receperint, discimus ex Ep. LUTHERI ad *Gabrielem Didimum* eodem anno *a*) scripta: ubi ita: *Lætus audio de Venetis, quæ scribis mi Gabriel, quod Verbum Dei receperint, Deo gratia & gloria.*

De *Lucio Paulo* ROSELLIO, qui jam 1530. duplicem ad Melanchthonem conscribere Epistolam lectu dignissimam, ac Veritatis cognitæ ac professæ testem, vidimus §. XXII. BRUCCIOLI deinde apud Venetos inde ab anno tricesimo ejus seculi per viginti & quod excurrit annos conversatio, studiumque biblicum per ipsum excultum, ac translatio Verbi

*) Uti hodienum Veneti typographias alunt splendidissimas ac inprimis Græcam, qua Verbum Dei in omnes provincias Orientales exit, atque miris modis Ecclesiam Græcam sub Turcarum Imperio gementem sublevat. vid. doctiss. BRETT in Diss. de *Ecclesia Græca hodierna in Dalmatia* &c. p. 22.

a) LUTHERI Epist. Vol. II. p. 371. b.

Digitized by Google

bi divini in linguam vernaculam, aliaque Scripta pietatem ac fidem Evangelicam spirantia, non minus Evangelio inter Venetos stabiliendo ac promovendo fuerunt proficua. Adeò ut inde ab A. 1530-1542. ibi quoque tanta incrementa cepisse dicatur Evangelicæ Veritatis propagatio, ut, libere in utramvis partem ea de re agi liceret, parumque abesset, quin etiam publicæ instituerentur congregationes. Testem habemus præter alia, singularem quandam *Philippi* MELANCHTHONIS ad Venetos Epistolam A. 1539. consignatam, *a*) quæ peregregium nobis exhibet elogium *Bruccioli* cujusdam Itali, *b*) qui cum Melanchthone amicitiam contraxerat, ac interea temporis Venetias iterum adierat, sed inde redux constantiæ suæ in veritate Evangelica documentum præbuerat non contemnendum; in ea Epistola, Melanchthon, partim Reformationis in Germania institutæ formam & brevem apologiam exhibet, partim Serveti errores Samosatenianos refellit, ac veram de λογω doctrinam exponit: inter alia verò, Venetiarum urbem laudat, ceu in qua, vera aristocratia tot seculis sit conservata, & quæ in toto orbe terrarum velut unica semper inimica fuerit tyrannidi, atque observat, quam in tali civitate deceat esse libera bonorum Judicia, & improbari injustam sævitiam, quæ alibi in Ecclesiam exercetur; Unde & Venetos adhortatur, quantum potest, ut ad gloriam Dei ornandam, studia atque auctoritatem suam conferant &c.

Sanè, quod inter ipsos monachos, nequidem tum defuerint, A. 1540. qui Evangelio faverent, patet ex Historia

a) Ea legitur inter *Consilia Melanchth.* à PEZELIO edita Neostadii 1600. 8 part. I. pag. 336 seq. Et, quanquam Inscriptio habeat: *Ad Senatum Venetum*, ipsum tamen Epistolæ argumentum satis evincit, non ad Senatum, sed *ad Venetos quosdam Evangelii studiosos*, eam esse conscriptam, quæ & observatio est eximia Cl. Schelhornii in libro Germ. cui tit. *Recreationes Ecclesiasticæ* &c.

b) Est enim ibi loco *Braccieti*, legendum: *Bruccioli.*

Digitized by Google

FLACII *Illyrici*, *a*) notiſſimi illius deinceps inter Lutheranos Theologi, qui cum Venetiis (ubi ſtudiorum cauſa verſabatur) Ordinem Franciscanorum inire vellet, ſuaſu Monachi *Baldi Lupetini*, qui tum Franciscanorum Provincialis erat, & Flacium cognatione adtingebat, ab eo inſtituto deſtitit, ac in Germaniam, quò accuratius de emergentis Veritatis Evangelicæ ratione informaretur, ſeceſſit.

Qui ipſe *Lupetinus* poſtea ferme viginti annis in carceribus Venetiis, veritatis cauſa detentus fuiſſe dicitur ipſi Flacio *b*) imò, multis Germanis mercatoribus, qui eum etiam ibi aluerunt, notiſſimus fuit, ac tandem conſtanter Evangelium Chriſti confitendo aquis ſubmerſus eſt.

§. XXXV. Et, quod ad *Venetam ditionem* adtinet, RAYNALDUS *c*) in annalibus ad ann. 1535. quendam commemorat *Sigismundum* Germanum, qui Venetam ditionem Evangelica doctrina imbuere (RAYNALDUS dicit, *inficere*) tentaverit, ſed, quem Venetorum Dux comprehendi juſſerit in *agro Vicentino*, eumque ad Vicarium Epiſcopi Vicentini transmiſerit, cui PAULUS III. Pontifex, de pio hoc, uti arbitrabantur, ſtudio gratias egerit, hoc Breve mittendo: „ Dilecte Fili. Intelleximus nuper iniquitatis „ filium *Sigismundum Germanum*, qui hæreſin Lutheranam „ in diœceſi Vicentina diſſeminabat, mandato Nobilitatis tuæ „ ad Vicarium Epiſcopi Vicentini in ſpiritualibus generalem „ pro juſtitia puniendum fuiſſe transmiſſum, quod, ſicut pie„ tati inclytæ tuæ Nobilitatis conſentaneum, ita Nobis gra„ tiſſimum fuit, teque Fili ex animo hortamur, ut ſi quo „ in alio idem acciderit faciendum eandem tuam pietatem „ oſtendas. Erit enim res digna te, & iſto inclyto Domino, „ & nobis poſt Deum omnipotentem ſemper accepta & gra-

„ ta

a) Vid. RITTER in Vita Flacii Illyrici pag. 8.
b) Vid. FLAC. in Hiſtoria actionum & certaminum, apud SCHLUSSELBURG. in Catal. hæreticor. T. XIII. p. 805.
c) Vid. RAYNALD. Annal. ad Ann. 1535. n. 28. fol. 17.

Digitized by Google

ta. Dat. Romæ d. 12 Jun. 1535. Quanquam ne sic quidem, quò minus deinde identidem Reformatæ doctrinæ semina repullularint, impediri potuerit, uti ex sequentibus apparebit.

§. XXXVI. Sed & apud MEDIOLANENSES, quod essent, A. 1536. qui doctrinæ puriori faverent, eamque aliis instillarent, discimus ex Breve quodam PAULI III. ad *Johannem Moronum*, Episcopum Mutinensem, *a*) qui tum Mediolani commorabatur, dato, „ ut in Novatores animadverteret, qui Mediolani inpuras veterum hæreticorum sectas disseminare moliebantur. „ Breve illud ita se habet: „ Venerabilis Frater & perdilecte Fili. Pervenit ad aures nostras, quod nuper Mediolani, in tam pia & insigni Civitate, nonnulla conventicula quorundam Nobilium utriusque sexus inventa sunt, quandam sectam, quondam fratris Baptistæ de Crema nuncupatam tenentes & actualiter observantes, in qua multæ hæreses ab Ecclesia damnatæ, præsertim Beghinarum & Pauperum de Lugduno nuncupatæ continentur. Itaque volentes hanc pravitatem à Satana seminatam, quam primum extingui, antequam pullulet aut roboretur, vobis, de quorum doctrina, pietate ac prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus; Apostolica auctoritate mandamus ut conjunctim prædicantes super hujusmodi Secta, conventiculis, & hæresibus, diligenter inquirere & repertos culpabiles punire curetis, prout de jure fuerit faciendum. Dat. Romæ d. 26 Juni 1536. Fuit verò Mutinensis ille episcopus idem ille *Cardinalis* MORONUS, qui deinceps sub pontificatu PAULI IV. in suspicionem hæreseos *b*) cum venisset, Romæ in molem Hadriani conclusus à quatuor Cardinalibus severo sub-

a) Vid. RAYNALD. ad An. 1536. n. 45. fol. 55.
b) Vid. SARP. Hist. Conc. Trid. 366. & 376. & SCHELHORN amoen. lit. Tom. XII. pag. 546. sq. & quæ deinde monebuntur.

Digitized by Google

jectus est examini, nec nisi post mortem PAULI IV. ex carcere liberari potuit.

§. XXXVII. Uti, quod apud MUTINENSES A. 1542. multis modis pro Lutheranismo fuerit decertatum, quæ res variis turbis Mutinensibus ansam dedit, colligimus ex *Reginaldi* POLI *a*) relatione. Ille enim in Ep. ad Cardinalem Contarenum exarata, Viterbii d. XX Jun. 1542. *Sanctum quoddam* appellat *negotium Mutinense*, quod in sedandis ob religionem (scil. Protestantium) in ea civitate excitatis turbis, perfecerat Contarenus: Sic enim, quale esset *Sanctum illud Mutinense negotium*, cui Contarenus incumbebat, explicant, Verba, quæ ex Italica Contareni vita adducta leguntur in Præfatione QUIRINI pag. 83. & 84. quæ disertis verbis commemorant, quod ubivis tum divulgatum fuerit, quam *Civitas esset Lutherana:* Prouti ex iis deinde ita, l. c. colligit QUIRINUS: „ Pravus autem *Mutinensium* eo tempore in Religionem (catholicam) animus, „ si adeò compertus fuisset, ac modo redditur ex documentis hisce à me in medium allatis, eruditissimo *Justo Fontanino*, quanto vehementius futurum fuisset, ut iste excandesceret in Opere *dell' Eloquenza Italiana*, adversus „ *Ludovici Castelvetrii* memoriàm, hujusque annotationes, „ in Petrarcham, ac præterea adversus Panegyristam & Patro num ejusdem Castelvetrii, quem profecto in eodem „ Opere acerbissime carpit.

Neque verò dubium est, quin per *Panegyristam illum & Patronum Castelvetrii* intelligere debeamus *Ludov. Ant. Muratorium*, cujus, cum Philippus Argelatus Mediolani A. 1727. 4. Varia Critica Ludovici Castelvetri Opera junctim ederet, Biographia laudibus Castelvetri refertissima, amplo satis & luculento commentario Operibus illis præfixa legitur Sed

a) Vid. REG. POLI Epist. Tom. III. n. 34. &sq. p. 58 conf. QUIRINI Præfat. ad T. III. pag. 83. sq.

Digitized by Google

Sed &, Lutherum eo fere tempore, vel aliquanto prius, literas ex Mutina & Bononia accepiſſe, refertur.

Neque adhuc triennio poſt, ea quæ apud Mutinenſes acta erant, ceſſaverant, quando *Philippus* aliquis *Valentini*, commemoratur, qui concionatorem ibi egerit, ac mandato PAULI III. in vincula ſit conjectus: Verba mandati PAULINI, ad Ducem Ferrariæ, *a*) ita ſe habent.

„ Relatum eſt nobis quod in civitate *Mutinæ* hæreſis „ Lutherana, increbuit & quotidie magis increbeſcat, at„ que diffunditur, quodque hujus mali auctor & caput ſuit „ & eſt, iniquitatis filius, *Philippus Valentini*, quod tuæ „ Nobilitati, quæ inſigni pietate eſt prædita indecorum & „ nobis meritò moleſtiſſimum. Quamobrem. . . . . requi„ rimus, ut dictum *Philippum* ſtatim comprehendi facias, „ & ad noſtram detineri inſtantiam, ejusque libros ac literas „ perquiri, eo enim compreſſo, facile nobis ac tibi erit, „ complices ejus compeſcere & huic malo providere. Dat. Tuſculi 27 Maji 1545.

§. XXXVIII. Fuerunt autem VENETI, qui & A. 1542. Literas ad Lutherum ſcripſerunt d. 26 Novembris, ſtylo uſi BALTHASARIS ALTERII, *b*) qui Legato Regis Angliæ apud Venetos, (nec enim cum Venetis, aut aliis Principibus Catholicis ſimultatem habebat Rex Angliæ, tametſi Papali fulmine tactus) à ſecretis erat; In quibus, cum, magnus pietatis affectus, religionis puræ ſtudium, conſtantia in perſecutionibus & veneratio erga Lutherum deprehendatur, ſimul & querela de diſſidio in articulo de Sacramento; eas dignas judicavit illuſtris SECKENDORFIUS, *c*) quibus

a) Apud RAYNALD. ad non 1545. n. 53. fol. 253.

b) Appellatur ille à LADERCHIO, in Annalib. Eccleſ. ad anno 1566. *Apoſtata*, *Lutheranus*, *qui cum hæreticis*, *ac Proteſtantibus Germaniæ Principibus commercium habuerit*, *ac librorum hæreticorum monopolium exercuerit*. v. SCHELH. amœn. Hiſt. Eccl. Vol. II. p. 188.

c) SECKEND. L. III. §. XCVII. p. 401. ſq.

Digitized by Google

Opus ſuum exornaret, unde eas ob rei memoriam depromimus.

Etſi longe antehac coram Deo teſtati ſumus, ac quotidie teſtamur, quoad poſſumus, ſummam ejus benignitatem atque clementiam erga nos extitiſſe, quod in hac temporum ſævitia, regnantibus admodum Satana ac filio ejus Antichriſto, talem inter cæteros nobis dederit Virum, cujus miniſterio vigilantiaque, craſſiſſimæ illæ tenebræ, quæ jam univerſum fere orbem uſque ad ſummum occuparant, è pectoribus noſtris ſint excuſſæ & quaſi penitus exploſæ, ac Chriſtus noſter è ſepulcro iterum in lucem ſit redditus; Tum noſtri quoque erat officii, literis commonefacere, quantum tibi in ea re deberemus, quamque tui ſtudioſi ob id facti eſſemus, qui non ſolum labore & induſtria totus in hoc incubuiſti, ſed tradidiſti multoties animam tuam, ſicut optimus miles Chriſti, ut *Evangelium Dei*, verbum ſalutis noſtræ, primum Germanis tuis, fratribusque noſtris amantiſſimis, *deinde Nobis tandem promulgaretur* ac reciperetur. *Id quod, cum apud nos ſatis proſpere ceſſiſſet*, neſcimus quomodo actum ſit, ut in tanta omnium noſtrorum jucunditate, incredibilique lætitia, & ſumma animi alacritate, quam de manu Domini ſuſcepimus, ſic diutinum ſilentium ſervare potuerimus, quin illam tecum hucusque communicaverimus, ut per tuam atque noſtram fidem, mutuam conſolationem acciperemus, Deoque optimo maximo Principique noſtro clementiſſimo immortales gratias non tam à vobis, quam à nobis agerentur, teque eo honore quo digni ſunt, qui maxime laborant in verbo & doctrina, uti debebamus, afficeremus, nosque, quos Chriſto jam dudum pepereras, pro filiis tuis agnoſceres, ut eos interdum erudire, monere, corripere, erigere, conſolarique merito poſſes. Nunquid, in convertendo captivitatem noſtram Dominus ita nos reddidit ſomniantes, tamque ſtupidos, ſimiles iis, quorum animi ſubita lætitia conſternantur, ut omnino nobis eſſet obmutescendum?

Sic-

Digitized by Google

Siccine repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, ut tibi dicere nequiverint: *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti ſumus nimis lætantes*, aut pudor aliquis ſubruſticus, vel torpor animi quidam ſervilis, deterruit nos, ut, cum parvuli eſſemus adhuc & in Chriſto quaſi modo geniti infantes, ea, quæ nobis contigerunt, tibi, homini graviſſimo ac ſanctiſſimo, nunciare vel non auderemus, vel neſciremus omnino? Verum, quidquid id eſt, fatemur ingenuè culpam, agnoſcimus quidem errorem, quod nimis erga te ingrati extitimus, tanti beneficii prorſus immemores, nimium à charitate excidimus, quæ nulli ſolita eſt injuriam inferre, nedum agit malum, ſed ne cogitat quidem, omnibus reddit debitum, ſemper eſt officioſa, cunctis eſt benigna. Pietatem quoque nimis temere læſimus, cujus propagandæ ſtudio ita decebat nos affici ut neque rerum etiam nobis cariſſimarum ratio eſſet ulla, quæ huic uni præferri poſſet.

Itaque, quod noſtra non potuit ingratitudo, turpis ignavia & reſupina negligentia quædam, efficere apud te, nunc cogit ipſa neceſſitas & magnitudo rerum, quibus hodie longe acerbius quam antea premimur.

Urget hinc Antichriſti immanitas, quæ quotidie magis increſcit adverſus electos Dei. *Proſcribuntur multi, quorum aliqui in* Cenobates (forte *Genabates*) *feceſſiſſe dicuntur, quidam Baſileam & in Helvetias, alii in finitimas regiones, plurimi capiuntur, ut perpetuò tandem carcere contabeſcant*, nullus tamen eſt, qui eripiat innocentem, qui judicium faciat pauperi & orphano, qui patrocinetur gloriæ Chriſti. Omnes in unum conſpirarunt, ut opprimant Dominum & unctum ejus, *nullibi* autem *magis ſævit aut prævalet hæc calamitas, quam hic, ubi totus viget Antichriſtus*, & ſuum exercet Imperium aperta vi omnia in pace poſſidet, homo iniquus perditionis filius, & auctor peccati: mactat ac perdit oves Domini pro libidine ſua latro

Digitized by Google

tro ille insignis, & luporum omnium ferociſſimus. At nos, qui diſperſi vagamur, non ceſſamus ſedulò rogare Dominum, ut mittat fortiorem illo, qui ſuperveniens vincat eum, univerſaque arma diripiat, in quibus is modo tantopere confidit, ut ſpolia ſimul diſtribuat, paſtoremque bonum reſtituat, qui animam ſuum pro nobis poſuit, cujus vocem libenter audimus, & præeuntem facile ſequimur, quia ſcimus & cognovimus eum, ut oves ſuas quaſi deperditas in paſcua reducat, & ſint ſecum in æternum: Tantum ille nimium tardat reditum ſuum, nos interim veluti errabundæ (oves) per invia hujus mundi deducimur, atque in præceps trahimur.

Vos autem, quos interim poſuit Deus ad cuſtodiam ſuper gregem ſuum, donec advenerit, advigilate, quæſumus, arcete lupos, ne ſic libere nos invadant ac devorent, ſcitis enim, quam rapaces ſint, quam avidi prædæ, & gregi quam male parcant; præſtate nobis eam operam, quam poteſtis, ne id omnino ſequatur, memores eadem vobis accidiſſe, quæ modo nobis fiunt, experti eſtis hæc omnia quam pleniſſime, ne patiamini carnem noſtram ſic crudeliter dilaniari, cum ſimus invicem membra, ſentite in vobis vulnera, quæ nobis inferuntur, cum ex eodem corpore ſimus, cujus caput eſt Chriſtus, pro quo mortuus eſt, & ejus tantummodo ſpiritu vegetatur & creſcit, ad quod ultra paratos eſſe, non tam ſperamus, quam certo ſcimus. Nam, cum tanta paſſi fueritis, ob eam duntaxat cauſam, *ut nomen Chriſti ad nos usque perveniret, non eſt credendum, quod cum illum agnoverimus & ſequamur*, in medio pene curſu deſeramur à vobis, quorum voce ad id vehementer incitati ſumus, & ad hunc usque diem mirifice impellimur. Id autem eſt, quantum huc usque è Spiritu Chriſti colligere potuimus, & fortaſſe vobis quoque non diſplicebit, ut, quamprimum fieri poterit ad Sereniſſimos Germaniæ Principes, qui ex noſtra ſunt parte, & quorum bonus eſt numerus, auſpice

Digitized by Google

ſpice Chriſto, ſicut à multis accepimus, hanc rem totam deferatis, eosque per Chriſtum rogetis, *ut literas commendatitias ad Senatum Venetiarum pro nobis conſcribant, rogando monendoque ut ſeſe temperent ab ea decernendi licentia, atque judicandi libidine, quam miniſtris Papæ tam inconſulto conceſſere ac quotidie ſævius impertiuntur in puſillos Chriſti ſub prætextu fidei & religionis impiè cruciandos, ſed, permittant quemlibet ritu ſuo vivere, dum tamen ſeditio, & publicæ quietis perturbatio caveatur, eamque rem ad generale Concilium, quod ajunt, in promtu eſſe, licet nunquam futurum eſſe arbitremur, omnino referant, interim neminem cogi aut trahi ad fidem ſinant.* Quod ſi aliter fecerint, ſciant inprimis Deum ultorem fore, deinde, eam injuriam non tam cæteris fidelibus quam toti Germaniæ fieri exiſtiment. Has inducias, ſi Deo adlibuerit, ut impetrare poſſimus quantas acceſſiones & fidei & charitatis regno Chriſti afferre credimus! *Quot concionatores in publicum prodirent, ut Chriſtum populo fideliter annunciarent, quot & Prophetæ apparerent, ut Scripturam rite interpretarentur, qui modo in angulis latent, præ nimio metu exanimati;* Meſſis autem ne quidem parva eſt ſed multa, operarii verò nulli. Vos ſcitis, quale incrementum receperint Eccleſiæ veſtræ, quam latum oſtium patefactum ſit Evangelio in his induciis, quas audivimus per triennium vobis conceſſas. Curate igitur diligenter, ut nobis omnino dentur, fovete communem cauſam, agite, ut per hoc in Chriſto ea conſolatio nobis afferatur, ſi pro Chriſto quotidie tribulationem ſuſtinemus, percupidi enim ſumus, ut evagetur verbum Dei, ſed deſunt, qui vere nos paſcant, niſi abundantia veſtra noſtram ſuppleverit inopiam.

Alterum eſt, quod illinc imminet & excidium Eccleſiis noſtris minatur quotidie. Quæſtio illa *de Cœna Domini*, in Germania primum orta, deinde ad nos quoque delata, proh dolor! quot turbas excitavit, quot diſſidia peperit, quantum of-

fendiculorum dedit infirmis! quantum jacturæ Ecclesiæ Dei! quantum impedimenti gloriæ Christi propagandæ! Nam, si in Germania, ubi tot sunt Ecclesiæ rectè institutæ, torque viri sanctissimi, spiritu ferventissimi, atque omni eruditione præstantes, hujusmodi venenum tantum invaluit, ut itum sit in duas partes mutuis altercationibus, quanquam hæc omnia necessario accidant, cavenda tamen sunt tanquam dira & formidanda, veluti coram Deo abominabilia. Quanto magis apud nos ea pestis evagata est, ut indies fiat insolentior? Ubi nullas publice habemus, sed quilibet sibi ipsi est Ecclesia, pro cujusque arbitrio atque libidine, infirmi contra robustiores præter fidei mensuram sese efferunt, firmiores imbecilles nedum suscipiunt ac tolerant in spiritu mansuetudinis & lenitatis, memores, adesse sibi idem infirmitatis pondus & circumstans peccatum, sed elati, facile illos negligunt ac spernunt, omnes sibi videri malunt magistri quam discipuli, cum nihil sciant, neque Spiritu dei agantur. Doctores plurimi non intelligentes, quæ loquantur, neque de quibus affirment: Nonnulli Evangelistæ, quibus satius esset ab aliis in silentio discere, quam cæteris prædicare. Multi Apostoli, cum non sint verè missi. Omnia hic aguntur tumultuariè cum decore nihil. Verum quia Deus non facile patitur, ut sui in errorem traducti, diutius in eo persistant, compulit tandem vos ad concordiam, ut in unam sententiam coiretis „ Ecclesiis scil. Vestris nihil aliud præcipiendum, „ quam in pane corpus Domini & in vino Christi sangui„ nem vere exhiberi, ad hoc tamen ut in illo vivamus & „ ille in nobis; & his signis ceu quibusdam mediis dari „ gratiam & Spiritum, non proprie ex se, sed Christi virtu„ te, qui omnia in omnibus operatur ac ministrat. Hæc Dominus *Bucerus* jam pridem per literas nobis significavit, admonens nos, ut contentionibus posthabitis, unanimes efficeremur; uno ore laudantes Deum qui non est dissensionis sed pacis; Addidit quoque de conciliatione Apologiam

giam à Domino *Philippo Melanchthone* fuiſſe editam, quam huc usque avide expectamus. Quibus ſimul auditis, ita ſumus mirum in modum recreati, ut tranquilla & pacata repente inter nos fuerint omnia, factique ſumus omnes unum in Chriſto. Sed, quia non dormitat qui nos odit, per quosdam ſciolos duræ cervicis homines, novas res molitur, novas ingerit quæſtiones, nova miſcet certamina. Optaremus, tam propter illos ut confundantur, aut forte reſipiſcant (ita Deus faxit!) quam propter quosdam infirmos, qui apud nos plurimi ſunt, ut eorum mens & conſcientia confirmarentur tandem, ne omni vento doctrinæ fluctuent & circumferantur; Ut in ea re ſcribas nobis, quidnam ſenſeris, tametſi non ignoremus ſententiam tuam. At nos in ea ſemper fidimus & mordicus retinemus, quia ſcimus eſſe & verbis Chriſti & Pauli conſentaneam. Addas inſuper (amabo) de modo reconciliationis aliquo; Nam quamvis Vir Dei *Bucerus* annunciarit nobis omnia quam accuratiſſime, & ea facile credimus, agimusque ob id Deo gratias ſempiternas, cupimus tamen per te ipſum fieri certiores, ut ex hoc ſcire commode poſſis, quantum tibi uni præ ceteris tribuamus. Apologiam quoque transmittas, & ſi quæ alia, quæ à te tam in negotio ſacramenti, quam in ceteris rebus, quæ ad religionem pertinent, nuper ſunt edita.

Omnia tua, quoniam Chriſti ſunt, ſcito nobis eſſe gratiſſima, eademque plurimi fieri, neque id quidem injuria, nullus eſt enim qui ignoret, quæ & quanta à Deo credita ſunt tibi, & quid in provincia fidei egeris inſudarisque, quantumque in ea poſſis & valeas, ſed in his omnibus laudamus, magni facimus, extollimus & reveremur Dominum, qui in Eccleſia ſua collocavit lucernas tam ardentes, ut omnibus qui in ea ſunt lumen præſtent. Reliquum eſt, *ut ſciamus, quid iſtic agatur in cauſa religionis, tum quia ea omnia quæ in vobis operatur Dominus, tam proſperà quam adverſa, eadem nobis fieri arbitramur, propter*

eundem ſpiritum fidei, tum multo magis quod ab eventu rerum veſtrarum noſtræ robur & infirmitatem auſpicantur.

Memor itaque tu noſtri ſis, benigniſſime *Luthere*, non tam apud Deum precibus tuis ardentiſſimis, ut ipſius cognitione feliciter impleamur per Spiritum Chriſti, quam erudita, jucunda & frugi ſcriptorum ac literarum tuarum frequentia, ut iis quos verbo veritatis genuiſti, citius formentur & adoleſcant in virum perfectum ætatis Chriſti, quandoquidem hic famem atque penuriam Verbi dei acerbiſſimam patimur, non tam Anti-Chriſtianorum feritate & inclementia, quam librariorum ſumma improbitate & avaritia pene incredibili, qui veſtra Scripta huc afferunt & ea ſic fraudulenter opprimunt, donec carius illa venditaverint non ſine magno totius Eccleſiæ detrimento.

Fratres, qui plurimi ſunt iſthic, omnium nomine ſalutabis in oſculo pacis. Nos interim Dominum precabimur, ut opus, quod cœpit in te, maximum & admirabile, quodque magna ex parte abſolutum videmus approbante Chriſto, tandem perficiat, ut Gloriam ſuam imprimis, quæ præſciſſa ac veluti deplorata tamdiu jacuit, nunc quorundam fidelium miniſterio alicubi reparatam, in veterem illam libertatem ac dignitatem ubique ſit vindicaturus: deinde tibi, qui legitime certaſti, qui illi fidem ſervaſti, reddat coronam juſtitiæ ſuæ, quam promiſit, & nos, qui reliqui ſumus, exemplo tuo excitati ad ſupernæ vocationis bravium aſpiremus, ubi reſidet Chriſtus noſter cum Patre & Spiritu Sancto in æternum.

Demum pro tua ſingulari manſuetudine & ſumma modeſtia obſecramus, ne vitio nobis dederis, ſi nimium tibi moleſti fuimus verboſitate noſtra vel dicacitate, ſed nihil eſt ad eam cupiditatem, qua magnifice tenemur vel viſendi tui, vel literis cum abſumus, loquendi tecum. Quod ſi tibi in animo eſt reſcribere ad nos, ut omnino ſperamus, teque etiam atque etiam rogamus, ut facias, da operam ut literæ tuæ nobis reddantur domi Dn. *Oratoris Anglici*, apud quem Se-

Secretarium ago ego *Baltaſar*, cui commiſſa eſt hæc provincia ſcribendi ad te, *fratrum nomine.* Iterum Vale in Domino & nos ama. Datum Venetiis VI. Kal. Dec. 1542.

Fratres Eccleſiæ *Venetiarum*, *Vicentiæ*, *Tarviſii*, tibi in Chriſto deditiſſimi.

§. XXXIX. Commendavit autem has literas *Balthaſar* ille *Altierius*, *Vito Theodorico*, Eccleſiaſtæ Noribergenſi, epiſtolâ quâdam humaniſſimâ, tertio Kal. Dec. data, in qua (referente SECKENDORFIO *a*) *de vera amicitia*, *quæ non niſi inter fideles Chriſtianos eſſe poſſit*, pulcherrime diſſerit;

Neque dubitari poteſt, quin hæ Literæ ſalutarem ac Evangelio proficuum effectum fuiſſent ſortitæ, multumque ad ejus in Italia incrementum, contuliſſent, modo Lutheri tum mens non læva fuiſſet, isque eccleſiæ & reipublicæ commoda privatis ſimultatibus (quid enim diſſimulabimus Virorum præclarorum nævos?) habuiſſet potiora. At vero, LUTHERI ad Altierium reſponſio *b*) d. 12 Nov. A. 1544. acerbiſſime ſcripta veteres inimicitias veluti renovat ac in Sacramentarios, quos ita vocabat, *Bullingerum*, *Pellicanum*, *Bucerum* & alios, debachatur, imò quæ ejus erat imbecillitas deploranda, Italos incredibile dictu exſtimulabat, ut in *Zwinglium* & *Oecolampadium* calamum ſtringerent, atque *Reformatores* hoſce eximios, ſub *Pſeudoprophetarum* nomine denigrabat, *eosque operante Satana ſcientes veritatem oppugnare*, dicere non erubeſcebat.

Interea tamen Melanchthon mitiora tum ſpirare conſilia, ac ſcribere ad Vitum Theodorum jam A. 1543. longè alia, ac ad confirmandum Italorum animos facientia, ſimul verò in iis conqueri, *quod horridius ſcripſerit Lutherus ad Italos*,

a) SECKENDORF, loc. cit. pag. 402, 403.

b) Legitur hæc Epiſtola inſerta Collectioni Supplementorum Epiſtolarum Lutheri à Cel. BUDDEO Halæ 1703. 4 procuratæ. No. CCLIV. pag. 286, 287.

Digitized by Google

& tranſſubſtantionis dogma tolerabilius eſſe putaverit quam opinionem Zwinglii a). Ex quibus literis ſimul id colligitur, Lutherum jam A. 1543. ſicque prius ad Italorum Epiſtolam reſpondiſſe, quæ tamen Epiſtola cum nullibi reperiatur, quibus verbis ſuam tum explicaverit animi mentem, vix dici poteſt. Sed hæc hactenus.

Cæterum notatu dignum eſt, quod *Thomas Lieberus*, qui poſtmodum Græcè ERASTUS maluit appellari, & cujus non ignobile in hiſtoria Palatina, itemque in controverſia de diſciplina Eccleſiaſtica eſt nomen, cum ſtudiorum gratia in Italia & quidem *Bononiæ* verſaretur, ad amicum quendam d. ult. Decemb. A. 1544. perſcriberet: *b*) „ *Imolæ* (quæ „ æque ac *Faventia*, urbs eſt ad proprium Pontificis dominium ſpectans, olim dicta *Forum Cornelii*) quidam monachus obſervantiæ, prædicat, *regnum Chriſti propter „ merita noſtra dari nobis.*

„ Ibi, puer admodum parvus reprehendit eum, dicens: „ *Tu blasphemas Deum & Chriſtum;* Nam nobis tribuis, „ quod is ſua paſſione & morte impetrat, & ex gratia ſua „ & miſericordia confert. Reſpondit monachus iratus, „ *eum ignorare quid dicat, nec dum perdidiciſſe Pater „ noſter*, & judicare velle has res. Cum diu ita contendiſſet, dixit ei, Apage te, ignave puer, qui vix dum incunabula reliquiſti. Unde tu tibi ſumis judicium ſacrarum literarum, quas doctiſſimi quique non ſatis explicare „ poſſunt, nec credo, poſſe legere. Reſpondit puer: Legiſtine tu: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti „ laudem:* Quare igitur me depellis, & meum non eſſe „ le-

a) Conf. *Hoſpinian* Hiſtor. Sacramentar. Part. II. fol. 184. & SECKENDORF. l. c. pag. 403.

b) Vid. HOTTING. Hiſt. Eccl. Sec. XVI. Tom. V. p. 200. & SCHELHORN: Amoenit Hiſtor. Eccl. Tom. II. p. 54.

Digitized by Google

„ legere eas, asseris? Tandem detrusus est puer in carce-
„ rem, ubi adhuc vinctus detinetur. *a*)

§. XL. Huc spectat, quod ad A. 1545. annotavit Ill. SECKENDORFIUS *b*) quod scil. tum in Italia licet omnia trepidantius timidiusque essent agenda, nondum plane oppressus fuerit Evangelicæ doctrinæ progressus.

Extant enim in Actis Comitiorum Reg. E. fol. 59. Vol. II. *Balthasaris*, ut hic vocatur Neapolitani *c*), (*Alterii* nempe) qui Aquilæ in regno Neapolitano natus erat, ad Mercatorem Norimbergensem *Christoph. Rembisium* literæ, in quibus modum sibi indicari petit, ut cum *Eberhardo Thannio* Electoris Consiliario, literarum commercium habere possit.

Refert etiam, esse illustrem quendam virum *Bononiæ* Evangelio addictum, qui, si bellum contra Papam geratur, sex millia militum colligere possit.

Sed Pontifici curæ fuit, ut vi & minis lucem Evangelicam in Italia extingueret, sicut ejus instinctu *Mantuæ* & *Ferrariæ* eodem tempore factum esse RAINALDUS refert. *d*) Qui & idem *e*) ad annum seq. annotat, quam omni studio excubaverit ille, *ne Lutherana hæresis Italiam pervaderet*, quæ, cum *Vicentiam iterum infecisset*, *Ducem ac Senatum Venetum Epistola quadam notabili* præmonuit, *ac nequid detrimenti caperet res religionis Catholicæ ut sedulo incumberent*, eos adhortatus est: „ Dilecti Filii &c.
„ Egi-

a) Erat M. Ant. *Flaminius*, vir eximius, itidem *Imola*, urbe Regionis Flaminiæ oriundus; Unde SCHELHORNIUS in Vita Flaminii l. c. ita colligit: „ Quodsi ipsi pueruli in „ Flaminii patria, hujusmodi notitia fuerunt imbuti, quis de „ adultis id negaverit?

b) SECKEND. Hist. Lutheran. Lib. III. §. CXXV. n. 16. fol. 578. 579.

c) Est is idem ille, cujus jam modo facta est mentio literarum ad Lutherum scriptarum.

d) RAYNALDUS ad annum 1545. n. 52. & 53.

e) Ad annum 1546. n. 147.

Digitized by Google

„ Egimus alias Vobiſcum & per literas, & per nuncios no-
„ ſtros ſæpius, ut hæreſin Lutheranam in veſtra civitate *Vi-*
„ *centiæ* exortam, & à non paucis illius civitatis receptam,
„ veſtro favore & pia juſtitia ſuccidi facere in ipſo ſemine
velletis, ne mox confirmata invaleſceret, intellectoque tunc
per nos, quod Poteſtati & Capitaneo dictæ civitatis manda-
veratis, ut in extirpationem ipſius hæreſis totaliter intende-
rent, ac faverent, firmiter ſperavimus, Veſtram auctorita-
tem apud illos Magiſtratus & eorum executionem adverſus
ipſos hæreticos ita valituram, ut negotio optatus finis, at-
que exitus citò imponeretur, cum præſertim dilectus filius
noſter N. Cardinalis Rudolphius Eccleſiæ Vicentinæ admi-
niſtrator, ſuo boni Paſtoris officio nulla in parte defuerit,
brachiumque dictorum Poteſtatis & Capitanei ſine quo rem
perficere non poterat, ſæpius imploraverit, ſed tamen (ſi-
cut nobis relatum eſt) & de quo ſatis mirari nequivimus, ef-
fectu mandati veſtri & ſpei noſtræ ex eo caruimus, quod
ipſi Poteſtas & Capitaneus juſſionem veſtram diligenter (ſicut
oportebat) exequi neglexerunt, ob quod ipſi hæretici ala-
criores facti, urgente greſſus eorum diabolo, radices ſuæ im-
pietatis latius poſtea protenderunt, & quotidie ita proten-
dunt, ut niſi vere ac alacriter huic malo obſiſtatur, veren-
dum ſit, ne ſerpat ad proxima & in dicta civitate multo a-
crius convaleſcat: Quamobrem nobilitatem & devotiones ve-
ſtras iterum in Domino requirendas duximus & omni ſtudio
atque inſtantia requirimus, ut ſicut dignum pietate atque of-
ficio veſtro eſt, remedium huic malo nimium ſanè jam to-
lerato efficaciter afferre, Poteſtatique & Capitaneo in dicta
Civitate nunc exiſtentibus diſtrictius mandare velitis, ut Vica-
rio dicti Cardinalis Adminiſtratoris omnes favores in compre-
hendendis, puniendisque dictis Hæreticis quamprimum præ-
beant opportunos, negligentiamque prædeceſſorum ſuorum ſtu-
dio fideli & diligentia ſua compenſent. Nam cum Vos ve-
ſtrorum majorum exemplo Religionem catholicam ſumma

con-

Digitized by Google

conſtantia ſemper colueritis & colatis, minime eſt vobis ferendum, veſtros ſubditos in cultu Dei omnipotentis à vobis deviare, pernicioſamque hanc hæreſin aperte profiteri in oculis prope veſtris, & univerſalis Concilii, *quod Tridenti ob has præcipuè hæreſes extirpandas indictum & apertum eſt.* Nec verò fugit ſapientiam veſtram, quæ ſingularis eſt, præter eam quam Deo conſervare debetis, ſicut facitis, ſanctam Catholicam religionem, tot jam ſeculis per vos, Majoresque veſtros obſervatam, etiam ad diviſiones factionesque illius civitatis animadvertendum eſſe, ne ad veteres hac nova ſuper addita cauſa novitatibus, aditumque defectionibus aliquando præbeat, cum ſicut noſtis vel hæc ſola Religionis diſſenſio multis in locis obedientiam & fidelitatem excuſſerit, ideòque à vobis omnino ſananda eſſet, cum hominibus fideles eſſe non poſſint, qui Deo omnipotenti fidem violaverint: ſed prudentia veſtra non eget monitis, excitanda ſolum à nobis fuit, ut quod laudabiliter cœpiſtis, efficaciter perficiatis, quod ſane nos à veſtra pietate ac juſtitia firmiter expectamus. Dat. Romæ d. 1 Maji 1546.

§. XLI. Ad hoc tempus, à Scriptoribus Socinianis *a*) ferè referuntur Origines *Socinismi* ita dicti. Hoc nempe anno 1546. memorant in *b*) *agro Veneto*, maximè *Vicentiæ*, plures quam quadraginta Viros, eruditione non minus & ingenio, quam veritatis amore nobiles, ſecreto ſæpius convenisſe, & præcipuè de omni re divina emendanda collocutos eſſe, maxime autem dogmata, quæ à Socini grege deinde repudiata ſunt, debellanda ſibi ſumſiſſe: In his præcipue *Læl.* SOCINUM, ALCIATUM, OCHINUM, PARUTAM, GENTILEM, & alios fuiſſe temeritate hominum, unius ex ſociis imprudentia,

a) SANDIO, WISSOWATIO, LUBIENICIO, BUDZINIO, PRZIPCOVIO &ſim.

b) Vid. LUBIENIEC Hiſtor. Reform. Polon. l. II. c. 1. p. 38. ZELTNER Hiſtor. Crypto Socinismi Altorfini c. II. §. XLI. p. 321. not. & *Tract. noſtr.* de Libertate conſcient. adv. Friſicam deductionem. P. II. pag. 75. 76.

Digitized by Google

patefacta, binos comprehenſos & capitali ſupplicio affectos fuiſſe, reliquos dilapſos in Helvetiam, Germaniam, Moraviam & alias regiones aufugiſſe. Hos inter exules SOCINUM poſt varios errores in Poloniam etiam 1551. & 1558. tranſiiſſe, ibique ſemina doctrinæ ſuæ ſparſiſſe, quæ dein uberrimos fructus tulerint. *a*)

At verò, vix credi poteſt, quæ hic de *Venetis* illis & *Vicentinis Collegiis* traduntur, non eſſe ſubleſtæ fidei: Non, quod apud Venetos & Vicentinos tum non fuerint reliquis confeſſoribus intermixti, qui monſtri quid alerent, unde Philippo Melanchthoni jam nata erat occaſio, A. 1539. Epiſtolam ad Venetos *b*) ſcribendi atque eos commonefaciendi, de erroribus Mich. Serveti, qui tum lacertos movebat; ſed, quod ii ſaltem, qui in hoc numero recenſentur, ad illud Collegium pertinere nequiverint; Certè, non *Ochinus*, qui jam A. 1543. Italiam reliquerat *c*) ac Genevam migraverat, nec *Læl. Socinus*, qui tum annorum 21. juvenis erat, ac apud Senenſes ſuos adhuc deliteſcebat, nec ea pollebat auctoritate, ut ejusmodi Societatis præſidem agere poſſet, nec iis hactenus imbutus erat doctrinis, quas poſtmodum prodidit, nec credi poteſt, deinceps A. 1551. in Italiam remigraſſe, ac Senis ad tempus quoddam vixiſſe, *d*) patre ejus Bononiæ commorante, ſi ante paucos annos Inquiſitorum manus & capitale ſupplicium apud Vicentinos effugiſſet; Accedit, quod de ejusmodi Collegio Senenſi, in quo Socinismus veluti in certam quandam formam fuerit redactus, nihil plane commemorent eorum temporum Scriptores; *e*) Uti, quando *Fratres Itali* commemorantur à *Melanchtone* in Epp. ad *Vitum Theodorum* etſim

a) Conf MOSHEM. Inſtitut. Hiſtor. Eccl. ad Sec. XVI. Sect. III. P. II. §. VII. p. 812.
b) Vid. §. XXXIV. p. 57. & MELANCHT. Epiſt. lib. I. Ep. CXI. pag. 150. ſq.
c) Vid. BOVER. Annal. Capucin. L. III. p. 191. 216.
d) Vid. *Muſæ Helvet.* T. V. p. 489 ſq.
e) Conf. FVESSLIN in denen Beytragen Tom. III. p. 327. ſq.

Digitized by Google

ſim. non Antitrinitarii, intelliguntur, ſed, Viri illi præclari, *Reformatæ Eccleſiæ* qui ſe adjunxerunt.

§. XLII. Præ reliquis verò omnibus, quod in *Regno* NEAPOLITANO, ac cumprimis in *Urbe* NEAPOLITANA, religionis Emendatæ doctrina altas egerit radices ac mirificè floruerit, ex illorum temporum Annalibus *a*) colligitur.

Ac erant in illo, qui ibi congregabatur *b*) coetu, Viri multi Nobiles ac Docti, multæ etiam excellenti virtute fœminæ, ſiquidem jam inde à principio, Evangelii reſtituti doctrina permultos illic haberet aſſeclas & ſectatores;

Quæ ratio erat, quod CAROLUS V. cui Regnum Neapolitanum ſuberat, A. 1536. d. IV. Febr. rigoroſum *c*) pu-

a) Eſtque memorabile prorſus quod ea de re nobis ſubminiſtratur teſtimonium, in *Antonii* CARACCIOLI Collectaneis hiſtoricis *de Vita Pauli IV.* P. M. Colon. 1612. 4. ubi p. 239. ita: „ Hæretici homines regiam urbem Neapolim à Petro ipſo „ Apoſtolorum Principe fidei documentis inſtitutam, *Lutheriana labe* inficere ſtuduerunt. Nam primò, *Germani* „ *equites* ad duo mille, & ſex millia peditum, qui poſt direptam Romam eò convolaverant, ut Lauthrecum obſidentem repellerent, impii dogmatis, quod Luthero propinante „ imbiberant, multa & nefaria exempla paſſim ediderunt. „ His poſtea alio amandatis, unus *Johannes Valdeſius* Hiſpanus, qui anno MDXXXV. Neapolim venit, longè „ majorem mentium ſtragem dedit, quam multa illa Hæreticorum militum millia. Hic enim literis tinctus, iis, „ quæ ad comparandam eruditi opinionem ſatis vulgo eſſent, „ placido aſpectu, quique innocentiam præ ſe ferret, comitate, ſuavitateque ſermonis, teterrimam impietatem, incredibili vaframento occultabat. Itaque brevi ad ſe traxit „ multos, his artibus illectos deceptosque. In his duo fuere, „ cæteris omnibus inſigniores, & digna corvo ova, *Bernardinus Ochinus* & *Petrus Martyr* Vermilius, ambo hæreticorum poſtea anteſignani.

b) Vid. *Joſ.* SIMLER in Vita *P. Martyris* inſerta *Scrinio antiquar.* Tom. III. p. I. n. I. p. 14. ſq.

c) Vid. GIANNONE in Hiſtoire Civile de Naples Liv. XXXII. chap. 5. Tom. IV. p. 110.

Digitized by Google

publicaret Edictum, in omnes, qui hæreſi Lutherana vel infecti dicebantur, vel addicti, ac *Petro Toletano*, ſuo in Regni ejus adminiſtratione Vicario, cumprimis hæreſeos & hæreticorum extirpationem injungeret.

Inter eos vero, qui Evangelicæ Doctrinæ per univerſam Italiam propagandæ incumbebant, *Bernardinus* erat OCHINUS, Capucinus Senenſis, cujus tanta fuiſſe dicitur in dicendo eloquentia *a*), ut omnium fere poſt ſe traheret animas, easque veritatibus Evangelicis imbueret; Atque is non minus apud *Neapolitanos* id inſtitutum urgere, provocando ſemper ad Scripturas, unde & eas ſedulo ſcrutari Neapolitani, & ex iis, de *Juſtificatione*, de *Fide*, de *Operibus*, de *Auctoritate Papæ*, de *Purgatorio*, &ſim: ritè informari cœperunt, aliasque & longe contrarias de his capitibus imbibere opiniones, quam fuerant illæ ſuperiorum temporum & Theologorum, non niſi Scholaſticas vel tricas vel nugas, ſectantium.

Equidem, non deerant eodem tempore apud Neapolitanos, qui Papismo nutanti ſuccurrere, *b*) atque adverſus Ochinum inſurgere omni niſu conabantur, omnem moventes lapidem, ne radices ageret altiores veritas *c*) per Ochinum plurimorum animis implantata; Tantum tamen Ochini & reliquorum ſtatim commemorandorum, valuit auctoritas, prudentia, ac eloquentia, ut planè ſupprimi tum Veritas non poſſet, quippe cum hi non minus & diſputando & inſtruendo & lectiones publicas habendo, ex Scriptis Biblicis ac præ-

a) Vid. *Hiſtor. noſtr. Reform. Anglic.* Tom. IV. p. 360.
b) GIANNONE loc. cit. p. 112. 113.
c) „ Enfin, il y avoit encore Frere Auguſtin de Triviſi, & „ divers autres, qui par leurs diſputes, leurs predications „ & leurs inſtructions, ſecondés du Viceroy, s'occuperent „ uniquement à etouffer les nouvelles opinions, qui ſe de„ bitoient en ſecret, avant qu'elles euſſent eu le tems de „ jetter de plus profondes racinès. GIANNONE p. 113.

Digitized by Google

præcipuè Paulinis, ſuam confirmarent Doctrinam, atque ab adverſariorum telis vindicarent.

§. XLIII. Inter eos autem, qui tum ceu Veritatis Evangelicæ Doctores apud Neapolitanos magno cum fructu laborabant, ac rerum ſuarum ſatagebant, erant *Johannes* MONTALCINO, ex ordine Minoritarum, *Laurentius* ROMANUS Siculus, ex ordine (quem tamen reliquerat) Auguſtiniano, & *Petrus* MARTYR Vermilius, Sacerdos & Canonicus Regularis Florentinus *a*) de quorum unoquoque pauca quædam ut moneamus, oportet.

Johannes Montalcino; ſive *Johannes* MOLLIUS, Montalcino ditionis Senenſis oriundus, primò Profeſſor Brixienſis fuerat, ac dein Mediolanenſis, poſtmodum ab A. 1533. Pavienſis; Ejus in civitate *Bononienſi* jam præclara fuerant conſpicua docendi dona, ut ceteris longè anteiret omnibus, quæ res & invidiam excitaverat, & ut Romam citaretur, effecit, unde tamen cum ſalvus Bononiam rediiſſet, niſi quod, à Paulinis Epiſtolis explicandis ut abſtineret, moneretur, haud ita multo poſt A. 1538. *Neapolim* miſſus erat, ubi cum usque ad Ann. 1543. verſaretur, non ſolum Epiſtolas Paulinas explicabat, ſed & adverſus Fratrem *Theophilum Neapolitanum* diſputando ſemet acriter ei opponebat *b*) ejusque *Theſes* ſatyrico ſale perfricabat, unde & in hæreſeos ſuſpicionem deductus, primò iterum *Bononiam* repetere debuit, ac deinceps *Romæ* martyrii coronam accepit.

Petrus MARTYR, is eſt, qui apud Neapolitanos & illuminationis cœleſtis factus eſt particeps, & ut ad plures veritatis lux diffunderetur, egregiam præſtitit operam: *c*)

a) Vid. SALIG. in Hiſt. Aug. Confeſſ. Tom. II. p. 60. 61. ex PANTALEONE lib. IX. p. 263-265. conf. SPONDAN. in Annalib. Tom. II. fol. 508.

b) Conf. GIANNONE loc. cit. p. 113.

c) Conf. SIMLER in Vita P. Martyris. p. 13. 14.

Digitized by Google

Nam, quum hactenus in Scholastica Theologia, in Patribus etiam, multum diuque versatus esset & tandem ad ipsos fontes se totum contulisset, magis magisque quotidie à Spiritu illustratus, errores & abusus in ecclesia cœpit agnoscere. Itaque ad percipienda Evangelicorum quoque scripta animum adjecit, atque nactus *Buceri* in Evangelistas & in Psalmos annotationes, sub *Aretii Felini* nomine editas, diligenter eas evolvit, *Zwinglii* quoque librum *de vera & falsa religione*, & alterum ejusdem *de providentia Dei*, nonnulla etiam *Erasmi*, & legit, & se horum omnium lectione multum profecisse, sæpe ingenuè confessus est.

Neque verò tum, sub modio recondere lucem, sed eandem ad alios proferre sustinebat, quotidie fere privatim cum amicis, qui puræ religionis studiosi erant, aliquid ex sacris literis proferendo, atque institutis eam in rem colloquiis multos in veritate confirmando ac corroborando.

Uti inter eos, quibuscum conferebat, præcipui erant, *Benedictus Gusanus* Vercellensis, perpetuus fere *Petri Martyris* Achates, & omnium studiorum socius, qui tamen biennio fere post, lethali morbo correptus interiit, porrò *Marcus Antonius Flaminius*, *a*) & *Johannes Valdesius*, Hispanus; *b*) Quorum ultimorum præclara sunt alioquin in Doctrinam Evangelii per Italiam diffusi ac disseminati merita.

Laurentius ROMANUS Siculus, se primum Casertæ contulerat,

a) De *M. A. Flaminio* luculenter disseruit Cl. SCHELHORNIUS in *Amoenitat. Hist. Eccl.* Tom. II. p. 1——180. qui & in Dissert. de *Mino Celso Senensi* rectè observat, quam optimi *Flaminii* nomen sempiterna memoria dignum, invisum tamen fuerit ea ætate Italis, Romanæ aulæ sputa lingentibus, ut quod maximè.

b) De *Joh. Valdesio*, cumprimis SCHELHORNIUS in Amoenit. Historico Eccles. Tom. II. p. 47 sq. uti in sequentibus quædam de eo monebuntur.

Digitized by Google

lerat, ac in ea urbe Doctrinam *Zwinglii* inſtillabat, deinde in Germaniam profectus & confirmatior inde rediens, apud Neapolitanos circa Annum 1549. *Melanchthonis Logicam*, diſcipulis ſuis explicabat, & *Pſalmos*, itemque *Epiſtolas Paulinas* & Librum cui titulus *Beneficium Chriſti. a)*

Interea verò, detectus, ac hæreſeos accuſatus, tandem Romæ delatus, illuc ſe contulit ad Cardinalem Theatinum *b)* fideique ſemel agnitæ ac profeſſæ fecit naufragium, neque id ſolùm, verùm delatorem quoque agere non verebatur, quamplurium, qui vel in urbe vel in regno Neapolitano ejusdem veritatis erant aſſeclæ, inter quos & Nobiles quamplurimi erant & Illuſtres Foeminæ deinde à nobis commemorandæ.

§. XLIV. *Petrus* autem *Martyr*, ut pauca de eo adhuc delibemus, in urbe Neapolitana, uti ſtrenuè pergebat, quam veram doctrinam eſſe norat, aliis inſtillare, ita cumprimis *Epiſtolam Pauli ad Corinthios* publice coepit interpretari, idque magno cum fructu, quippe quem non tantùm ejus Collegii ſocii adibant quotidie, verùm etiam aliquot Epiſcopi & multi Nobiles, ab ejus ſermonibus pendere, eique operam dare non negligebant.

Cum autem verba Pauli 1 Cor. III. 12. 13. *Si quis ſuperædificat* &c. interpretaretur, eaque, ſecus ac uſu receptum ha-

a) De cujus libelli Auctore cum multa ſit concertatio, proximè tamen ad veritatem accedere videntur, qui *Aonium* PALEARIUM in hunc cenſum vocant, cujus poſtmodum recurret memoria.

b) Vid. GIANNONE l. c. p. 114. „ A. Rome . . . il fut „ la Confeſſion de ſes erreurs, & lui (au *Cardinal Theatin*) „ decouvrit, qu'il avoit dans Naples & dans le Royaume, „ pluſieurs diſciples, entre leſquels, etoient des Perſonnes „ du premier rang, & pluſieurs Dames titrees, qui apre- „ noient les belles Lettres. Il fut condamné à faire un ab- „ juration publique dans les Egliſes cathedrales de Naples „ & de Caſerte, & de la reconduit à Rome, pour y ſubir „ d'autres penitences.

Digitized by Google

hactenus fuerat, interpretaretur, multos sibi statim adversarios ac hostes susciravit, qui Purgatorii ruinam, quam sibi ex *Martyris* explicatione portendebant, necessario consequi interitum parentalium suorum & indulgentiarum, ex quibus hactenus quæstum fecerant longe uberrimum, prævidebant.

Hi igitur extemplo, apud *Petrum* illum *Toletanum*, *a*) qui vice Regis Neapolitanis imperabat, ac præterea infesto erat in Evangelicos animo, coelum & terram & omnia movere, quò ipsi concionandi munus interdiceretur.

Ea tamen interdictione minimè contentus, & causæ bonitate fretus, Martyr, Romam ad Pontificem provocavit, atque illic, amicorum ope tum adversarios *b*) superavit, eorumque laqueos effugit. Habuit enim in urbe tum amicos potentes æque ac gratiosos; *Herculem Gonzagam*, Cardinalem Mantuanum, *Casparem Contarenum*, *Reginaldum Polum*, *Petrum Bembum*, *Fredericum Fregosum*, omnes & doctos viros, & gratia apud Pontificem florentes, & qui non minus videbantur (non eodem licet omnes animo) aliquam ecclesiæ Emendationem desiderare.

Neque diu tamen, saltem non ultra triennium, *Martyr* apud Neapolitanos commorari, quod aërem Neapolitanum ferre non posset, unde totius Ordinis *Generalis* factus *Visitator*, *Mantuam* concessit, atque ibi non minus quandam Ordinis sui Reformationem, favente Cardinale Gonzaga, meditatus est, ac ipso opere suscepit, invitis licet multis qui disciplinæ severitate commoti, odio eum prosequebantur ac invidia.

§. XLV. Inde igitur *Luccam* se proripere, ac apud LUCCENSES, præter alia instituta præclara, etiam quoddam quasi erigebat Gymnasium, in quo *Paulus* LACISIUS, Veronensis, Latinam, *Celsus* MARTINENGUS Græcam, *Emanuel* TREMELLIUS, Hebræam docebat linguam, ipse autem

a) GIANNONE l. c. pag. 114.
b) SIMLER in Scrin. antiquar. l. c. pag. 16. 17.

Digitized by Google

tem Martyr *Epistolas Pauli* quotidie interpretabatur, earumque sedulam à discipulis lectionem exigebat.

Publicè verò, ante cœnam, *Psalmum* quemdam Davidicum explicare solebat, quò factum est, ut ad ipsum confluerent ex tota fere civitate, Viri complures nobiles & docti, Patricii Luccenses. *a*)

Neque etiam quicquam eorum omisit, quæ ad promovendam, suorumque animis instillandam veritatem facere poterant, ut parum abesset, quin magno cum successu in universa Republica Religionem emendatam plantaret; Certè, singulis diebus Dominicis, ad populum quod verba fecerit, docemur, et, quod *in Quadragesima* cumprimis, uti dicitur, atque *in Adventu*, usitato more, Evangelia jam olim his temporibus adscripta exposuerit, reliquis autem anni partibus, Pauli Epistolas, auditoribus suis fuerit interpretatus.

Quantum autem docendo profecerit, facili conjectura quis colligit, modo advertat, quod, post ejus ex Italia discessum, intra unius anni spatium, *decem & octo socii* illud Collegium deseruerint, & relicto Papatu *Reformationem* fuerint amplexi, seque ad Ecclesias Reformatas contulerint. Inter quos fuere, Vir nobilissimus, *Celsus* MARTINENGUS, ex illustri Comitum Martinengorum *b*) familia qui deinde Genevæ, Ecclesiæ Italicæ magna cum laude præfuit, & *Hieronymus* ZANCHIUS Theologus abhinc primò Argentinensis, deinde Tigurinus: *Emanuel* item TREMELLIUS celeberrimus Hebrææ linguæ Doctor & Codicis sacri Interpres, aliique deinceps commemorandi.

a) De P. MARTYRIS apud Luccenses conversatione & ministerio, nemo melius quam ipse testari poterit in duabus *ad Luccenses* datis *Epistolis*, quæ leguntur inter *Epistolas Martyris*;

b) Vid. SIMLER in *Vita Martyris*, in Scrinio Antiq. pag. 18. & quæ deinde de eo tradentur.

Digitized by Google

Præterquam, quod magnus *Patriciorum Luccenſium* numerus, qui pro Chriſti nomine ſponte exilium *a*) ſubierunt, documentum ſiſtat, quod *Petri Martyris* conciones fructu ubere ac multifario non fuerint deſtitutæ, qui ſe poſtmodum exſeruit multorumque ſaluti inſerviit.

Ne dicamus, quod poſtmodum A. 1562. etiam non deeſſent apud LUCCENSES, qui Evangelicam doctrinam profiterentur, eamque per Mercatores ſuos, qui Lugduni in Gallia ac Genevæ agebant, in Italiam tranſtulerant *b*); Sunt enim, uti notum eſt, ſequentibus etiam temporibus, præ ceteris ſex Familiæ Nobiles, qui ſe Lucca receperunt, ac Genevam fortunarum ſedem elegerunt, *Michelorum*, *Turretinorum*, *Calandrinorum*, *Burlamachiorum*, *Diodatorum* & *Minutolorum c*), quarum propagines etiamnunc in poſteris ſuis reſiduæ, abhinc miris modis Evangelio, cauſæque Reformatæ fuerunt proficuæ, ac Eccleſiæ Dei in hunc usque diem inſervierunt.

§. XLVI. Poſteaquam verò, deinceps *Martyr*, una cum *Ochino*, propter inſidias, quas ipſis ſtruebant Pontificii, Italiam deſerere debuiſſet, & Martyr primò Tigurum, poſt Argentinam veniſſet, factum eſt, ut apud NEAPOLITANOS tamen, Evangelica Doctrina, quæ jam viva voce ad eos deferri non poterat, tamen promoveretur, per varios Libros avide coëmtos ac ſtudioſe lectos, & in ſuccum & ſanguinem converſos, inter quos (uti jam §. VIII. & IX. diximus) erant quædam *Melanchthonis* ſcripta, itemque alius, cui titulus: *Seminarium Scripturæ*, & nonnulla *Erasmi Meletemata*.

Quin

a) *Georg.* BUSDRAGUS in Epiſt. cit. refert. quod, qui ex Italia religionis ergo profugerunt, jam fere numero eſſent octingenti, inter quos nonnulli Viri Docti & prudentes.

b) Vid. RAYNALD. ad A. 1562. num. 137. 138. pag. 392.

c) Vid. HOTTING. in Hiſtor. Ref. Helvet. Vol. III. p. 755. BAYLE T. III. in voc. *Minutoli* & Vol. IV. in voc. *Turretin.* it. PICTET in Orat. funebri in obitum Franc. Turretini.

Digitized by Google

Quin imò etiam, Liber, cui titulus: *Tractatus de Beneficio Christi;* de quo ut pauca quædam notemus, hac data occasione, haud inopportunum erit: Cum enim Italica lingua conscriptus esset, ac dein in Gallicum, quin imò & in Hispanicum idioma translatus, tamen & in Gallia *a*) & in Hispania *b*) eodem modo quo in Italia *c*), simulac senior ejus doctrina cognoscebatur, proscriptus est, ac in Indicem librorum prohibitorum relatus:

Notabile est, de eo VERGERII Judicium: *Multi sunt in ea opinione, quod vix fuerit nostra ætate scriptus tam suavis, tam pius, tam simplex, & ad instruendos, præsertim in articulo de Justificatione rudiores atque infirmiores, tam aptus tamque idoneus; Imo, dicam amplius, Reginaldum Polum Cardinalem Britannum, istius Moroni amicum summum, existimari ejus libri auctorem, aut bonam partem in eo habuisse, saltem certum est, eum defendisse & promovisse cum suis Flaminiis, suis Priulis, aliisque columnis.*

Neque tamen, vel *Polus*, vel, ut alii, *Valdesius*, quin potius, *A.* PALEARIUS *d*) pro vero ejus Auctore reputari potest, cujus hæc sunt verba in Orat. pro se ipso ad Senatum Senensem: *Ex Christi morte, quanta commoda allata sint generi humano, cum hoc ipso anno Thusce* SCRIPSISSEM, *objectum fuit in accusatione. Quid hoc indignius dici aut excogitari potest? Ajebam ego, ab eo, in quo divinitas inesset, vita cum sanguine pro salute nostra tam amanter profusa, nihil nos debere de coelestium voluntate dubitare, omnia nobis tranquilla & quieta posse polliceri: affirmabam, ex monumentis vetustissimis & certissimis, finem malorum esse*

a) Vid. ARGENTRE Judicia de novis erroribus Tom. II. fol. 175.

b) Vid. *Antonii* SOTO MAJOR in Indic. libr. prohib. fol. 949.

c) Vid. Franc. Magdaleni *Copifarrei* Elenchus ap. SCHELHORN amoen. Hist. Eccl. T. I. p. 156.

d) Conf. SCHELHORN. l. c. p. 156. sq. PALEAR. Orat. III. *pro se ipso* pag. 81. col. 202.

Digitized by Google

factum, notam omnem deletam, iis, qui animo in Chriſtum crucifixum converſi, ejus fidei ſe permitterent, acquieſcerent promiſſis, ſpe pleni hærerent in uno, qui fallere neſcit opinionem. Hæc ita amara, deteſtabilia, exſecranda ſunt viſa XII. *illis, non dico hominibus ſed feris immaniſſimis, ut ſcriptorem in ignem deturbandum cenſerent.*

Nam, & apud MANTUANOS, quod Euangelicæ doctrinæ fuerint ſparſa ſemina, docemur, ex ſingulari quodam *Pauli III.* Brevi *a*) Anno 1545. d. 7 Febr. dato ad *Cardinalem Mantuanum:* quod ita ſe habet: S. Accepimus „ nuper, quod cum in iſta civitate *Mantuæ*, nonnulli Cle„ rici, etiam literarum, & ſacræ Theologiæ rudes, artes„ que mechanicas exercentes, auſu temerario, de rebus ad „ fidem Catholicam pertinentibus, deque articulis fidei, & „ S. Romanæ Eccleſiæ ſacris inſtitutis, non ſolum diſputare, „ ſed etiam dubitare auderent, in animarum ſuarum perni„ ciem, & grave aliorum ſcandalum. . . . . horta„ mur, ut in cœpta pietate ac vigilantia perſeveres, utque „ per te, vel alium, ſeu alios a te ſubdeputandos, etiam „ contra Clericos ſæculares, & cujusvis Ordinis etiam men„ dicantium regulares, per totam *civitatem Mantuæ*, & „ tuam *diœceſin Mantuanam* exiſtentes, & ubicunque tua „ jurisdictio quomodo libet ſe extendat, etiam auctoritate „ Apoſtolica exemtos, & ſedi Apoſtolicæ immediate ſub„ jectos, ſuper crimine hæreſis, &, an eorum aliqui libros „ hæreticos habeant, legant, &, opiniones ab Eccleſia re„ probatas, ac damnatas ipſi teneant, & alios doceant, „ juxta canonicas ſanctiones diligenter inquiras, teſtes reci„ pias, culpabiles & ſuſpectos capi, & præviis judiciis tor„ queri facias, proceſſusque deſuper usque ad ſententiam „ diffinitivam excluſive formatos, tuo ſigillo clauſos, in for„ ma authentica ad nos tranſmittas, ut deſuper opportune „ providere poſſimus &c. Dat. Romæ.

§. XLVII.

a) Apud RAYNALD. annal. ad A. 1545. n. 52. fol. 253.

§. XLVII. Eſt verò illud quoque commemoratione dignum, quodque non ſine providi Numinis celebratione recenſeri poteſt, ut, cum, qui apud Italos Euangelicæ religioni erant addicti, in exilium migrare cogerentur, inde non vulgare tamen commodum ac incrementum acciperet Reformatio Euangelica, atque illa Fratrum diſperſio, faceret ad Eccleſiarum Reformatarum incrementum, ad eundem ferè modum, quo perſecutiones primorum Chriſtianorum cedebant εἰς προκοπὴν τοῦ Εὐαγγελίου, quippe cum identidem *Helveticæ Eccleſiæ*, profugis aſyla præſtarent, ac *Italorum* ſe in Helvetiam recipientium, *ope*, magnopere adaugerentur.

Huc *Petri Martyris* & *Bernardi Ochini* modo laudata pertinent exempla; *Poſterior* certè, uti magna ejus fuerat apud Italos, & præciſe apud Neapolitanos auctoritas, *Tigurum* conceſſerat, ibique Tigurinam Eccleſiam multis modis ædificavit, *a*) cœtui Italico præfuit, veræque & piæ eruditionis laudem obtinuit, quanquam, quod dolendum, in errorum ſive Unitariorum, *b*) ſive Anabaptiſticorum præcipitia deinde prolapſus dicatur.

Sed &, huc faciunt reliqua *Theodori Trebellii*, *Julii Terentiani*, qui filii loco Martyri conſtanter & fideliter ad obitum usque adhæſit, *Emanuelis* TREMELLII, *Cœlii Secundi* CURIONIS, *Galeacii* CARACCIOLÆ, *Ulyſſis* MARTINENGI & plurium aliorum, exempla, poſtmodum ſtrictius recenſenda.

a) De *Ochino* ſingulari in Eccleſias Reformatas ſtudio ac induſtria, egit SALIGIUS in Hiſtor. Confeſſ. Auguſt. Tom. II. pag. 419, 20 ſq & STRYPE in *Eccleſiaſtical Memorials* Tom. II. fol. 189.

b) Conf. J. H. HOTTING. ſenior, in *Hiſt. Eccl.* ſec. XVI. P. V. c. 3. p. 475. qui totum cum eo apud Tigurinos habitum nobis enarrat, Proceſſum, interea tamen Auctor *obſervationis Halenſis* XX. Tom. IV. p. 408. & vitam ejus luculenter recenſet, & eum ab erroribus ipſi & dialogis ejus impactis, immunem declarat. conf. SALIG. l. c.

Digitized by Google

Quippe, cum eum in finem quoque, non apud *Tigurinos* ſolum, ſed & apud *Genevenſes a)* & per totam *Vallem Telinam*, ac ſub ditione *Rhætorum*, quin imo etiam, *Argentorati*, & apud *Anglos* deinceps, *Eccleſiæ* ITALICÆ fuerint erectæ; quarum nunc omnium hiſtoriam non teximus, niſi quod illud tamen commemorari mereatur *b)*; quod inter coeteras eminuerit illa *Rhætorum*, *Clavennenſis*, ad quam *Hieron. Zanchius* aliquando vocatus fuit, *qui Auguſtini Maynardi* vices obiret, uti *Lentulus Scipio c)* inſignis Neapolitanus erat, qui A. 1567. Eccleſiæ Clavennenſis Miniſter, Zanchio ſucceſſit, ac *Simonis Florilli*, itidem apud Clavennenſes Miniſtri, videtur fuiſſe collega.

Uti non minus *Pesclavienſis* Eccleſia celebratur, quam A. 1555. & *Julius Mediolanenſis* gubernabat, & *Paulus Gadius* Cremonenſis, quod in Ep. ad Bullingerum teſtatur Julius *d)* ille, qui & ita tum ad Bullingerum: *Coeterum Eccleſiæ noſtræ Vallis Telinæ, quæ ſunt Pesclavii, Tirani, Tilii, & Sendrii pergunt concordes in veteri & ſimpliciſſima doctrina, quæ ab ætate Apoſtolorum apud omnes Eccleſias recepta fuit, & hodie Dei gratia ſine controverſia docetur, in veſtræ Helvetiæ & noſtræ Rhætiæ eccleſiis.*

Ut non commemoremus alias Regiones, in quas ſe effuderunt Itali Confeſſores, patria ſua extorres, uti cumprimis conſtat, quod non minus in *Poloniam* fuerint deportati; Tametſi inter ultimos illos fuerunt, docti quidem Viri & papalis ſuperſtitionis (verba ſunt CAMERARII *e)* deſertores, ſed

a) Conf. SIMLER in vita *P. Martyris* in Scrinio noſtr. antiq. T. III.

b) vid. *Scrin. noſtr. antiq.* p. I. p. 44. loc. cit.

c) vid. SCHELHORN. in diſſ. de *Mino Celſo* Senenſi. p. 36. & p. 56.

d) vid. FUESSL. Epiſt. Helvet. n. 81. p. 358, 359.

e) vid. CAMERAR. in Hiſtor. de Eccleſiis Fratrum in Bohem & Morav. p. 140.

Digitized by Google

ſed nimis tamen audaces, & ſibi præſidentes, & in libertate exſultantes & prodeuntes extra modum, ultraque terminos progredientes, opinione abundantis ſcientiæ.

§. XLVIII. Eſt autem in genere certiſſimum, quod, niſi perſecutionum vis & ſacerrimum illud *Inquiſitionis tribunal*, Euangelii progreſſui ac liberæ profeſſioni Veritatum Euangelicarum obicem poſuiſſet, ITALIA æque ac *Hiſpania* univerſa, ſalutari Reformationi colla ſubmiſiſſet; Adeò multa erant Italorum ingenia, quæ veritatis luce colluſtrabantur, ſed &, adeò ſevera erant adverſariorum in eos, ac ſanguinolenta Edicta, & Perſecutiones excitatæ, quæ ne quidem Viris nobilibus ac doctis parcebant, iisque, qui vel in Dignitate ſive eccleſiaſtica ſive civili erant conſtituti, &, quorum merita in rem litterariam & omnis generis eruditionem omnium præſtringebant oculos, non diffitentibus ipſis Romanæ Fidei hyperaſpiſtis.

Sunt hic verba quædam OLYMPIÆ *Fulviæ Moratæ a)* ad Cœlium Secundum Curionem A. 1551. perſcripta, memorabilia: *Non hoc animo*, inquit, *huc* (Swinfordiam) *venimus, ut iterum Italiam petamus, nam te non fugit quam ſit periculoſum, illic ſe Chriſtianum profiteri, ubi poteſtatem habet tantam Antichriſtus, qui jam ita bacchatur, atque ita ſævire incipit, ut ludum jocumque dicas alterum illum b) fuiſſe præ ut hujus rabies. . . . . Quare, licet meorum maximo deſiderio tenear, tamen in ultimas terras proficiſci mallem, quam eò redire ubi ille tantoperè ſæviendi c) poteſtatem habet.* . . Atque, in

a) Vid. *Olymp. Fulv. Moratæ* opuſc. p. m. 115.

b) Intelligit *Paulum III.* cui ſucceſſerat Pontifex novus, ſub nomine *Julii III.* crudelis & ſævus in Evangelicos.

c) Extat Scriptum *Hieron. Maſſarii* Vicentini, ſub tit. *Euſebius captivus*, ſive, *de modo procedendi in Curia Romana contra Evangelicos*, Baſil. 1553. quem dein recuſum dedit *Chr.* PEZELIUS Brem. 1597. 8.

Digitized by Google

in alia Epiſtola: *Ex literis, quas proxime ex Italia accepi*, Ferrariæ, *crudeliter in Chriſtianos animadverti, intellexi, nec ſummis nec infimis parci, alios vinciri, alios pelli, alios fuga ſibi conſulere.*

§. XLIX. Eſtque adeò probroſa quidem, ſed ingenua PALLAVICINI *a*) Confeſſio, ſcribentis, *quod ſancto Inquiſitionis officio, à Paulo IV. Cardinalibus* (ceu, quo uno nitatur Apoſtolicæ ſedis auctoritas) *commendato, Italia, ſervatam fidei integritatem, acceptam referre debeat.*

Cardinalis *Caraffa* certè, jam A. 1542. PAULO III. id conſilii dederat, ut Inquiſitionem in Italia ſtabiliret, *quæ jam tum* (uti teſte SPONDANO *b*) loquebatur) *Lutheriana hæreſi infecta erat tota, quippe quam non politici ſolum, ſed & eccleſiaſtici quamplurimi amplecterentur.* Idem ille verò Pontifex, ſub nomine PAULI IV. factus, omni opera atque ſtudio eam promovere conabatur, ut quoque, cum aliquando A. 1557. decem creaviſſet Cardinales, affirmaret, „ ſe in præſentia plures addere non potuiſſe, ſed brevi, *re-* „ *jectis inde perduellibus aliquot*, numerum imminutum, „ atque à ſe viros probos & *fideles* ſubrogandos; quod ille, obſervante SARPIO *c*) dictitabat propter eos, qui in arcem ſive caſtellum S. Angeli, jam detruſi erant, ac in captivitatem dati, aliosque, quos, ſive religionis intuitu, ſive rerum civilium ergo, in eundem locum compingere deſtinaverat.

Neque enim rebus bellicis, uti verè bellicoſus erat, adeò erat intentus, ut *Inquiſitionis* curam abjiceret, quam verè præcipuum nervum & arcanum Pontificatus nuncupabat.

Nam, ex indiciis quibusdam, ſuſpicatus, Cardinalem *Johannem*

a) PALLAVIC Hiſt. Conc. Trid. Lib. XIV. 9. 5.
b) SPONDAN. in Annalib. ad Baron. T. I. p. 475. & 567.
c) vid. SARP Hiſtor Concil Trident. l. V. p. 365. 366. edit. Lat. ſed edit. COURAY. Tom. II. pag. 42. 43.

Digitized by Google

nem Moronum a), cui vehementer infenſus erat, cum Germanis colludere, eundem ſub prætextu religionis in vincula conjecerat, utque à quatuor Cardinalibus ſevera admodum Inquiſitione examinaretur, curabat; Uti non minus Cardinalem *Reginaldum Polum b*) & *Aloyſium Priulum*, nobilem Venetum *c*) ac utriusque cum Moroni tum Poli amicum, ab Inquiſitoribus tum vexatum fuiſſe, conſtat; itemque *Ægidium Foscararid*) Epiſcopum Mutinenſem, quem & eundem diu ſatis ſub Lutheraniſini prætextu in cuſtodia habuit.

Quid? quod, cum jam videret urgeri à ſummis Imperantibus, Concilii Tridentini inſtaurationem, variæque cogitationes ſenem ambitioſum diſtringerent, ut obeundo fere muneri par non eſſet, legatur, rarius ſolito quidem Patres (i. e. Cardinales) *e*) in Conſiſtorium convocaſſe, tum convocatis, prope aliud nihil nifi Inquiſitionem intonaſſe, ad ſa-

a) Conf. Jo. Georg. FRICKII Diſſ. de *Jo. Morono* in Schelhorn. Amoenit Literar. Tom. XII. p. 546. 547 & ſq. ubi & *Articuli* leguntur, quos *contra Cardinalem Moronum Lutheranismi ſuſpectum formarunt* Cardinales reliqui, quos libello rariſſimo ediderat anno ſequenti 1558. 8. *P. P.* VERGERIUS unà cum additis ſcholiis, quorum & mentionem injicit, Cl. BAUMGARTEN in Biblioth. Halens. Germ. Tom. II. p. 69. 70.

b) Quod POLUS, quantopere etiam, cum in Angliam redux eſſet, in Reformatos deſæviret, in Lutheranismi ſuſpicionem tamen devenerit; ac forte, Evangelicam doctrinam in corde ſuo non improbaverit, ex quam varijs conſtat documentis, licet in omnia alia abire, nefaria ſimulatione concivibus ſuis perſuadere fuerit annifus. Conf. SCHELH. in Hiſtoria operis adv. Henricum VIII. ſcripti, in Amoenit. Hiſt. Eccl. Tom. I. p. 152–157.

c) Conf. Regin. POLI. Epiſtol. Vol. V. pag. 34.

d) Erat is ex ordine Prædicatorum, nobilis Bononienſis, in cujus favorem Moronus Episcopatum Mutinenſem dimiſerat.

e) SARPIUS l. c. p. 372.

Digitized by Google

vendum ei, (uti SARPIUS loquitur) velut unico extinguendis hæresibus remedio, omnes ferè cohortatus.

Imo verò, in ipso mortis articulo, fere Cardinalibus nihil adeò commendasse, dicitur, quam *Inquisitionis Officium*, unicam, ad Ecclesiam sartam tectamque conservandam, rationem, atque ut de eo, *in Italia* potissimum, dein, quacumque possent, stabiliendo, cogitatione omni incumberent, obnixe contendens.

Quæ tamen res, adeò populum Romanum exacerbasse dicitur, *ut*, Pontifice adhuc animam agente, jam in novum Inquisitionis *a)* carcerem ignem immitteret, dimissis qui in eo continebantur, *ut*que Dominicani, vix ædium suarum eversionem evitare potuerint, quod iis potissimum Inquisitionis exercendæ munus demandatum esset.

§. L. Eo fere tempore, saltem circa medium Seculi XVI. cum mirificè auctus esset numerus, eorum, qui non solum in Gallia sed & in Italia Reformationis doctrinam amplectebantur, *Senatus* VENETUS, ab emissariis Pontificiis acriter instimulatus, Edictum renovavit, jam inde à longo tempore, anno scilicet ejus seculi vicesimo primo, factum, cum *in agro Brixiano*, in homines de religione suspectos, tanquam in veneficos, & cum humani generis hoste commercium habentes, severæ quæstiones haberentur. „ Eo cautum erat, ut qui li-„ bros improbatæ lectionis haberent, intra diem octavum, ad „ homines delegatos perferrent, alioquin fore ut anquiratur, „ & de noxiis poenæ exigantur; Delatoribus silentium & „ præmium promittebatur. Flagitantibus legatis Pontificiis, id à Republica impetratum, sed ea cautione, ut episcopis & inquisitoribus minimè permittatur Judicium, sed adhibeantur sem-

a) SARP. l. c. p. 376. conf. THUAN. Histor. Lib. XXIII. c. 15. fol. m. 788. ex quo eadem repetit SPONDANUS p. 588.

b) conf. RAYNALD. ad Ann. 1559. n. 35. & 36. fol. 212. add. HARÆUS in Annalib. Brab. Tom. II. p. 705.

Digitized by Google

semper, locorum præfecti, & Jureconsulti, qui testimonia cognoscant & videant, ne quid religionis prætextu, inique aut avarè, in suæ ditionis homines admittatur, quam eandem cautionem etiam, postquam altioribus radicibus Lutheri doctrina hæsit, quantumvis fremente Pontifice, Veneti servarunt ac servant. *a*)

Tametsi autem Pontifex ita, per emissarios suos, coelum, terram, maria movere non negligebat, ac Inquisitionis tribunal homines innocentes dolo malo, nullo jure, nullis suspicionum vestigiis, gravissimis cumularet cruciatibus, ut ingens confessorum multitudo, urbem relinquere atque omnem quoque Italiam cogeretur; Tamen non deerant, (inprimis cum, uti visum est *Senatus Venetus*, ne impiis inquisitorum manibus omnia permitterentur, sedulò provideret) qui clam reliquis illic manere, ac se intra suos limites continere, sustinebant, quorum circa A. 1560. iterum adauctus adeo numerus erat, ut Ministrum quendam sibi advocare, ac aliquem certum in coetibus suis constituere Ordinem, quin imo, ut S. Coenam intra privatos parietes celebrare, non verentur; Sed hi, per delatores, falsos fratres, quos sibi, sumtus in ipsos erogando, devinciebat Papa Pius V. delati, summo statim in periculo versabantur, dum alii in vincula conjecti, alii in mare suffocati, alii aliis modis, capitis pro veritate supplicium adire debebant. Inter submersos, connumeratur *Johannes Guirlanda*, Trevisanus, qui d. 15 Octob. 1562. submersus legitur; *Antonius Ricetto*, Vicentinus qui d. 15 Febr. 1566. submersus est, *Franciscus Sega*, Rovigensis, qui d. 23 Febr. ejusdem anni, idem supplicium habuit, & *Franciscus Spinola*, Mediolanensis d. 31 Jan. 1567. eodem mortis genere sublatus.

§. LI. Neque mirum, quod apud *Venetos* Reformatorum doctrina tantas egisset radices, cum apud eosdem jam circa medium seculi ejus, purior AUGUSTINI *de Prædestinatione* &

a) vid. THUAN. ad Ann. 1548. Vol. I. Lib. V. p. 181.

Digitized by Google

Gratia doctrina prævaleret, ac ipsos Proceres Venetos haberet Patronos, uti ex iis quæ circa *Johannem* GRIMANI Patriarcham Aquilejensem, acta esse, *Pallavicinus a)* pariter ac *Od. Raynaldus b)* tradunt, cognoscitur. Erat is Patricius Venetus, literatura insignis, & disciplinæ conservandæ observantissimus. Is A. 1549. atque adèo finita Synodi Tridentini discussione *c)* dogmatis de Gratia, à Generali suo Utinensi, literas acceperat, offensos auditores, cum Fr. Leonardus Utinensis Dominicanus, pro concione diceret; *Prædestinatus* (electus) *à Deo, nullo modo damnari potest, quia quantumvis in peccata labatur, Deus eum ita eripit, quod illum salutem tandem consequi necesse sit. 2. Electio ac prædestinatio ita sunt necessariæ, ut in voluntate & arbitrio nostro neque salus neque damnatio posita sit.* Grimanus autem, re mature expensa, Epistola, qua Prædicatoris in hæreseos suspicionem vocati, partes defendit, Prædestinationis arcana, explicaverat, simul verò, post aliquot mensium spatium, integrum expedierat Tractatum, quo fusius eandem causam edisseret.

Tum verò, duodecimo ab Epistola scripta anno i. e. 1560, nonnulli Clerici, quorum moribus corrigendis & castigandis, Grimanus operabatur, *d)* eam ad Inquisitores & per istos ad Pium IV. recens electum Pontificem, & de Grimano in Cardinalem evehendo, urgentibus Venetis, cogitantem, deferunt, *errorum* videlicet *Lutheranorum & Calvinianorum* suspicionem Pontifici adversus Grimanum suggesturi. Pontifex, circa donationem Purpuræ, moras nectere. Adversarii autem ex Grimani Epistola septem eruere quæstiones: 1. *Prædestinatio à solo Deo est.* 2. *Duntaxat à li-*

a) PALLAVICIN. in Hist. Conc. Trid. l. 21: 7, 8. 22: 3, 10.
b) RAYNALD. ad ann. 1549. n. 24. fol. 425.
c) Erat enim dogma illud A. 1547. Sessione VI. jam definitum & absolutum.
d) HOTTING. de Prædest. & Gratia Lib. IV. §. 75. p. 63, 64.

Digitized by Google

liberis Dei promissionibus pendet. 3. *Prædestinatus damnari non potest.* 4. *Reprobos nunquam Deus intuetur oculis misericordiæ.* 5. *Diabolus prævalere non potest contra determinatum numerum Electorum.* 6. *In salutis negotio totum Deo tribuendum est.* 7. *In reprobis nihil valet liberum arbitrium ad salutem obtinendam.*

Grimanus autem, moræ ab Inquisitoribus Romanis factæ pertæsus Romam deserere.

Senatus tamen Venetus, à Papa obtinere, ut cognitio rei ab Inquisitoribus ad Tridentinos deferretur, hisque ea tota committeretur.

Re igitur, in redintegratione Concilii Tridentini, 1563. per certos deputatos ex Prælatorum & Theologorum *a*) ordine, per 24. dierum spatium, discussa, unanimiter est pronunciatum: *Epistolam illam cum Apologia junctam non esse hæreticam, seu de hæresi suspectam, neque scandalosam, non tamen propter nonnulla difficilia minus exacte illic explicata divulgandam.* Tanta erat Procerum Venetorum auctoritas, & Pontificis erga eos reverentia!

Quomodo autem, sequentibus temporibus, se apud Venetos habuerit res reformata, inprimis temporibus Pauli SARPII, nobilis illius Venetorum Historiographi & Synodi Tridentinæ descriptoris, itemque, superiori Seculo, inde à quo cum sede Romana reconciliata fuit Respublica, jam non inquirimus, nisi quod constet, quod etiam nostris temporibus, non desint, qui Ecclesiam occultam illic congregari affirment, uti quod Germanis Protestantibus, Venetiis qui versantur, sacra, clam licet, administrasse dicitur, *Johannes* FABRICIUS, Theologus quondam Altorfinus, deinceps Helmestadiensis, celeberrimus, cujus extant Amoenitates Historico-Ecclesiasticæ 1694. 4. observante doctiss. Le BRET in diss. *de Statu præsenti Ecclesiæ Græcæ in Dalmatia* pag. 6.

a) RAYNALD. ad ann. 1563. n. 137. fol. 486.

Digitized by Google

§. LII. Enimverò, quod non minus in Subalpinis regionibus, Inquisitionis furor aliquando sit repressus, exemplo docemur, quod ad A. 1563. sub finem Concilii Tridentini annotavit *P.* SARPIUS: Cardinalis enim Lotharingius, cum Tridento excederet, ut Cardinali Ferrariensi ex Gallia in Italiam reversuro obviam iret, è re sua judicabat, Ferrariensis, cum in Pedemontium descendisset, Evangelicorum, quos illi hæreticos vocant, numerum, illic deprehendit non minorem *a*) quam in Gallia. „ Siquidem (ea sunt SAR- „ PII *b*) verba) comperit variis in locis Marchionatus *Salu-*

a) Quamvis etiam à Pio IV. uti vel ex ejus Brevi d 5 Aug. 1561. dato, liquet, apud RAYNALDUM ad h. a. num. 106. p. 316. instigatus, Sabaudiæ Dux nihil eorum omitteret, quæ ad eos extirpandum facere poterant.

b) SARP. Hist. Conc. Lib. VIII. p. 642. Quæ omnia ex amussi convehiunt, cum iis, quæ Pii IV. legatus & Nuncius VISCONTI, tum, id est, A. 1563. d. 31 Maii scribebat ad Cardinalem Borromæum (v. Epp. Visconti Tom. II. p. 25.) hunc in modum; *In Piemont, Quiers e Coni, per le maggior parte sono Vgonotti* &c. i. e. Il y a plus de la moitié des Piemontois, qui sont Hugonots, &, sur tout *a Quiers & à Coni*, & en plusieurs autres lieux, ou il y en a beaucoup qui sont imbus de leurs sentimens, dont plusieurs Gentillhommes se trouvent aussi infectez, à la Cour meme de son Altesse Royale, comme on s' en apercoit de plus en plus. Tous les Prêtres ont eté chassez de Droner, qui est une de principales Bourgades du Marquisat de Salusses.

Je croi que votre Eminence aura apris, quæ, ces jours passez, son Altesse fit publier un Edit, par lequel il est enjoint à tous ceux, qui sont d' une telle secte, de sorter de ses Etat dans huit jours, & quelques uns s' en etoient deja retirez; mais ce Prince n'a pas voulu faire d'autres poursuites contre ces sortes de gens, parce que ses Ministres lui ont conseillez, de n'aller pas plus avant, c'est pourquoi suivant

Digitized by Google

„ *Iuziæ* facerdotes omnes ſedibus pulſos, & ejectos, etiam „ *Cleri* & *Cunii*, locis ditionis Principis Sabaudiæ, aliisque „ oppidis circumvicinis, multos easdem cum Hugonottis „ opiniones fovere, in ipſa Ducis aula plerosque eas profi„ teri, & plures indies ex iis detegi: Ac, licet ante men„ ſem Dux ille Programmate edixiſſet, ut intra dies octo „ omnes earum opinionum ſequaces regione excederent, & „ nonnulli etiam aliò commigrarant; poſt tamen, præcepit „ Dux, ne contra ipſos ultra procederetur. Quin & mul„ tis ab Inquiſitione condemnatis ſuppliciorum gratiam fe„ cerat, & actiones contra ipſos, aliosque in quæſtionem „ quidem vocatos, ſed nondum condemnatos *a*), irritas eſſe „ juſſit: aliquibus etiam, qui diſceſſerant, redeundi facultate „ conceſſa.

§. LIII. Quid? quod, incredibilis Paparum furor, etiam in Scripta & Libros Evangelicorum *b*) ſævierit, inde ab eo tempore, quo Catalogi hæreticorum & librorum damnatorum typis vulgari coeperunt.

Et, ſunt hic P. P. VERGERII *c*) verba memorabilia. „ Cum ante decennium Papæ animadverteſſent, in Italiâ quo„ que Evangelii facem licet exiguam, accenſam eſſe, & li„ bros nonnullos ex eo genere circumferri, quos ipſi (pro „ ſummâ eorum cum Deo & Chriſto inimicitia) ſummè ode„ runt, Sorboniſtas atque Lovanienſes imitati, Catalogum „ conſcripſerunt, in quo paucos quosdam vix LXX. notarunt „ & condemnarunt. Contra hunc, qui omnium primus in „ Italia

vant une maxime tout contraire, il a fait grace à ceux, qui etoient condamnez par l' inquiſition; & ayant annullé les Procedures faites contr'eux, il leur a permis de retourner de leur exil.

a) Hanc circumſtantiam paulo aliter, Visconti, uti ex relatis conſtat.

b) SPONDAN. Annal. T. II. fol. 567.

c) vid. VERGERII Operum contra Papatum Tom. I. p. 236.

Digitized by Google

„ Italia prodiit, novum ſcilicet monſtrum, anno ſcilicet 1548. „ Venetiis impreſſum, ſcripſi quædam Italicè & reprehendi „ illorum non modo impietatem & blasphemias, ſed inſci- „ tiam quoque ſingularem. Quare haud multo poſt, anno ſcil. „ 1552. alterum Florentiæ promulgarunt, in quo emenda- „ runt quidem (quod fuiſſent à me moniti) nonnullos errores, „ ſed novos & quidem valdè pudendos admiſerunt. Cum „ verò contra hunc quoque, ſtylum acuere, zelus gloriæ Dei „ me impuliſſet, ecce tertium concinnarunt A. 1554. Medi- „ olani, emendatis quidem aliquot ex erroribus, quos ego „ indicaveram, ſed additis interim nonnullis, nihilo deformio- „ ribus, quam fuerant priores. Quid multa? Quartum quoque „ Venetiis eodem anno 1554. ediderunt, quem, cum vidis- „ ſem novis quibusdam ineptiis atque ſtultitiis & pene furo- „ ribus refertum, hunc quoque excipiendum putavi meo „ ſcripto, non Italico amplius ſed Latino. Poſtremo, hoc „ ipſo ſcilicet anno 1559. Romæ fabricarunt quintum &c.

Quanram ſtragem ſub Paulo IV. A. 1559. Germaniæ clariſſimorum virorum Scripta religionis nomine publicè paſſa ſint, teſtes eſſe poſſunt, qui eo tempore in Italia fuerunt. De ejus incendii auctore primario, ita cecinit *Conradus* GESNERUS, Polyhiſtor Tigurinus, ſub ficto nomine *Sudarnoci Surenſegi*, primariam ejus ſimul cauſam indigitans: *a)*

Ineptus olim & conſcius Pictor ſibi,
Galli figuram venditurus alitis,
Puerum jubebat, forte gallinaceus
Ne vivus ullus ales eo procederet
Cavere. Idem hodie nonne facit ter maximus
Pictor? licere qui ſibi putat omnia,
Quæcunque pingit atque comminiſcitur;

Quæ-

a) vid. *Thom.* NAOGEORGI Regnum Papiſticum in app. p. 309. & Cl. SCHELHORN Amoenit. liter. Tom. VII. pag. 99.

Digitized by Google

Quæcunque fingit atque mentitur: jubet
Illis haberi ſimpliciter ab omnibus
Fidem. Et quia nuper improbari coeperant
Commenta, quæ obtrudit miſeris mortalibus,
Nunc veritatem è finibus ſuis juſſit
Faceſſere, exulare cum omnibus bonis
Sanctisque libris: in quibus veri alites
Ad æthèrem alis evolantes limpidum,
Teſtantur alta voce coeleſtem Dei
Inſtare lucem, Filium per unicum:
Ad hanc, relictis & tenebris, ſe præparent
Surgantque mortales, monent graviſſimè.

Et ſunt graviſſima in hanc cauſam verba NATALIS COMITIS, Scriptoris Veneti *a*) Seculi XVI. „Exiit edictum, ut „ libri omnes impreſſi, vel explanationibus ab hæreticis „ ſcriptoribus contaminati, at non illuſtrati, ſanctiſſimis ma„ giſtratibus quæſitionum ubique afferrentur, propoſitis etiam „ graviſſimis ſuppliciis, ſi quis illos occultaſſet, ſuppreſſiſſet, „ ac non obtuliſſet. Tanta concremata eſt omnis generis li„ brorum ubique copia ac multitudo, ut Trojanum prope in„ cendium, ſi in unum collati fuiſſent, apparere poſſet. Nul„ la enim fuit bibliotheca, vel privata vel publica, quæ fue„ rit immunis ab ea clade, ac non prope exinanita: Com„ buſti ſunt libri in multis Italiæ civitatibus, ſed non ſine „ multis populorum lamentationibus, ob amiſſos ſumtus.

Conſentit *Latinus* LATINIUS *b*) in Ejus Ep. d. 19 Januar. 1559. ad Andr. Maſium: *Sed heus tu! quid tibi tandem venit in mentem, ut quo maximè tempore omnibus pene libris, qui adhuc ſunt editi, nobis interdicitur, etiam novos publicare cures? Nemo apud nos, ut ego quidem ſen-*

 tio,

a) vid. *Natal.* COMES *Hiſtor. ſui temporis* Lib. XI. p. 262.
b) vid. *Lat.* LATINII Lucubrat. Part. II. p. 61, conf. SIMLER in Vita Bullingeri. p. 33.

Digitized by Google

tio multis annis reperietur, qui ſcribere aliquid audeat, niſi ſi quid inter abſentes per epiſtolas agendum erit. Prodiit nuper Index librorum, quos ſub anathematis poena habere prohibemur, ii verò tot ſunt, ut pauciſſimi nobis relinquantur, præſertim eorum, qui in Germania ſunt excuſi.

§. LIV. Neque verò ab hac materia alienum videri poteſt, ſi Veritatis teſtium, ſive MARTYRUM, Κατ' ἐξοχην ita dictorum, inter Italos, exempla quædam colligere velimus, qui morte ſua Veritatem, quam profitebantur, confirmarunt, eoque ipſo multorum, uti credere fas eſt, ſaluti inſervierunt, poſteritati ſaltem, pietatis, fidei, & conſtantiæ memorabile dederunt exemplum, atque comprobarunt, quam, nec defuerit ITALIS, à natura datus ardor ille animi, & alacritas, qua ad res arduas ac difficiles fortiter ſuſcipiendas perſequendasque impellebantur, ac ſuſtentabantur, aut, ſicubi defeciſſent, divini Spiritus ope redintegrabantur.

Atque, hic ante omnia ſe nobis offert, ex nobili Faninorum familia ortus, *Fannius* ſive FANINUS, uti à quibusdam ſcribitur, dictus *Faventinus*, quod Faventiæ (vulgo *Faenza*) Romani Pontificis oppido, in ea regione, quæ Romaigna corrupto nomine appellatur, eſſet oriundus.

Is, cum per ſedulam Scripturæ S. lectionem ad veritatis cognitionem veniſſet, nulli equidem pepercerat operæ, quò quæ didicerat ipſe, aliis quoque inſtillaret. Id verò, cum Pontificis Romani ſatellitibus in oculis ſudes eſſet, factum eſt, ut carceri A. 1547 aut 1548. manciparetur.

In eo autem, cum, nondum ad meſſem maturus, detineretur, carnis imbecillitate, ac uxoris, liberorum, & amicorum ſuaſionibus, obnoxius factus, equidem primò molimínibus hoſtium ita ſuccubuit, ut Veritatis abnegatione ſibi ex eo liberationem quandam pararet. At verò, non ita multo poſt, &, in veritatis cognitione, &, in ejusdem conſtanti profeſſione, confirmatior factus, ac divina gratia ſuffulrus,

quam

Digitized by Google

quam ita commiserat culpam, seriò deflere non solum, sed & aperte confiteri, atque iterum, majori quam antea sollicitudine plures ad veritatem *a*) instituere, eorumque in veritate animum corroborare, est annisus, quin imò, & sanguinis martyrium susciperе ac in veritatis confirmationem, ac tanquam *frumentum Dei*, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ τῷ Χριστῷ (quod de se Ignatius prædicebat *b*,) *quò purus Christi panis inveniretur*, mortem obire non est veritus.

Captus enim denuò, ac per integrum biennium ab A. 1548--1550. detentus, ac Ferrariam abductus *c*), tandem, postquam varia fidei vivæ ac constantis edidisset specimina, tanto præstantiora, quanto turpius antea ac indignius veritatem abnegaverat, laqueo vitam finire, ac corpus ejus comburi, debuit, ad nutum Julii III. Bullis suis id efflagitantis, quanquam etiam, sed conatu frustraneo, pro eo ad impulsum *Olympiæ Fulviæ Moratæ d*), intercessisset apud Pontificem, *Lavinia* Princeps *Ruverensis*, quæ Olympiæ patrona erat, ac ceteroquin magna apud Pontificem valebat gratia.

Quod verò ad causas (sunt verba *Martyrologii*) *e*) attinet, propter quas ita condemnatus fuit, non est magnopere necesse, eas hoc loco referre, quæ ex illius Scriptis melius cognosci possunt, in quibus aperte & copiose exponit, ea, quæ & à se dicta & ab adversariis objecta fuerunt,

a) *Romandiola* scilicet, vicinisque terris.
b) v. Ignatii Ep. ad Rom. § IV. p. m. 67 edit. Frey.
c) Vid *Acta & Monum. Martyrum* edit. in 4 p. 162. 163.
d) v. *Olymp. Fulv. Mor* opuscula p. m. 102. ubi ad Laviniam ita: *In adjuvando Pbannio studium tuum & operam, quod mibi polliceris .... Id mibi ne mentiar tam gratum fuit, quam quod gratissimum. Nam spem mibi nonnullam afferre videtur bæc tua protectio, cum sciam quantum Romæ tua auctoritas valeat ..... Tu igitur ..... haud ignara mali miseris succurrere disces, præsertim miseris & calamitosis, non suapte culpa, sed Christi causa. &c.*
e) *Acta Martyrum* l. c. p. 166 *a*.

Digitized by Google

& quemadmodum omnia à se dissoluta & refutata fuerunt; Scripsit enim in ipso carcere complures *Epistolas*, atque etiam, inter alia opera, duos de *Proprietate Dei* libros, itemque duos alios, *de Confessione*, totidem etiam, *de modo ac ratione, qua fidelis homo cognosci atque ab infideli dignosci possit*;

Præterea, sunt ejusdem *centum Homiliæ*, de maximis & gravissimis fidei capitibus, multaque alia, quæ post mortem suam reliquit Scripta, Italico sermone conscripta, cum Latinæ linguæ eum parum peritum fuisse constet.

Cæterum, *Theodorus* BEZA in *Iconibus* Hh, ii. *Fannium* hunc elogio quodam ornavit, quo primariæ Martyrii ejus circumstantiæ referuntur; Atque extat præterea *Francisci* NIGRI Bassanensis brevis *relatio de hujus excellentis* Viri *martyrio*, *a*) prelo commissa *Clavennæ*, prid. Kalendar. Novemb. 1550. eodem anno, quo Fannius morti traditus est, lectu dignissima.

§. LV. Eodem tempore, quo hæc *Ferrariæ* agebantur, simile quidpiam *Placentiæ* quod contigerit, docemur.

Erat scilicet, DOMINICUS *à domo alba*, civis in urbe *Bassana*, ditionis Venetorum. Is cum admodum juvenis in Germania sub Imperatore Carolo V. stipendia fecisset, gustu veritatis evangelicæ imbutus, missionem impetravit honestam, seque pietatis studio tradidit, ac eorum cumprimis, à quibus in cognitione veritatis ac fidei professione informari posset ac confirmari, sodalitium sectatus est, cum iisdem conferendo

a) Titulus est: *De Fannii Faventini & Dominici Bassanensis morte, qui nuper ob Christum in Italia Romani Pontificis jussu impie occisi sunt, brevis Historia, Francisco Nigro Bassanensi Autbore. Hinc agnoscere poteris, pie Lector, quid à Romanensium Episcoporum Concilio sit expectandum, quum qui illud indicit Papa, talia publica Christianæque causæ præjudicia in medium, proferre audeat. Hic cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos.* Apoc. 17. MDL.

Digitized by Google

rendo & disputando, ac quotidianos in veritate progressus sibi comparando, eousque, ut & aliis eandem doctrinam, cumprimis in urbe *Placentiæ*, non sine fructu multiplici instillaret, eosque ad veritatem evangelicam manuduceret. Qua in re, cum ad annum usque 1550. continuasset, hoc ipso anno *Neapolim* profectus est, ut hinc inde in oppidis & vicis Christum prædicaret, & verbum Dei ubique disseminaret.

Cum verò Placentiam rediisset, sibique publicè apertam esse januam crederet, Evangelium annunciandi, dicitur in magna hominum multitudine cathedram in foro erexisse, ibique pro concione, magna *a*) quadam cum parrhesia, prudenti, dubium, an immaturo, hactenus consilio, fervore saltem singulari, ac pietatis ardore percitus, disseruisse, *de vera Confessione*, *Purgatorio*, ac *Indulgentiis*: Quinimo, & altero die, eundem egisse de *vera Fide & bonis Operibus*, in quantum ea ad salutem sint necessaria, ac insuper promisisse, sese die sequenti, *de Missa*, aliquid propositurum esse, atque *Antichristum* suis depicturum esse coloribus.

Enimverò, ne id perfici posset, impedivit Magistratus, qui eum de cathedra descendere jussit, eumque lictoribus tradidit, quando ad Episcopi vicarium deductus, vocationis & fidei suæ rationem dare jussus est, eo cum eventu, ut, cum in veritatis confessione constans maneret, ac imperturbatus, non solum in carcerem teterrimum conjicerentur, sed & tandem, vitam suam, cum nondum tricesimum expleviſſet annum, cum violenta morte commutare debuerit, interea dum, in ipso mortis articulo, rejectis adhuc inveteratis superstitionibus, semet ad Christi solius gratiam ac misericordiam converteret, pro inimicis suis autem oraret, ac animam Deo resignaret, mense Septembri 1550.

§. LVI. Sed & *Galeacius* TRECIUS, nobilis Insuber, in oppido *Laude Pompeja*, (quæ ditionis est *Mediolanen-*

a) Vid. FOXUS S. PANTALEON Lib. VII. Rer. in Ecclesia gestarum. pag. 205.

Digitized by Google

ſium) eo tempore A. 1551. experiri debuit, quanta ſint hoſtium in ſufflaminandis ſanctis veritatem Evangelicam profitendi & propagandi, conaminibus, molimina:

Is enim, cum, præcipuè ex doctrina *Auguſtini* MAYNARDI, monachos Auguſtinianos in urbe *Papiâ* informantis, Evangelii quendam guſtum cepiſſet, ac deinde, per *Coelium Secundum* CURIONEM, plenius informatus eſſet, ac corroboratus, tandem ab hoſtibus detectus & in vincula datus eſt, menſe Julio 1551.

In vinculis, cum per emiſſarios Pontificis *de fide & religione* interrogaretur (id quod ter pro more factum eſt) ita reſpondit, fideique ſuæ rationem reddidit, ut, qui id agebant viri alioqui doctiſſimi, hominis in reſpondendo vim, conſtantiamque admirarentur, tametſi amicorum ſuorum & cognatorum inſtantibus precibus adactus, quodammodo diſſimulare veritatem, & quædam Pontificia dogmata comprobare videretur: Cujus tamen meticuloſitatis poenitentia, ſtatim, cum ad ſe veniſſet, perculſus, errorem deploravit, faſſus eſt, retractavit, ac plena fidei parrheſia deinde mortem martyrii ſubiit.

Eſt autem notabile, quod de fratribus quibusdam, cum adhuc in carcere detineretur, illamque ſuam animi imbecillitatem equidem deploraret, verum ſimul, præſentem animi majorem conſtantiam teſtaretur, refertur, eos adtuliſſe, librum, ſcil. *Novum Teſtamentum*, parva admodum forma complicatum, quem ipſi relinquere volebant; Tum verò, eum, benéne an malè, incertum, renuiſſe, ac affirmaſſe, ſe digito Dei in corde exaratum habere, quicquid in eo libro eſſet ſcriptum, quippe cum ex illo ſpiritus teſtimonio intelligeret, *ſe unum è Chriſti membris eſſe.*

Quæ ipſa, & alia, inter eos ultro citroque dicta, mirum in modum utrosque ita confirmaverunt, ut quoque ulteriora fuiſſent prolaturi, niſi carceris cuſtos interveniſſet: Prouti, qui cum ipſo tum erant, deinde lætabundi retuliſſe dicuntur,

ſe

Digitized by Google

ſe libenter illic ſine cibo & potu diem illum & ſequentem noctem, ſi licuiſſet, fuiſſe manſuros.

Intereà verò, *Trecius*, ſolus relictus, *a*) atque precibus intentus, occaſionem ſibi, quæ male antea conceſſerat, retractandi, dari, cum percuperet, factum quoque eſt, ut quæſitores fidei denuò, ac ſacrifici, ipſum adirent, ac de iis, quæ antea conceſſerat, interrogarent; Tum vero is, ea vera eſſe negare, ac Chriſtum, æque confidenter ac à principio, quin imò etiam liberius & plenius confiteri, ſimulacra deteſtari, ſolum Deum in ſpiritu & veritate colendum & invocandum, aſſerere, unum Chriſtum, Mediatorem ac Deprecatorem noſtrum eſſe.

Chriſtum omnia omnium credentium peccata poenasque morte luiſſe ſua: Qui hinc, hac fide ac ſpe diſcederent, eos beatos futuros, qui ſecus, eos ſempiternos cruciatus mortemque manere: Atque id genus alia, quibus Romana dogmata prorſus everturtur, & Veritas Evangelica confirmatur, aperte confiteri.

Quæ conſtans & aperta fidei Confeſſio, uti ſententiam ejus condemnatoriam, ita quoque mortem ejus, acceleravit, quam d. 24 Novemb. 1551. magna cum animi parrheſia ſuſtinuit vivus combuſtus.

§. LVII. Biennio fere poſt, *Johannes Montalcino*, *b*) ſive *Johannes* MOLLIUS, ex urbe *Montalcino* ditionis SENENSIUM oriundus, non minus & profeſſione doctrinæ Evangelicæ, & defenſione veritatis, ſemet reddidit celebrem; Neque enim ſolum adverſus vitilitigationes *Cornelii* cujusdam, Metaphyſicæ in Academia Bononienſi, Profeſſoris *c*) eandem fortiter defendit, ſed &, libera ejusdem Confeſſione, coram cognitoribus à Paulo III. Pontifice conſtitutis, eandem

a) Omnem hanc cauſam ex relatione C. S. *Curionis* nobis retulit PANTALEON lib. cit. p. 247. 8, 9.
b) Conf. quæ de eo §. XLIII. à nobis dicta ſunt.
c) Conf. SALIG in Hiſt. Aug. Conf. Vol. II. p. 60. ex Pantaleone lib. IX. f. 263. ſq.

Digitized by Google

dem exposuit, ac tricis suis explicavit, ea cum perspicacia, ut cognitores profiteri deberent, vera quidem esse, quæ protulerat Johannes, sed ea tamen, hoc tempore, sine sedis Apostolicæ detrimento, doceri aut publicari *a*) non debere;

Cum igitur, ita Romæ auditus esset, ac salvus Bononiam rediisset, nisi quod eundem monuissent, ut à Paulinis Epistolis explicandis abstineret, quid mirum, quod majori cum causæ suæ fiducia, ac auditorii applausu, veritatem impetterritus profiteretur, ac publicè doceret?

Ea verò re, *Campegius* Cardinalis, qui jam ante ipsi offensus fuerat, magis irritatus, à Papa impetrat, ut Ordinis Franciscanorum Generalis, Johannem hunc Bononia, avocaret, & alium quendam in locum ejus substitueret.

Enimverò, Johannes Neapolim missus, & in Monasterio S. Laurentii Lector & concionator constitutus, A. 1538. ne sic quidem adversariorum tela effugere potuit; *Petrus* enim *Toletanus*, Vice-Rex Neapolitanus, varias ipsi cum strueret insidias, inde sese quoque non ita multo post recipere debuit. Quando, post aliquot annorum oberrationem, *Bononiam* iterum A. 1543. reversus est, atque plus una vice carceri mancipatus, sed & plus una vice ex eo singulari cura divina liberatus, tandem A. 1553. Romæ ad feralem est condemnatus ignem, quod supplicium tanto cum animi fervore is dicitur suscepisse, ut, cum in procinctu mortis esset constitutus, graviter admodum populum fuerit hortatus, ut sibi ab idololatria caveret *b*) & Christum salvatorem unicum amplecteretur, hunc enim unicum esse Mediatorem Dei & hominum, quando animam suam Deo commendans, primò suspensus, postea vero feralibus flammis exustus est.

§. LVIII. Sed, ne *Galeacium* CARACCIOLUM, Vici Marchi-

b) PANTALEON loc. cit.

a) PANTALEON. l. c. & *Martyrologium parvum.* p. 461-464. ubi magna Orationis ad Cardinales & Episcopos directæ pars, non sine admiratione legitur.

Digitized by Google

Marchionem, indictum, prætereamus, quædam de eo, hic inter reliquos Veritatis Teſtes, quibus aperta ejus Confeſſio, ſi non exitio, ſaltem calamitoſa fuit, ponendo, monenda ſunt, quod tanto facimus libentius, quantò ejus exemplum fuit illuſtrius, uti magna ejus in Eccleſiam Reformatam fuerunt merita.

Is natus erat A. 1517. Patre *Nicolao Antonio Caracciolo*, *a*) Marchione Vici; Matrem habebat ex illuſtri Carafarum domo, Petri Antonii CARAFÆ, qui Paulus IV. poſt adeptum Pontificatum dictus eſt, vel ſororem, uti Thuanus, vel neptem, uti alii, tradunt.

Cum annos natus eſſet viginti, *Victoriam*, Ducis *Nucerini* filiam, quæ viginti aureorum millia ipſi in dotem afferebat, in uxorem duxerat, ex qua numeroſam ſuſtulit ſobolem.

Sed, cum ſub idem tempus *Petrus Martyr* Vermilius, (uti vidimus) Neapolim veniſſet, & jam diſſeminatam per Helvetios & in Germania Doctrinam Evangelicam ſuis inſtillaret, in iis ſectatores habuit *Johannem Valdeſium*, nobilem Hiſpanum, *b*) qui plurimum & doctrina ſua, & auctoritate ac amicitia, quam cum Nobilibus ac Magnatibus inter Neapolitanos contraxerat, valebat; & *Johannem Franciſ-*

O

a) Vid. THUAN. Hiſtoriar. Lib. LXXXIV. ad ann. 1586. & GIANNONE in *Hiſtoire du Royaume de Naples* L. 32. cap. 5. T. IV. p. 148 ſq. itemque *Vita Caraccioli*, quam ex Italico in Latinum idioma converſam, ediderunt *Muſei Helvetici* Collectores Tom. VIII. pag. 519. ſq.

b) *Jean Valdes* Gentil-Homme Eſpagnol, lequel etoit le principal Miniſtre que *P. Martyr* employoit, pour repandre ſa nouvelle doctrine, non ſeulement, parce qu'il en etoit parfaitement inſtruit, & qu'il avoit beaucoup étudié les Epitres de S. Paul, mais auſſi, parce qu'il etoit fort lié d'amitié avec un grand nombre de Gentils hommes & Seigneurs Napolitains. GIANNONE l. c. p. 148. not. *.

Digitized by Google

cistum Caſertam, *a*) Galeacio affinitate conjunctum, & ipſum *Galeacium*, qui *Caſertæ* & *Valdeſii* rationibus aſſurgens, in veritate & inſtruebatur & confirmabatur, etiam tum, cum non amplius quam viginti quatuor annos haberet, anno ſcilicet 1541.

Sed &, eodem tempore, cum *Marco Antonio Flaminio*, Viro præclaro, ac non uno nomine deinceps commemorando, artam colebat amicitiam, ac ab eo pereruditam recipiebat Epiſtolam, quæque ut ab omnibus legatur, ac cumprimis, à Nobilibus hujus ſeculi, in ſuccum & ſanguinem vertatur, eſt digniſſima, ut magnam apud omnes inierit gratiam Cl. SCHELHORNIUS, quod eam *Amoenitatibus ſuis Hiſtorico eccleſiaſticis* *) integram inſerere, ac ad poſteros transmittere voluerit: In ea præcipuè hortabatur, Galeacium, ut ſpreta omni mundana gloria, Chriſtum atque ejus Veritatem animo cognitam libere profiteretur, variaque Magnatum exempla, qui itidem Reformationem *b*) amplexi fuerant

a) Hujus perſuaſionibus quod inprimis Galeacius motus geſſerit, annotat GIANNONE l. c. Mais celui, qui le pouſſa jusqu'au fond du précipice, fut un de ſes propres Parens, nommé *Jean François Caſerta*, lequel par ſes discours lui fit embraſſer la doctrine de la Juſtification par les merites de Jeſus Chriſt, & l'engagea, d'aller entendre les Sermons que *P. Martyr* faiſoit dans l'Egliſe de S. Pietro ad Aras, ſur les Epitres de S. Paul. Ce furent ces ſermons, qui le confirmerent le plus dans ſes erreurs.

*) SCHELHORN. *Amoen. Hiſt. Eccl.* Vol. II. p. 122-134. Conf. *Muſeum Helvet.* T. VIII. p. 527 ſq.

b) GIANNONE l. c. *Celui ci* (de Flaminio loquitur) *ayant apris quels etoient les talens & les grandes connoiſſances de* Galeas, *& qu'il etoit diſpoſé à embraſſer la Reformation, lui ecrivit une Lettre Savante, dans laquelle pour le determiner entierement, il lui nommoit pluſieurs perſonnes illuſtres qui l'avoient embraſſée, &, entre autres*, Victoire Colonne Marquiſe de Pescara.

Digitized by Google

rant, adducebat, ac inter eos cumprimis *Victoriam Columnam*, *Piscarii Marchionis viduam*, *a*) rectioris exempli foeminam & Flaminii perfamiliarem: Ea scripta erat mense Februario A. 1543.

Inter hæc, variæ, quibus distinebatur Galeacius, peregrinationes, (erat enim ex Caroli V. ministris aulicis, ac eum identidem in Germaniam, aliasve regiones proficiscentem, vel comitari vel sequi debebat, officii causa) cumprimis in Germaniam, tantò eum reddebant confirmatiorem, quantò liberior ipsi, ut Lutheri libros legeret, atque cum Reformatoribus sua conferret consilia, dabatur ansa, uti præcipuè *Argentinæ*, à *Petro Martyre* Vermilio, *b*) qui interim in Germaniam discesserat, magis in veritate confirmatus est, ac tandem Genevam, A. 1551. concessit, ibique publicè Reformatam amplexus est doctrinam, sicque, in ipso ætatis flore, & medio fortunarum cursu, Patre, & conjuge, ac liberis relictis, admirabile sui abnegationis, in contemtu rerum mundanarum, & Christi sequela, dedit documentum, & conscientiæ legibus obtemperare, sanctius duxit, quam in otio honore & opibus omnique gloria mundana, consenescere.

Neque vero deinceps, cum aliquoties cum patre, primum in Italia, & postea, cum patre ac conjuge simul, collocutus, nec illius reverentia, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno hærentium, blanditiis, ac lacrymis, adduci unquam *c*) potuit, ut propositum mutaret.

a) Fuerat ea conjux Ferdinandi Davali Marchionis Piscarienſis, foemina laudatissima, quam altitudine virilis ingenii & literarum elegantia, cereras suæ ætatis foeminas supergressam, plerosque esse admiratos, scribit JOVIUS Histor. T. I. Lib. III. p. 37. Sed maxima ejus laus erat, quod doctrinæ coelestis ac pietatis esset studiosissima, unde & in pravitatis sectariæ suspicionem incidit, teste THUANO ad ann. 1566. conf. SCHELHORN. l. c. p. 133.

b) Vid. *Vita Caraccioli* in *Museo Helv.* l. c. p. 535.

c) Vita *Caraccioli* in *Museo Helvet.* l. c. p. 536. 537.

Digitized by Google

§. LIX. Sic igitur, *Genevenſis* factus, omnia quoque, quæ ad doctrinæ Reformatæ apud Genevenſes ulteriorem promotionem facere poterant, cum exemplo, tum opere, contulit. Quanta ipſi cum *Joh. Calvino* amicitia fuerit ac familiaritas, & quænam hujus, de ipſo fuerit exiſtimatio, & in eum voluntas, colligitur, ex Inſcriptione commentarii *Epiſtolæ prioris ad Corinthios*, quam A. 1556. Galeacio noſtro fecit *Calvinus*, *a*) quæ ſimul perinſigne conſtantiæ ejus ac in fide firmitatis exhibet teſtimonium.

Enimverò, cum Genevam, primo nemini notus, acceſſiſſet Galeacius, factum tamen eſt, ut biduo poſt, illuc accederet, Nobilis quidam Senenſis, *Lactantius* RAGNONI, qui eum Neapoli cognoverat, quique eodem veritatis amore percitus, ad emendata ſacra ſe conferebat: Fuitque is, cum ejus dona ſatis eſſent perſpecta, ac doctrina explorata, deinde conſtitutus, *Eccleſiæ Italicæ*, quæ Galeacii *b*) potiſſimum auctо-

a) Poſtquam enim CALVINUS, cur *Jacobum à Burgundia*, Faleſii Dominum, cui ante decennium opus ſuum inſcripſerat, jam removiſſet, rationem dederat, ac renovata editione, *Caracciolo* illud dedicaſſet, ita inter alia, cum noſtri laudes, tum ſuum erga eum celebrat affectum: „ Quod tamen cognitu „ utile eſt ac fructuoſum, non prorſus celandi ſunt Lectores: „ Hominem, primaria familia natum, honore & opibus flo„ rentem, nobiliſſima & caſtiſſima Uxore, numeroſa ſobole, „ domeſtica quiete & concordia, totoque vitæ ſtatu beatum, „ ultro, ut in Chriſti caſtra migraret, patria ceſſiſſe: ditio„ nem fertilem & amoenam, lautum patrimonium, commo„ dam non minus quam voluptuoſam habitationem neglexiſſe, „ exuiſſe ſplendorem domeſticum, patre, conjuge, liberis, „ cognatis, affinibus ſe privaſſe: poſtquam autem tot mundi „ illecebris valedixit, noſtra tenuitate contentum, frugalem „ ac popularem vivendi rationem non ſecus colere atque „ unumquemque ex nobis. Conf. *Muſe. Helvet.* l. c. p. 542.

b) Conf. SPON Hiſtoire de Geneve Lib. III. p. 290. in not. itemque GIANNONE l. c. p. 149. „ Il n'y trouva perſonne „ de-

Digitized by Google

auctoritate, ac ad ejus preces, apud Genevenſes, (quod permulti tum ad hoc Veritatis aſylum, ſe conferrent Itali) vel erecta, vel, uti jam A. 1542. quædam ejus fuerant initia *a*) ſaltem renovata erat, Miniſter:

Dum verò, apud Genevenſes ita ſuam fixerat ſedem, Galeacius, incredibile dictu, quam ejus pietas, vitaque exemplaris, omnibus exemplum præberet, isque ſibi omnium favorem ac piorum hominum amorem conciliaret, ut, qui ad gubernacula civitatis erant poſiti, etiam quadriennio, poſt primum ejus adventum, A. 1555. ei non ſolum *Jus Civitatis*, ſed & deinde, ſedem in *Magno* pariter atque *Contracto Genevenſis Reip Senatu*, ipſi concederent, uti non ulla poſtmodum invidia laudem virtutis ejus obterere poſſet.

Sed, priusquam ad hunc Magiſtratus honorem evectus eſſet, perutilem, quod Eccleſiæ, ac cumprimis Italorum confeſſorum coetui, navaverit operam, conſtat, quippe qui, ſingularem quandam Nationis ſuæ apud Genevenſes eccleſiam, cui ipſe *Senioris* officio fungens præerat, ſtabilire, omnem impendebat laborem; Quem in finem etiam, cum Jo. Calvino non ſolum communia inire conſilia, ſed &, cum ipſo iter ſuſcipere Baſileam, inſtituebat, *b*) ubi tum, *Celſus Maximilianus* Comes MARTINENGHUS, Brixienſis, verſabatur; Hunc ad Reformatam Religionem itidem perductum, inviſere, eique deinde Miniſterium Evangelii in *Eccleſia Italica*,

„ de connoiſſance, mais au bout de deux jours, il y vint „ auſſi un Gentil homme de Sienne, nomme *Lactance Rag-* „ *noni*, quil' avoit connu à Naples. Le Gentil homme ſe „ retiroit auſſi à Geneve, dans le deſſein de changer de „ Religion, & y ayant donné des preuves ſuffiſantes des „ progres, qu'il avoit faits, dans cette etude, il fut dans la „ ſuite etabli Paſteur de l' Egliſe Italienne, que Galeas y „ forma.

a) SPON l. c.

b) *Muſe Helvet.* l. c. p. 548. 549.

Digitized by Google

a) Genevenſi nuperrime erecta, demandare, allaborabat, à quo tempore in hunc usque diem, ITALICA apud Genevenſes, floret *Eccleſia*.

Erat is idem ille Comes *Martinenghus*, (conf. XLV.) cujus mentionem facit *Hieronymus* ZANCHIUS *b*) in memorabili ad *Philippum Haſſiæ*, Epiſtola, hunc in modum:

„ Ego, tum recens egreſſus eram Italia religionis cauſa, „ idque provocatus exemplo Illuſtris Comitis Martinengi „ Maximiani, Viri pii & docti, fratrisque in Domino cha„ riſſimi, quocum familiariſſimè annos ferme XVI. in ſan„ ctâ amicitia vixeram: ambo enim fueramus Canonici La„ teranenſes, quos Regulares vocant: ambo ejusdem ætа„ tis & fere ejusdem ingenii & voluntatis, ambo in iisdem „ ſtudiis ſimul verſati, Ariſtotelis, Linguarum & Schola„ ſticæ Theologiæ: ambo denique ſimul, cum Martyrem „ Luccæ, Epiſtolam ad Romanos publice interpretantem & „ Pſalmos privatim ſuis Canonicis explicantem audiremus, „ coepimus animum adjicere ad ſtudium S. Literarum; de„ inde etiam, ad longe meliorem ipſis Scholaſticis libris atque „ Doctoribus, Patrum, atque inprimis Auguſtini, ac de„ mum noſtri etiam temporis doctiſſimorum quorumque In„ terpretum, Lectionem: Ac per annos quidem aliquot, E„ vangelium Chriſti, quam potuimus, puriſſime prædicavi„ mus: quanquam ille, utpote majori ſpiritu Dei præditus, „ quam Ego, liberius ſemper & apertius, ac proinde etiam, „ prior me, cum Mediolani ſtructas ſibi inſidias ſenſiſſet „ propter Evangelium, Italia valere juſſa, conceſſit ad Rhæ„ tos; ac, non ita multo poſt, Genevam; ubi etiam pri„ mus Paſtorem Eccleſiæ Italicæ aliquot annos fideliſſimum „ egit; ac demum, ubi venit hora, obdormivit in Domi„ no,

a) SPON. Hiſt. de Genev. p. 299. 300. GRANNONE l. c. p. 150. not.

b) ZANCH. Ep. ad Philipp. in *Scrin. Antiquar.* Tom. V. p. II. pag. 230. 231. Conf. Ejusd. Ep.

Digitized by Google

„ no, A. 1557. optimus vir, chariſſimus frater, beata „ anima.

§. LX. Ceterum, uti Caracciolus, nihil non, religionis & veritatis Evangelicæ cauſa, & egit & paſſus eſt, ita, quod amantiſſimam conjugem ex Italia evocare, aut, eam ſecum adducere non poſſet, animum ejus vehementer affixit, quippe quæ, hanc ſibi ſententiam a ſuis inſtillari paſſa fuerat, *omnem cum hæretico conſuetudinem eſſe damnabilem*, *a*) ſicque re ipſa divortium ab eo fecerat, lugendique & dolendi materiam ipſi ſuppeditabat.

Ea de re, &, cum viduitatis eſſet pertæſus, ubi cum *Jo.* CALVINO contuliſſet, ejusque conſilium ſibi expetiviſſet prudentiſſimum, is equidem, graviorem eſſe cauſam ratus eſt, quam ut eam componere ſolus, vel poſſet vel auderet, ſicque conſultis reliquis cum Helvetiæ, *b*) tum Rhætorum, imò etiam Argentinenſium Theologis, tandem in eam equidem deſcendit ſententiam, ipſo facto, conjugium Galeacii primum diſſolutum eſſe, nulla ipſius culpa, quin potius uxoris, in ſuperſtitione teterrima hærentis, ac à luce Evangelica abhorrentis, ac debitum Viro obſequium denegantis, ſed ita tamen, ut Senatusconſulto Magiſtratus Genevenſis tum plene res fuerit deciſa, ac Galeacio poteſtas daretur, aliam ducendi; Sic igitur, quaſi uxor ſecum prima divortium feciſſet (quæ verba ſunt *c*) THUANI) aliam duxit, A. 1560. *Annam Fremejeram* nomine, jam quadragenariam, quæ viro priore defuncto, Rothomago, unde nata erat, ob religionis cauſam, paulo ante migraverat, cum eaque, in ſumma tenuitate, (ſine ſordibus tamen, ut qui rebus neceſſariis nunquam caruerit,) quippe omnibus paternis.

a) Dicebat, ſibi à ſacerdote ſub excommunicationis pœna, id expreſſe fuiſſe inhibitum, ne maritali conjunctioni aſſentiretur. *Muſe. Helvet.* p. 555.
b) Vid. GIANNONE l. c. pag. 151. & *Muſe. Helvet.* p. 558.
c) THUAN. l. c.

Digitized by Google

nis bonis dejectus, ad annum 68. ætatis, conjunctissime vixit, ac A. 1586. animam Deo reddidit, sequente eum Uxore *a)* intra unius anni spatium;

§. LXI. Sed, ut, unde nos *Galeacii Caraccioli* contemplatio deduxit, redeamus, novum pro causa Evangelica susceptæ mortis Exemplum, habemus in *Pomponio* ALGERIO (sive Algieri) Capuano sive Nolano, magnæ eruditionis Juvene, qui feralibus flammis sub Pontificatu Pauli IV. (qui nuper admodum Julio III. & Marcello II. mortuis, successerat,) exustus est, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.*

Is enim, cum in Patavina Academia, studiorum causa versa-

a) Utrique, & Caracciolo, & Uxori ejus, Epitaphium conscripsit *Joh.* JACEMOTIUS Barleducensis, quod nobis exhibuit GIANNONE l. c. p. 152.

I.

Illustri Domino D. Galeaccio Caracciolo Marchionatus Vici in Regno Neapolitano unico & legitimo Hæredi.

Italiam liqui Patriam, clarosque Penates
Et lætam antiqua nobilitate Domum.
Cæsareaque manu porrectos fortis honores
Contemsi, & magnas Marchio divitias.
Ut te, Christe, ducem sequerer, contemtus & exul
Et pauper varia pressus ubique cruce.
Nam nobis coeli veros largiris honores,
Et patriam, & census annuos, atque domos.
Excepit profugum vicina Geneva Lemanno,
Neque suo civem fovit amica sinu.
Hic licet exigua nunc sim compostus in urna,
Nec claros cineres alta sepulcra premant:
Me, decus Ausoniæ gentis, me vera superbis
Majorem pietas Regibus esse facit.

II

verſaretur, ac Veritatis Evangelicæ guſtum accepiſſet, *a*) eam ad plures perferre, ſicque & verbo & exemplo eos ad Chriſtum adducere (quod & in patria jam fecerat) non deſiſtebat, annum ætatis duntaxat agens vigeſimum quartum.

Ea res, ad ejus Urbis gubernatorem Venetum deferebatur, ipſeque à *Magiſtratu Veneto* in carcerem datus ac Venetias translatus eſt, unde, poſtulante PAULO IV. Pontifice, Chriſtoque veluti per mediam Italiam ſuam triumphantem athletam circumvehente, Romam perlatus, vivus comburi debuit. Sed ita ſeſe modeſte ſimul & fortiter geſſiſſe dicitur, ut nemo fortaſſis (ita BEZA) ex omnibus temporum noſtrorum Martyribus ſolidius, aut nervoſius, *b*) depromtis, tum ex verbo Dei, tum ex ipſo quod vocant Decreto, teſtimoniis, Pſeud-Eccleſiam illam Romanam in aliquot capitibus convicerit.

§. LXII. Scripſit verò, ad Confratres etiam ſuos, ex carcere, in quo Venetiis detinebatur, *Pomponius*, inſignem egregiæ conſolationis pleniſſimam epiſtolam, cujus Autographum à *Coelio Secundo Curione*, Pantaleoni communicatum eſt, quod ita ſe habet.

P Dile-

I I.

Lectiſſimæ Matronæ, Annæ Fremeriæ &c.

Vix vix undecies repararat cornua Phœbe,
Conſpicitur triſti funus in urbe novum.
Anna ſuum conjux lacrymis venerata maritum,
Indomito tandem victa dolore cadit,
Illa ſui cernens properantia tempora Lethi
Dixit tunc demum funere læta ſuo:
Quam nunc grata venis, quam nunc tua juſſa libenter
Mors, ſequor, ad ſedes nam vehor æthereas.
Hic ubi certa quies conceſſa laboribus, aurâ
O conjux, tecum jam meliore fruar.
Pectore quem toto conceperat illa dolorem
Sola ſuperveniens vincere mors potuit.

a) vid. *Th.* BEZA in Iconibus Hh. ii.

b) Quædam hujus generis reſponſa, ad quæſtiones inquiſitorum mul-

Dilectiſſimis Fratribus Chriſti conſervis, qui à Babylone transmigrarunt in montem Sion, quorum nomina nominare ſoleo, Gratia, Pax, & Salus, à Deo Patre noſtro per D. Jeſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum.

* * *
* *

Ut temperarem triſtitiam, quam pro me habetis, nolui vos mea dulcedine non impertiri, ut unà mecum geſtiatis, & coram Domino pſallatis, gratias agentes: Hominibus incredibile dicam: Inveni favum mellis, in viſceribus Leonis, quis unquam credet, quod referam? quis unquam credet? in obſcura fovea amoenitatem, in loco amaritudinis & mortis tranquillitatem & ſpem vitæ, in infernali barathro lætitiam. Ubi coeteri flent, ibi gaudium: ubi reliqui timent, ibi robur, quis unquam crederet in infelici ſtatu maximam oblectationem, in ſolitudine commercium proborum, in duriſſimis laqueis haberi requiem.

Hæc omnia, vobis, o Conſervi & fratres mei in Chriſto Domino noſtro, dicam, dulcis & benigna manus Dei mihi exhibuit; Ecce, qui olim longius aberat, mecum eſt. Quem tum quodammodo ſentiebam, nunc apertius video: quem alias procul aſpiciebam, eum nunc propius contemplor, quem ſitiebam, en dat mihi manum. Hic me conſolatur & gaudio replet, hic amaritudinem fugat & dulcedinem exhibet, hic mihi medetur, reſocillat, ſublevat & corroborat, o! quam bonus dominus, qui non patitur ſervos ſuos tentari ſupra vires, o! quam lene & ſuave jugum ejus! Num eſt ſimilis altiſſimo! qui recipit afflictos, ſauciatos reſanat ac fovet. Num eſt ſimilis illi? Diſcite, dilectiſſimi, quam dulcis dominus, quam mihi & miſericors, qui viſitat ſervos in tentati-

multifariam recenſentur in *Martyrologio parvo* Hanoviæ edito pag. 549. 550. 551. Conf. BEZA loc. cit.

c) vid. PANTALEON rer. in Eccleſ. geſtar. Lib. XI. pag. 329-332.

Digitized by Google

cubonibus, dignatur esse nobiscum, in dura vilique domo, præbens mentem lætam & cor pacatum. Forte non credet hæc coecus mundus, sed dicet potius incredulus, æstum nivis & duritiem loci diu ferre nequibis, cruces & incommoda mille, convitia & torvos vultus, qui feres? Nonne respicis dulcem patriam? nonne mundi opes, cognatos, delicias, honores? num obliviseris scientiarum solatio & medela omnium laborum? num perdes omnes quos pertulisti labores, totque vigilias & sudores, unaque laudabiles conatus, quos à teneris unguiculis elaborasti? Tandem non pertimescis mortem, quæ imminet, scilicet nullum ob delictum; O! quam stultum & insipiens, posse unico verbo his omnibus prospicere, atque necem declinare, & nolle; Quam incivile, à magnificentissimis, justissimis, piissimis, sapientissimis ac optimis Senatoribus exorari non posse, & viris tam illustribus obtusas præbere aures;

Sed, audiant coecutientes mortales: Quid ferventius igne qui est tibi paratus; quid frigidius corde tuo, quod in tenebris est & lumen non habet? Quid durius & perplexius, & magis agitata vitâ quam degunt? quid odibilius & ignobilius ævo quod extat? Dicant precor, quæ patria dulcior coelesti; Qui major thesaurus vita æterna; Qui nostri cognati, nisi verbum Dei audientes; Ubi plures divitiæ & digniores honores, quam in coelis? Dicat stultus iste, scientiæ nonne ad Dei notitiam datæ; quem, nisi cognoverimus, labores, vigilias, sudores & nixus omnes, absque dubio longe amissimus.

Respondeat miser homo: Quod solaminis & medelæ, sibi, si Deo caret, qui est omnium vita ac medicina? Qui dicet mortem abhorrere, cum ipse mortuus sit in peccato? Quin imò sic mortem vitæ præponit, si Christus via veritas & vita, num est vita sine Christo? æstus mihi frigus opacum est, hyems novum ver in Domino, qui ignem non timeo, æstum contremiscam? angetur glacie, qui uritur amore Domini,

Digitized by Google

locus quidem reis durus est, sed innocenti mellifluus. Hinc stillat ros, inde nectar effluit: hinc lac scaturit, illinc rerum omnium ubertas; locus quidem desertus est & incultus, mihi tamen, ampla vallis est effectus: hic mihi nobilior pars mundi. Judicet infelix iste, si amoenius pratum haberi possit. Hic Reges video, Principes, urbes & populos, hic proelia cerno, hos confractos, illos victores, quosdam detrudi, alios efferri. Hic mons Sion, hic versor in coelis. Christus Jesus astat in fronte: circunstant antiqui Patres, Prophetæ & Evangelistæ, Apostoli & servi Dei omnes: Hic me amplectitur & fovet, Hi hortantur, illi sacramenta pandunt. Consolantur isti, ceteri psallentes comitantur: Dicar solus inter tot & tantos? commercium hinc mihi solamen & exemplum: Hos enim video crucifixos, obtruncatos, lapidatos hos, illos sectos, torreri alios, aliosque in sartagine & ollis æneis frigi, huic oculos suffodi, alteri linguam abscindi, huic caput decoriari, illi manus & pedes secari, alios in caminum ignis mitti, aliquos factos volatilibus escam.

Maximam provinciam assumerem, si omnes enumerare vellem: Varios denique video variis torqueri tormentis: Omnes tamen viventes, incolumes omnes: unum est omnibus collyrium, unum medicamen, omnium plagas sedans, id quoque dat mihi robur & vitam; sic angustias istas momentaneas & dispendia modica hilari animo patior: maxima namque spes & mihi reposita est in coelis, & injurios & insectantes me, non trepido: Qui enim habitat in coelis irridebit eos, & dominus subsannabit eos. Non timebo millia populi circumdantis me: Dominus Deus meus liberabit me, spes, susceptor meus, consolatio mea, exaltans caput meum. Ipse percutiet omnes adversantes mihi sine causa, & dentes peccatorum conteret, quoniam ipse est solus benedictio & imperium. Improperia pro Christo hilares nos reddunt: sic enim scriptum est: si exprobramini, in nomine Christi, beati eritis, quia quod est honoris & virtutis Dei, &, qui est ejus spiritus

su-

Digitized by Google

ſuper vos requieſcat: Certiores igitur facti, ſciatis, quod improperia in improperantium deſpectum facta. Firma mihi nulla ſedes eſt; in coelis mihi primam novam Hieroſolymam quæro, quæ obviam mihi præ ſe fert. En iter arripui ubi dulcis domus poſita eſt, ubi opes, cognatos, delicias, honores non defuturos, haud hæſito; Terrena hæc umbratilia, caduca omnia, ac vanitatum vanitas, ſi deeſt futuræ æternitatis ſpes & ſubſtantia, quibus donavit me Dominus ſupremus, factæ ſunt mihi comites & ſolatium. Jam pariunt dignos fructus. Sudavi, alſi, omnique niſu die noctuque evigilavi. En conatus tales jam devenerunt ad ſummum. Dies horaque non fuit mihi ſine linea: Ecce verus Dei cultus cælatus eſt ſuper me; dedit lætitiam dominus in corde meo: ob id ipſum in pace requieſcam. Quis audebit hujusmodi ætatem damnare noſtram & annos dicere proſtratos! Quis temere proferet tales labores eſſe deperditos? Qui Dominum mundi ſunt aſſecuti, qui mortem cum vita commutarunt; *Pars mea, dominus, dixit anima mea, propterea exquiram eum:* Si ergo mori in Domino, non eſt mori, ſed beate vivere, quid rebellis adeo mortem objicit? Lethum hoc o! quam mihi eſſet lætum, calicem Domini guſtare; Quæ certior arrha ſalutis! Ipſe dixit, *quæ mihi, ea etiam vobis facient, homines.*

Ceſſet jam demens, qui hallucinatur in ſole: ceſſet inquam talpa mundus, hæc adſtruere. Dicam cum Apoſtolo: *Non tribulatio, neque anguſtia, non fames & nuditas, non periculum & perſecutio, nec gladius, erunt unquam ſatis nos ſeparare à Charitate Chriſti.* Mactamur tota die, facti ſumus ſicut oves occiſionis, ſic redolemus caput noſtrum Chriſtum, qui dixit, non eſſe majorem diſcipulum magiſtro ſuo, neque pluris ſervum Domino ſuo. Juſſit quoque ut quilibet tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur eum:

Conſolamini, dilectiſſimi conſervi Dei, conſolamini cum in varias tentationes incideritis; ſit patientia veſtra ab omni

parte perfecta. Hæc enim ſunt nobis promiſſa in terris: Etenim ſcriptum eſt, *Quod qui nos occident, cogitabunt obſequia præſtare Deo.* Igitur anguſtiæ & mors, ſunt ſymbolum electionis noſtræ & futuræ vitæ. Lætemur & Domino pſallamus, quia procul à crimine tundimur & morti tradimur. Melius eſt enim benefacientes, ſi voluntas Dei eſt, pati, quam male facientes.

Exemplum nobis eſt in Chriſto & Prophetis, qui locuti ſunt in nomine Domini, quos filii iniquitatis mactarunt, Ecce nunc beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Geſtiamus innocencia & juſtitia noſtra. Dominus retribuet perſequentes nos, ipſi vindictam.

Stultitiæ accuſor, quod Dei notitiam legitimam non effugiam, cum unico verbo malis iſtis conſulere valeam. O! pauper homo, qui ſolem non vides, immemor verborum Dei: Recordare ſermonis Chriſti. Vos eſtis lux mundi; Non poteſt abſcondi civitas ſuper montem poſita; neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: & alibi: Ducemini coram Regibus & Magiſtratibus, non timeatis eos, qui occidunt corpus, ſed potius, qui poteſt occidere animam. Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in coelis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in coelis eſt. Si adeo aperte locutus eſt Dominus, qua auctoritate utitur conſultor ille, tale conſilium nobis probare; Abſit ut juſſa Dei contemnam & hominum conſilia ſequar: Scriptum eſt enim; Beatus vir qui non abiit in via peccatorum, & in conſilio injuſtorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Abſit, ut Chriſtum negem, ubi eum confiteri opus eſt: Non faciam pluris vitam meam anima mea; Non commutabo vitam futuram cum præſenti ſeculo. O! quam inſipiens qui hac via nos ſtultitiæ increpat:

Quod

Digitized by Google

Quod verò dicunt, de Dominis & *Senatoribus Venetis*, quod sint magnificentissimi, sapientissimi, justissimi, pientissimi, pacis studiosissimi, optimi ac illustres; Id vero suo in loco relinquo. Docemur autem ab Apostolo, *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Quocircà, cum primum Deo servierimus, tunc potestatibus hujus seculi obedire tenemur, quos opto perfectos esse coràm Domino: *Magnifici* sunt, sed adhuc in Domino perficiendi. *Justi* sunt, at deest fundamentum & sedes justitiæ, Jesus Christus. *Sapientes* sunt, sed ubi principium sapientiæ, Timor Domini? *Pii* dicuntur, sed cuperem eos in charitate Christiana absolutiores. *Boni* sunt, at in illis desidero fundamentum bonitatis, Deum optimum maximum. *Illustres* dicuntur, sed nondum receperunt Servatorem nostrum Dominum illum gloriæ. *Intelligite igitur reges & erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, & pereatis de via justa.* Quousque quæretis mendacium & odio habebitis veritatem? convertimini ad Dominum & nolite esse duri corde, opus est enim fateri, quod qui Dei servos persequitur, Deum persequatur: Quæcunque vobis facient homines, non vobis, sed mihi fient;

Sed dicant mihi, quo modo criminis sim reus, si illustrissimis Senatoribus & Dominis meis non ad votum respondeam? Nam, quæ locutus sum, non ipse locutus sum, cum Dominus prædixerit, quod coram magistratibus non erimus nos quæ loquemur, sed spiritus Patris nostri, qui in nobis erit. Si Dominus fidelis & verax est, ut & verè est, nullam sustineo culpam; ipse dedit mihi, quæ loquerer verba illa. Quis eram ego, qui possem voluntati dei resistere? si quis sermonem meum reprehendere audebit, arguat dominum, qui sic operatus est in me. Sin Dominum non arguendum putet, neque me accusèt, qui hujus immunis sum, qui feci quod nolebam & non cogitata. Quæ exposui, si male & infideliter

ter dicta sunt, ostendant: Fatebor enim tunc à me, & non à Domino exiisse: At, si bona & probata, & quæ juste accusari non possunt, velimus nolimus, &, ut ajunt, invitis dentibus, admittendum est, à Domino processisse.

Quæ cum ita se habeant, quis me accusabit? Num gens sapientissima? Quis condemnabit, Num Judices justissimi? quod si facient, non ideo verbum fiet irritum: non ideo Evangelium erit insipiens & impedietur, sed regnum Dei tanto charius & dulcius Israëlitis veris eo properantius deveniet ad electos Jesu Christi. Isthæc autem talia qui faciunt, experientur grave Judicium Dei, non erunt sine poena interfectores justorum.

Dilectissimi, levate oculos, considerate consilia Dei, nuper ostendit Dominus imaginem pestis: hoc ad nostram correctionem factum est; si eum non recipiemus, evaginabit gladium, & percutiet gladio, peste, fame, gentem, quæ insurrexerit contra Christum.

Hæc enim in vestram consolationem scripsi, Fratres, Orate pro me, osculor ex corde in osculo sancto Dominos meos, *Sylvium*, *Pergulam*, *Justum*, unà & *Fidelem à Petra*, & qui gerit nomen *Læliæ*, quem absens novi, atque Dominum Universitatis Syndicum, & ceteros omnes, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

Valete conservi Dei omnes. Valete in Domino & assiduè oretis pro me. Ex delectabili pomario Leonini carceris XII. Kal. Augusti 1555. fidelium observantissimus illaqueatus *Pomponius* ALGIER.

§. LXIII. Sed, ne *Franciscus* GAMBA Brixiensis, ex Italorum Martyrum diptycha expungatur, aut hominum memoria excidat, ejus Virtus & in fide Evangelica Constantia postulare videntur.

Oriundus erat in Ducatu Mediolanensi, ex ea urbe Longobardiæ, quæ *Brixia* appellatur: Cum vero Evangelicæ doctrinæ cognitionem adeptus esset, ac Genevenses, sæpe nume-

Digitized by Google

numero inviſeret, ut à Viris Doctis ac prudentibus, qui Eccleſiam gubernabant Genevenſem, conſilia caperet, ac in fide confirmaretur; factum eſt, ut certo quodam tempore, quo Euchariſtia ſacra tempore Pentecoſtali illic celebrabatur, ibi cum fidelibus communicaret; Ejus rei fama cum ad populares ejus Pontificios delata eſſet, hi nullam facere moram, quò eum ceu profeſſum hæreticum deprehenderent; Unde in reditu, quum lacum Comenſen trajiceret, captus eſt, atque ad Comum oppidum deductus & in vincula eſt conjectus, eo cum eventu triſtiſſimo, ut A. 1554. cum veritatem Dei conſtantiſſima confeſſione tutatus eſſet, ac ſingularem fidei parrheſiam præ ſe tuliſſet, in urbe Comenſi feralibus flammis fuerit conſumtus *a*): Omnem hanc cauſam *nobilis quidam Comenſis*, amicus ipſius Gambæ, ad quendam, quem fratris nomine compellat, ſingulari conſcripſit *Epiſtola*, qua tum ſingularem Gambæ in religionem animum ſtudiumque exponit, tum etiam felicem exitum, in quo pro cauſa Evangelii in ea urbe combuſtus eſt.

§. LXIII. Hujus Epiſtolæ exemplum nobis conſervarunt *Actiones & Monimenta Martyrum* apud *Johannem Criſpinum* Genevæ in 4. edita: Unde eam in rei memoriam depromere *b*) voluimus.

a) Vid. *Act. & Monim. Martyrum* edit. in 4. pag. 270. 1, 2. Conf. PANTALEON rer. in Eccl. geſtar. Lib. X. p. 296. 297. & *Martyrolog. parv.* pag. 479--482.

b) Notabile eſt P. P. VERGERII in tractatu de Idolo Lauretano, de hoc Gamba teſtimonium. pag. 347. b.

„ Quid enim aliud dicebat ſe oprare & petere ille ſanctus „ martyr Jeſu Chriſti *Franciscus Gambus* Brixienſis, quem „ (ita, Papatum alloquitur) vix ante menſem novo atque „ inaudito quodam crudelitatis genere mactaſti Comi, cum „ perpetua ejus civitatis (alioquin bonæ & non mediocris „ nominis) infamia? neque enim ſatis putaſti, ſi vel laqueo „ gulam fregiſſes, vel caput truncaſſes, aut exuſſiſſes, ſed „ omnia ſimul hæc tria ſupplicia crudeliſſimè in unum ho- „ minem cumulaſti.

Digitized by Google

Amantiſſime ac chariſſime Frater!

Deus quidem mihi teſtis eſſe poteſt ejus moeroris, quo nunc animus meus vehementer premitur, cum de beata morte fratris tui ac mei, mihi ad te eſt ſcribendum. Neque dubito, quin conſobrinus tuus, qui hic fuit, tibi jam ea omnia narraverit, quæ ex me in hac urbe audiverat; ſed quoniam hinc redire ad vos cogebatur, quemadmodum ei conſulebam, non potui tum quidem omnia ei accurate ac diligenter declarare, quemadmodum cupiebam, & fratri tuo me facturum receperam, ut tu, res quemadmodum geſta eſſet & frater tuus usque ad mortem ſe geſſiſſet cognoſceres, cauſamque potius Dei laudandi quam dolendi habere poſſes. Itaque nactus iſtam ſummam ſcribendi opportunitatem, prætermittere nolui, quin ad te de tota re, ſicut hic geſta eſt, ſcriberem, tum ut materiam lætitiæ potius quam moleſtiæ in Domino tibi darem, qui pro ſua gratia & miſericordia fratrem tuum delegit, ac dignum judicavit, qui veritatem ipſius ſanguine ſuo conſignaret; tum etiam, ut id præſtarem, quod me facturum ei promiſeram, ejusque mandato ad te de re tota ſcriberem. Quod quidem facio non ita copioſe, ut res ipſa merebatur, ſed tamen breviter exponam ea præcipua, quæ ego ipſe & vidi & audivi. Hoc modo igitur res habet.

Ex eo tempore, quo frater tuus in carcerem conjectus eſt, quamdiu in eo fuit, non credibile eſt, quot homines hujus urbis, ex omni genere atque ordine, inprimisque Doctores, ac Nobiles eum vehementer rogaverint, ne pertinaciter hujusmodi vanas opiniones, ut illi arbitrantur, tueretur: ad quas ita putabant eum adductum eſſe, ut mente ac ratione omni alienatum eſſe exiſtimarent. Itaque magnopere eum hortabantur, ut aliquam rei ſuæ ſalutisque cogitationem & curam ſuſciperet, atque omnia hujusmodi deliria abjiceret, quibus illum affici ac teneri arbitrabantur. Sed vir pius conſtanter ſemper iis reſpondit, id quod ipſe protuliſſet, conſtanterque defenderet, non eſſe inanes aliquas ſpeculationes, aut

vanas

Digitized by Google

vanas opiniones, neque ſe mente perturbatum eſſe, ulloque humore fantaſtico correptum, ut inſaniret: ſed puram Dei veritatem, Sanctumque Domini noſtri Jeſu Chriſti verbum & doctrinam ſalutarem. De qua quidem cum ſingula capita proponeret, ſimul etiam ſtatim graviſſima ſcripturæ teſtimonia afferebat, quibus orationem ſuam probabat & confirmabat, teſtificans invicta quadam conſtantia ſe multo malle mortem ſubire, quam Jeſum Chriſtum unum Salvatorem noſtrum atque Redemtorem mundi, cujus cauſam & doctrinam tueretur, quam denique perfidia ſua veritatem Evangelii prodere, & cauſam eam, quam Deus ipſi commiſerat & commendarat, ut eam usque ad mortem tutaretur.

Poſtremo, quum is diu cum Doctoribus hujus urbis, monachis ac ſacerdotibus diſputaſſet, ceterisque multis, qui ad eum accedebant; alii, ut illum à ſententia deducerent, alii vero, miſericordia quadam permoti, quod eum hominem plane bonum atque integrum cognoverant, omnes, ſummo conſenſu ſimul eum adierunt; quem quum rogaſſent, ut eam opinionem deponeret, civitatem etiam ei promiſerunt, ac detulerunt cum hujusmodi commodorum proviſione, quam ille poſſet expetere. Sed, quum viderent ſe nihil poſſe ab eo obtinere, paulo poſt aliud nuncium miſerunt, eum niſi ſuſceptam opinionem, & ſententiam deponeret, poenam mortis perpeſſurum. Ad quod nuncium ille lætiſſimo animo reſpondit, id quidem unum eſſe, quod omnium maxime expeteret, neque aliud eo jucundius nuncium afferri poſſe.

Interea dum hæc aguntur, literæ veniunt à Senatu Mediolanenſi, cum hujusmodi mandato, ut *Franciscus Gamba* moreretur, igneque vivus cremaretur. Sed quum Judices, jam in eo eſſent, ut conficerent illud mandatum, eaque poena Franciscum afficerent, aliæ literæ Genua ſunt allatæ commendatitiæ, quas Legatus Imperatoris, multique nobiles Mediolanenſes ſcripſerant. Itaque conſtitutio executioque ſupplicii in aliquot dies dilata eſt. Quo quidem toto tempore

optimus frater tuus in propoſito firmus permanſit. Neque diu poſt, aliæ literæ mortis ejus nunciæ, allatæ fuerunt. Itaque ex ea arce, in qua, ut tu ſcis, captivus tenebatur, eductus eſt, productusque ad eum Magiſtratum, quem Potentatum vocant; qui in ea urbe eſt Judex cauſarum tum civilium tum capitalium, ibique hujusmodi ſententia lata eſt; „ eum niſi „ ad ſe rediret, opinionemque deponeret, jam condemnatum „ eſſe ut ſupremo ſupplicio afficeretur. Tum ille oſtendens; ſe magnopere lætum, & mirifica quadam conſolatione affectum, modeſtiſſime gratias egit Potentatui, pro eo nuncio, quod ei allatum fuerat. Is tamen Magiſtratus, tum mea cauſa, tum etiam quod à quibusdam aliis Nobilibus rogatus eſſet, Franciscum in carcere incolumem ea adhuc hebdomate conſervavit. Quo quidem tempore is ſumma cum libertate & audacia cum omnibus diſputabat, permultas afferens ſemper rationes atque authoritates ex Scriptura ſancta, quibus quod tuebatur confirmaret, ita ut animus ejus magis ac magis augeretur, ejusque conſtantia eo major in dies perſpiceretur, quo longior ei vita concedebatur. Poſtremo Judex eum accerſivit, eique dixit, ipſum poſtridie aut certe perendie mori oportere, ex eo mandato, quod à Senatu Mediolanenſi acceperat. Ille vero idem quod antea reſpondit ſibi quidem id nuncium gratiſſimum ac jucundiſſimum accidere. At, cum judex illum iterum rogaſſet pluribusque monuiſſet, ſi ea quæ dixerat retractare vellet, id quidem certe, quod de Sacramento Miſſæ dicere auſus fuerat, id quod ei eſſet delatum ac promiſſum, plane futurum; ille hujusmodi promiſſa nihil curabat, nec pluris ea quam leviſſimum venti flatum faciebat, ſæpe etiam dicebat ea commoda, quæ ſibi ab illis proponerentur, nullo modo eſſe comparanda cum iis bonis, quæ certus erat à Domino ſe accepturum, cujusmodi eſt corona immortalitatis vitaque æterna, omnibus pie Deum colentibus promiſſa & conſtituta.

Neque verò animi magnitudinem ſuſceptam unquam abjecit

cit aut infregit, tametsi ab hostibus veritatis ad eum labefactandum ac plane debilitandum multa ei gravia proponerentur: quin potius cernere quisque poterat constantiam illius ac virtutem in horas singulas majorem fieri, eaque ab illo dici, quæ omnes, qui audiebant, magnopere admirarentur. Itaque magistratus, quum videret, eum ita affectum esse & confirmatum, constituit, ut postridie moreretur. Quod ille quum intellexisset, finemque vitæ suæ jam appropinquare cognovisset, me ad se accersivit, ut ipse mecum loqueretur. Inter multa alia magno studio rogavit me, ut de tota sua re & causa, quis exitus ejus fuisset, ad te scriberem, teque rogarem, tum honoris Dei causa, tum etiam ejus amoris ac benevolentiæ, quam erga se haberes, ut nullam molestiam doloremque ex morte sua caperes, quum eam quidem propter Jesum Christum perlubenter pateretur, incredibilem quandam in animo suo sentiens consolationem & lætitiam, recognoscensque tantam Dei gratiam, qua ab eo electus fuisset & vocatus ad opprobria mundi, crudelemque mortem perferendam, ut causam Filii ejus Jesu Christi tueretur, qui vitæ propriæ non perpercit, ut salutem omnibus fidelibus afferret. Postremo, se tibi sorores suas & tuas, nepotes, neptesque commendare, ac Deum orare, ut vos in optima pace amicitiaque conservet, eamque gratiam impertiat, ut totam vitam vestram ad ipsius cultum consecrare ac conferre possitis.

Postero die mane, carnifex, qui natione erat Germanus, ad eum accessit, ut eum admoneret de supplicio, quod ipse eo die erat executurus, utque sibi ob eam rem ignosceret. Cui frater tuus respondit, ne vereretur audacter facere, quod ipsi injunctum erat; se quidem, non solum ei ex animo ignoscere, verum etiam, Deum orare, ut pro sua gratia ipsum illuminaret atque ad cognitionem salutis suæ adduceret. Addidit etiam, se si pecuniam habuisset, illi daturum fuisse.

Deinde ad Potentatum adductus est, ab eoque iterum roga-

gatus, ut quæ dixerat retractaret atque opinionem deponeret; ſed ille, non plus quam antea, quicquam eorum voluit facere. Itaque ludex, quum eum oraſſet, ne id quod faceret, alienum ei videretur, declaravit ei, ſe ſumma neceſſitate atque authoritate Dominorum adduci, ut eum morte mulctaret. Tum Franciscus modeſtiſſimis verbis ei gratias egit, ac dixit, „ ſe animo magnopere dolere, quod illi, quid fa„ cerent, plane neſcirent, Deumque orare, ut ſuam iis mi„ ſericordiam impertiret." Simul atque campana ſignificationem ſupplicii futuri dedit, duo paria monachorum prodierunt, ex eorum genere ac ordine, qui *Capucini* appellantur.

Veniebant autem eo animo, ut ejus Confeſſionem audirent, ac prima fronte eum monuerunt, ne moleſtiam aliquam moeroremque animo acciperet; ſed eis ille planè reſpondit, ſibi eorum comitatum nullo modo eſſe neceſſarium, monuitque ut ſe reciperent.

Ceterum, fraterculi, uti mos ipſorum eſt, habent crucem in manu, eamque oſtendebant, ut memoriam crucis Chriſti illi renovarent. Sed Franciscus ajebat, Jeſum Chriſtum optime in corde ſuo eſſe impreſſum, ejusque mortis memoriam plane infixam, cujus virtutem ſentiebat. Quumque illi iterum dixiſſent, eum niſi ad crucem reſpiceret, in deſperationem delapſurum, quum tormenta ignis ſentiret; reſpondit, cor ſuum ea conſolatione ac lætitia perfuſum eſſe, ut jam gaudio quodam, quod omnem ſenſum intellectumque humanum ſuperaret, frueretur. Quod verò ad cruciatum adtinet, quem in corpore ſuo ſenſurus eſſet, eum ſubito tranſiturum: animam verò ſuam participem futuram beatitudinis coeleſtis, in illa ſocietate beatorum ſpirituum atque Angelorum, cum quibus perfrueretur in perpetuum iis bonis, quæ Deus filiis ſuis comparavit, quæ neque oculi hominum unquam viderunt, nec aures eorum audierunt.

Po-

Digitized by Google

Postea, quum hæc & alia ejusmodi singularis consolationis plenissima dixisset, ut ei adimeretur omnis loquendi facultas, neque amplius ab, iis qui aderant intelligeretur, lingua ei est perforata. Ipse deinde deductus ad locum supplicio constitutum, ibi positis in terram genibus, oculisque in coelum sublatis, Deum orabat, tanto animi ardore, ut omnes admirarentur. Deinde, quum surrexisset, ita se ad supplicium composuit atque accinxit, ut carnifex postulabat, statimque laqueo vitam finivit. Nam quamvis condemnatus esset ut vivus comburetur, ei tamen ea gratia impertita fuit, ut sine magno languore doloreque moreretur.

Nemo quidem eorum, qui ibi affuerunt, ejusque constantiam summamque animi æquitatem spectarunt, fuit, qui non ita admiraretur, ut adtonitus plane incertusque, quid ageret, existeret; neque aliud dicere poterant, quam optimum innocentissimumque hominem ac verum Jesu Christi martyrem ac testem ab illis necatum esse.

Atque ille quidem pius vir multa alia sanctissimè est locutus, cum eo toto tempore, quo fuit in carcere, tum etiam quum jam ei moriendum esset, quæ quidem digna sunt, quæ ad omnium cognitionem pervenirent, sed ego ea non possum ad te hoc tempore scribere, ac vereor ne paulo longior fuerim. Hoc solùm addam, quod ille fecit quum jam spiritum redditurus esset, nam quum ego seorsim essem post multitudinem quatuor millium hominum, oculos satis procul in me conjecit, manuque dextra, quæ non erat ligata, signum dedit, quo ego admonitus ad te scriberem, & ea, quæ promiseram, præstarem. Et mox caput inclinans Deo spiritum reddidit. die XXI. mensis Julii MDLIIII. scriptum *Comi* XXIX. Julii MDLIIII.

§. LXIV. Parem fere ac *Franciscus* ille *Brixiensis*, vitæ exitum sortitus est *Godofredus* vel *Theofredus* cognomento VARAGLIA, Pedemontanus, Vir inter ipsos Pontificios celeberrimi nominis, inter nostros vero, benedictæ memoriæ.

Erat

Erat ex ordine Fratrum Capucinorum, *a*) atque eorum habitum, visa eorum austeritate vivendi, sibi adsumserat.

Et, cum Patrem haberet ejusdem nominis, qui jam A. 1488. acerrimus persecutor fuerat Valdensium, ipse animum, in hos Veritatis Evangelicæ Confessores infestum, à Patre veluti juri hæreditario acceperat; Ut quoque Monachus factus ac singulari eloquentia præditus, Missionem ad convertendos vel persequendos Valdenses acciperet, sibique jam magna, *b*) ab ejus suada, ac pro religione Papistica, zelo, pollicerentur Pontificii, ipseque etiam nulli parceret operæ, ad eos, vel in sinum ecclesiæ pontificiæ redigendos, vel quantum in ipso erat, extirpandos.

Sed bonum factum, cum firmissimis uti putabat argumentis, validisque rationibus veritatem enervare ac oppugnare studeret, res secus accidit, ipseque, Valdensium oppositionibus ad animum revocatis, veritati locum concedere debuit, seque ei ipsi, quam persequebatur, doctrinæ *c*) submittere;

Ab

a) Quin imo sunt, qui cum HOSPINIANO de origine minachorum cap. IX. p. 297. dicant, eum ejus ordinis fuisse Auctorem, vel saltem Generalem, unde à Bonerio *Caput ordinis* dicatur &c. Sed hos, non recte satis rem putasse, jam notatum est, ex RÆMUNDO in ejus Hist. hæres, Seculi XVI. l. III. c. v. p. 231. ab auctore *Observationis Halensis* in Observ-Select Tom. IV. Obs. 20. *de Vita Bern. Ochini* p. 410. & 46. siquidem verus Capucinorum (à caputio capitis tegumento, togæ Franciscanæ assuto, ita dictorum) institutor fuerit, *Matthæus de Bassebi*, Conf. MOSHEM in Hist. Eccl. recent. p. 709. edit. noviss.

b) Conf. LEGER. in *Hist. des Eglises Vaudoises* Tom. II. pag. 29.

c) Il fut etabli grand Missionaire contre les Vaudois, comme etant doue d'une eloquence fort rare, dont se promettoit merveilles: mais plus il travailloit à la conversion de ces pretendus heretiques, plus il etoit touche des raisons, qu'ils lui opposeient, jusqu' à ce, qu' enfin il donna gloire à Dieu,

&

Digitized by Google

Ab eo igitur tempore, quo Veritatem Evangelicam cognovit, eandem quoque, ut ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, inprimis verò ad confirmandos fratres, quos antea persecutus fuerat, aliis instillaret, omnem navavit operam; Sicque à Genevensibus *a*) missus, ad eosdem Waldenses fratres in Valle Angrunia reversus est, iisque Evangelium, cujus gustum apud ipsos primò perceperat, annunciare, atque eos in fide constantique veritatis professione corroborare, strenuè perrexit, usque dum, cum aliis quibusdam eorum Vallium incolis, A. 1557. Jussu Supremi Judicii Taurinensis, in vincula daretur, atque Taurinum deferretur, ibique tanta cum laude, animique & parrhesia & constantia suum perficeret cursum, ac martyrii coronam adipiscereturr, feralibus flammis consumtus.

§. LXV. Huic verò, cum in vinculis detineretur, *Jo.* CALVINUS notabilem scribere Epistolam solatii plenam *b*) non neglexit: Quam hic exhibemus:

Vincto Taurini propter Evangelium.

Etsi tristis nobis fuit vinculorum tuorum, nuncius, optime frater, gravius tamen nos vulneraſſet, nisi Deus, qui solet ex tenebris lucem elicere, moerorem temperasset aliquo gaudio.

Est enim cur nobis gratulemur, quod tam fructuosa in ipso carcere jam opera tua esse coepit, ut magis quam si liber fuisses ac solutus, Christi Evangelium illustraveris; Itaque merito animum tibi addere debet illa Pauli gloriatio, quamvis te captivum teneant hostes, sermonem Dei non esse alli-

& comme un autre S. Paul se mit à precher la Foy, qu'il avoit persecuté. LEGER. l. c. p. 29.

a) Id quod ex ejus confessione coram Judicio Taurinensi data colligitur, uti omnem illum processum CRISPINUS nobis in *Martyrologio majori Gallico* ex Actis authenticis enarravit, à folio 418 421.

b) V. CALVINI Epp. pag. 116. Eam quoque in *Martyrologio majori* l. c. p. 426 ex Latino in Gallicum idioma convertit CRISPINUS.

Digitized by Google

gatum (1 Tim. II. 9.) nec modo, apertam esse januam auditoribus, qui semen illud vivificum ex ore tuo exceptum longius spargant, sed fructum coram oculis tuis emergere.

Quod si te in angustias restringi contingat, erit tamen hoc laboris tui pretium, non vulgaris solatii loco. Nam si fidei confessio coram gente tortuosa & perversa gratum Deo sacrificium est, quanto suavius spirabit odor in multorum salutem diffusus;

Ceterum, vides, frater, ad quam militiam vocatus sis, idque tibi sedulò reputandum est. Quum enim à privatis quibuslibet Math. X. 32. suo Evangelio testimonium exigat Christus, sanctiori jure te obstrictum tenet, quem publicum creavit ejus doctrinæ præconem, quæ nunc in tua persona oppugnatur:

Ergo, ab eodem, qui te hoc honore dignatus est, testem te productum esse memineris, ut, quod ore antea docuisti, proprio sanguine si opus fuerit, obsignes.

Interea fidum vitæ tuæ custodem fore ne dubita, &, quando mortem sanctorum pretiosam sibi fore pollicitus est, qualiscunque erit eventus, tibi sufficiat hæc compensatio, nunc Filium Dei per te agere triumphum, ut te in æternæ gloriæ societatem colligat. Pluribus tecum non agam, quia te in ejus fide & patrocinio recumbere mihi persuadeo, cui dum morimur & vivimus, moriendo sumus beatiores, quam terreni profanique homines vivendo.

Vale, optime & chariſſime Frater, salutant te collegæ mei. Dominus tibi semper adsit, prudentia Spiritus sui te gubernet, invicta fortitudine sustineat, præsidioque tueatur. XVII. Decemb. MDLVII.

Joannes tuus quem nosti.

§. LXVI. Sunt verò duo cumprimis, in illo Pontificiorum cum VARAGLIO processu, adhuc notabilia:

Alterum est, quod inter alia, interrogatus de domesticis fidei,

fidei, atque eos indicare juſſus, *a*) hunc in modum reſpon-derit: „ Vidi, exacto menſe Septembri, in generali conventu „ multorum fratrum, miniſtros viginti quatuor, qui maximam „ partem ad petitionem fratrum eò Geneva miſſi fuerunt. „ Hoc autem, apud vos certè ſtatuatis, velim, Domini „ mei, tantum eſſe miniſtrorum illorum numerum, qui me-„ cum prædicarunt Evangelium, ut, ſiquidem eos omnes com-„ burere decreveritis, potius deſtituamini vos ligno, quam „ coetus illi miniſtris. Creſcunt enim illi & augentur indies, „ ipſumque adeo verbum Dei creſcit, & magis magisque di-„ latatur, utpote quod in omnem manet æternitatem.

Alterum eſt, quod miram, cum jam in flammis fere, quibus primò ſuffocandus, deinde comburendus erat, eſſet conſtitutus, *Orationem* ad auditores circumſtantes haberet, hunc in modum.

„ Fratres chariſſimi, primum omnium iis ignoſco atque condono, qui meam mortem procurarunt: quoniam revera ex ignorantia hoc faciunt, Deumque ut eos lumine ſuo colluſtret, rogo: Ut autem vobis mortis meæ cauſam, ſi forte neſcitis, patefaciam, ea eſt, & non alia, quæ Petro & Paulo, ceterisque Apoſtolis, Sanctis & Chriſti martyribus, fuit, nimirum ejusdem Veritatis & Evangelii Chriſti confeſſio & propugnatio, quam illi omnes ſuſceperunt.

Jam, Evangelium, aliud eſt nihil, quam lætum & fauſtum nuncium, quo credentibus remiſſio & venia delictorum omnium per Jeſum Chriſtum nunciatur, quem ſolum conſtituit Deus advocatum, mediatorem & deprecatorem apud ſe miſerorum hominum, qui peccatis involuti ſunt.

Quum coecitacis meæ tempore Diabolo inſervirem, quotidie peccatis & delictis morlebar. Deum ejusque ſanctiſſimum nomen contumeliis afficiendo, quo tempore ſi mortuus fuiſſem, poenis fuiſſem æternis mancipatus. Nunc vero, morior, ut in æternum in regno coelorum, cum Deo Patre & Filio

a) Vide *Martyrolog. parvum.* p. m. 607.

Digitized by Google

Filio ejus Chriſto vivam. Non, quod exiſtimem hanc meam mortem, ſalutis eſſe cauſam, cum eam in Dei erga me ſummo amore & Jeſu Chriſti ſanguine repoſitam habeam. Quod ſi qui hic ſunt, quibus hæc Evangelii veritas nota ſit, hos hortor aliosque univerſos, ſacros ut Jeſu Chriſti Domini & magiſtri noſtri libros evolvant & inquirant, atque ex eo præſcripto Deum colant, vitamque inſtituant. Nam ſola, Dei oracula, bene vivendi Deique colendi regula, ſunt certiſſima, quam qui ſequuntur, illi idololatriam averſantur, vitant ſtupra, detractiones fugiunt, oderunt mendacia, furta deteſtantur.

Hanc ego regulam, ex quo me Deus ſua miſericordia & ſpiritu illuſtravit, ſemper ſum ſecutus, & nunc morte comprobo mea, ab eo præmium expectans, qui promiſit gloriam immortalitatis, quique me tanto honore dignatur, ut & antea ſui Evangelii præconem fecerit, nuncque inter ſuos martyres velit adnumerari.

Ut autem, quæ ſit mea fides, intelligatis, ſcitote, me ſanctam eccleſiam catholicam confiteri, omniaque toto animo amplecti, quæ libris Veteris & N. T. continentur; Hominum autem inventa ac decreta ſine Verbo Dei, deteſtari, quibus ne fidem habeatis, oro, evertunt enim Dei doctrinam atque præcepta, atque ſe ſequentes in exitium trahunt."

His enim omnibus commoti auditorum & ſpectatorum animi quamplurimi, ejus agnoverunt innocentiam, atque vim veritatis perſenſerunt, ipſe autem primò laqueo ſuffocatus, deinde flammis abſumtus *a*) eſt d. 29 Martii MDLVIII.

§. LXVII. Omnem verò fidem excedit, quod in CALABRIA A. 1560. d. XI. Junii uno die octoginta & octo Martyres ſanguinolento cultro *b*) (ut ita loquamur) fuerunt mactati: Quam omnem cauſam nobis enarrat Epiſtola D. *Simonis* FLO-

a) Hæc à *Coelio Secundo* CURIONE ſunt annotata in *Pantaleonis rer. memorabil.* Lib. XIX. p. 334. 335.

b) Conf. OSIANDRI Centur. XVI. lib. 3. c. 37. p. 690.

Digitized by Google

FLORILLI, Clavennæ apud Rhætos Verbi divini Miniſtri, quam ad Virum Clar. *Gulielmum Gratalorum*, *a*) Medicinæ Doctorem Baſileenſem conſcripſit d. 21 Aug. idiomate Italico, ſed quam Gratalorus ille in Latinum convertit, *) quæque ita ſe habet:

„Quod ſupereſt, quantum ad eos, qui de me malè loquuntur, parum curo, modo habeam bonam conſcientiam coram Deo & bonis ac piis hominibus: ſpero enim me ſumma patientia ſuperaturum omnes linguas & omnes ſimul inferorum potentias, detectumque tandem iri hypocriſes, fictiones & omnes malitias, maximè falſorum fratrum & hæreticorum; Ita Deum oro, citò faciat ob gloriam ſuam & bonum ſuæ eccleſiæ, quæ eo valde indiget:

De rebus autem novis, non aliud habeo quod ſcribam, quam quod mitto exemplum *literarum* impreſſarum Romæ aut Venetiis *de Martyrio noviter patrato per Calabriam in duobus oppidis ad octo milliaria Italica Coſentiæ vicinis*, quorum unum vocatur *Sanctus Sixtus*, duobus paſſuum millibus juxta Montaltum, quod Duci Montalti paret, alterum, vocatur *Guardia*, ſitum ſupra mare, ac 12 milliaribus vicinum Sancto Sixto, quæ duo oppida deſtructa jam ſunt, & interfecti habitatores ad numerum octingentorum, vel, eorum fuerunt, circiter mille, ut alius ſcribit, ex urbe Roma d. 21 Junii. Qui vero ſcripſit, erat famulus *Ascanii Caraccioli*. Gentes ego illas cognovi, ex *Valdenſium* origine, bonæ doctrinæ & melioris vitæ.

Nam, antea quam Geneva diſcederem, miſimus ad eorum inſtantiam, duos miniſtros verbi, & duos ſcholæ literariæ magi-

a) Vid. PANTALEON rer. in Eccl. geſtar. pag. 337. 338.

*) Is itidem inter eruditos Italos Reformatos nomen habet: Erat enim ex ditione Venetorum, Bergomas, artis medicæ peritia clarus, quam & ſcriptis pererudiris illuſtravit, Baſileæ d. XVI. Kal. Maji 1568. vivere deſiit, teſte THUANO ad ann. 1567.

Digitized by Google

giſtros; Miniſtri anno præterito fuere martyrio affecti, unus Romæ, qui vocabatur *Johannes Aloyſius Paſcalis*, *a*) ex Cunio civitate, alter Meſſinæ, *Jacobus Bonellus*, ambo Pedemontani: Hoc autem anno, reſiduum illorum hominum martyrio ibi deletum eſt. Spero hoc bonum futurum ſemen ITALIÆ, ut producat bonum & copioſum fructum.

Sequitur ergo exemplum productarum literarum ſcriptarum ex Montalto, Calabriæ oppido, à Conſentia octo paſſuum millibus diſtante, ſub d. XI Junii 1560. At, qui ſcripſit, ut videre eſt, ex eorum numero eſt, qui ſe *Catholicos* vocant, & *Papam ſequuntur*.

„ Permagnifice Domine, hactenus ſcripſi, quantum indies „ peractum eſt hic circa hos hæreticos. Nunc dicere occur- „ rit, quemadmodum hodie qui eſt XI Junii, ſummo mane „ coepta ſit fieri horrenda juſtitia *contra hos Lutheranos*, „ qua in re ſolum cogitans horreo ac tremo. Et ita vobis „ affirmo, horum omnium mortem fuiſſe veluti vervecum ſeu „ caſtratorum, ut vocamus. Hi omnes in una domo clauſi „ erant velut in caula; atque ibat carnifex & ſingulos arri- „ piens ligabat inſtita ſeu benda eorum oculos, & deducebat „ in amplum locum parum diſtantem ab ea domo: ibique „ genua flectere juſſos cultro jugulabat, ſicque exanimes re- „ linquebat. Deinde faſciolam illam (bendam Italicè voca- „ tam) ſanguinolentam & ſanguinoſum cultrum capiens ad „ alium pergebat, eumque ſimili ratione mactabat. Poſtea „ lanienam talem ſecutus eſt, usque ad numerum hominum „ *octoginta octo*, quod quidem ſpectaculum, quam miſera- „ tione dignum ac lugendum fuerit, vobis cogitandum & „ conſiderandum relinquo; nam ſcribendo vix à lacrymis „ tempero mihi, neque aliquis fuit ex ſpectatoribus, qui „ uno moriente viſo, alium itidem videre ſuſtinuerit, tam „ enim humiliter & patienter ad martyrium & mortem eunt, „ ut creditu ſit impoſſibile. Ex illis morientes aliqui aſſe- „ runt

a) De eo ſtatim §. LXVIII. agetur.

Digitized by Google

„ runt, se credere idem quod nos, nihilominus magna ex
„ parte moriuntur, cum illa ipsorum maledicta obstinatione.
„ Senes omnes eunt ad mortem alacres, sed juvenes eunt
„ perterrefacti: Horresco videns carnificem, videns sanguino-
„ lentum cultrum in ore tenentem, cum fasciola illa sangui-
„ nolenta in manu, cruentatisque omnino brachiis, ac veni-
„ entem ad domum illam, & unum aliquem capientem, ita
„ ut lanio videatur, qui vervecem interficere velit:

„ Ordinatum est, &, jam hic sunt plaustra, ut omnes illi
„ jugulati scindantur singuli in quatuor partes, quibus plau-
„ stra onusta devehantur, usque ad initium provinciæ Cala-
„ briæ, & statis locis in compitis ponantur, & cursoria in via
„ usque ad Calabriæ confines. Nisi Papæ Sanctitas & Do-
„ minus vice Rex Neapolis, mandaverint Domino Marchioni
„ Buccianici, prædictæ provinciæ gubernatori, ut manum au-
„ ferat, ac tandem cesset, perget equuleo examinare alios, &
„ numerum augere, ut omnes perdat.

„ Hodie quoque decretum, ut *centum seniores mulieres*
„ veniant, quæ tormentis & examine afficiantur, deinde mor-
„ ti subjiciantur, ut mixtura fiat perfectior, quo melius so-
„ net in ore vocabulum, fuisse supplicio affectos tot vel tot
„ partim viros partim foeminas. Hoc fit, quantum dicere pos-
„ sum de hac Justitia.

„ Jam sumus in hora hujus diei decima quarta, atque mox
„ audiemus de aliquo istorum obstinatorum, quid dixerit, cum
„ ad suppliciuni ivit. Sunt aliqui adeo obstinati seu pertina-
„ ces, ut nolint crucem videre, nec sacrifico confiteri, &
„ hi vivi comburentur.

„ Hæretici, qui in Calabria capti sunt, numerum 1600 com-
„ plent, qui omnes condemnati sunt. Qui verò hactenus
„ supplicio affecti fuerunt 88. Gentes istæ originem habent
„ ex *Valle Angronia* prope Sabaudiam: & in Calabria vo-
„ cantur *Ultramontani*.

„ In Regno Neapolitano supersunt alia quatuor loca ho-

„ rum

giſtros; Miniſtri anno præterito fuere martyrio affecti, unus Romæ, qui vocabatur *Johannes Aloyſius Paſcalis*, *a*) ex Cunio civitate, alter Meſſinæ, *Jacobus Bonellus*, ambo Pedemontani: Hoc autem anno, reſiduum illorum hominum martyrio ibi deletum eſt. Spero hoc bonum futurum ſemen ITALIÆ, ut producat bonum & copioſum fructum.

Sequitur ergo exemplum productarum literarum ſcriptarum ex Montalto, Calabriæ oppido, à Conſentia octo paſſuum millibus diſtante, ſub d. XI Junii 1560. At, qui ſcripſit, ut videre eſt, ex eorum numero eſt, qui ſe *Catholicos* vocant, & *Papam ſequuntur*.

„ Permagnifice Domine, hactenus ſcripſi, quantum indies „ peractum eſt hic circa hos hæreticos. Nunc dicere occur- „ rit, quemadmodum hodie qui eſt XI Junii, ſummo mane „ coepta ſit fieri horrenda juſtitia *contra hos Lutheranos*, „ qua in re ſolum cogitans horreo ac tremo. Et ita vobis „ affirmo, horum omnium mortem fuiſſe veluti vervecum ſeu „ caſtratorum, ut vocamus. Hi omnes in una domo clauſi „ erant velut in caula; atque ibat carnifex & ſingulos arri- „ piens ligabat inſtita ſeu benda eorum oculos, & deducebat „ in amplum locum parum diſtantem ab ea domo: ibique „ genua flectere juſſos cultro jugulabat, ſicque exanimes re- „ linquebat. Deinde faſciolam illam (bendam Italicè voca- „ tam) ſanguinolentam & ſanguinoſum cultrum capiens ad „ alium pergebat, eumque ſimili ratione mactabat. Poſtea „ lanienam talem ſecutus eſt, usque ad numerum hominum „ *octoginta octo*, quod quidem ſpectaculum, quam miſera- „ tione dignum ac lugendum fuerit, vobis cogitandum & „ conſiderandum relinquo; nam ſcribendo vix à lacrymis „ tempero mihi, neque aliquis fuit ex ſpectatoribus, qui „ uno moriente viſo, alium itidem videre ſuſtinuerit, tam „ enim humiliter & patienter ad martyrium & mortem eunt, „ ut creditu ſit impoſſibile. Ex illis morientes aliqui aſſe- „ runt

a) De eo ſtatim §. LXVIII. agetur.

Digitized by Google

„ runt, ſe credere idem quod nos, nihilominus magna ex
„ parte moriuntur, cum illa ipſorum maledicta obſtinatione.
„ Senes omnes eunt ad mortem alacres, ſed juvenes eunt
„ perterrefacti: Horreſco videns carnificem, videns ſanguino-
„ lentum cultrum in ore tenentem, cum faſciola illa ſangui-
„ nolenta in manu, cruentatisque omnino brachiis, ac veni-
„ entem ad domum illam, & unum aliquem capientem, ita
„ ut lanio videatur, qui vervecem interficere velit:

„ Ordinatum eſt, &, jam hic ſunt plauſtra, ut omnes illi
„ jugulati ſcindantur ſinguli in quatuor partes, quibus plau-
„ ſtra onuſta devehantur, usque ad initium provinciæ Cala-
„ briæ, & ſtatis locis in compitis ponantur, & curſoria in via
„ usque ad Calabriæ confines. Niſi Papæ Sanctitas & Do-
„ minus vice Rex Neapolis, mandaverint Domino Marchioni
„ Buccianici, prædictæ provinciæ gubernatori, ut manum au-
„ ferat, ac tandem ceſſet, perget equuleo examinare alios, &
„ numerum augere, ut omnes perdat.

„ Hodie quoque decretum, ut *centum ſeniores mulieres*
„ veniant, quæ tormentis & examine afficiantur, deinde mor-
„ ti ſubjiciantur, ut mixtura fiat perfectior, quo melius ſo-
„ net in ore vocabulum, fuiſſe ſupplicio affectos tot vel tot
„ partim viros partim foeminas. Hoc ſit, quantum dicere pos-
„ ſum de hac Juſtitia.

„ Jam ſumus in hora hujus diei decima quarta, atque mox
„ audiemus de aliquo iſtorum obſtinatorum, quid dixerit, cum
„ ad ſuppliciuni ivit. Sunt aliqui adeo obſtinati ſeu pertina-
„ ces, ut nolint crucem videre, nec ſacrifico confiteri, &
„ hi vivi comburentur.

„ Hæretici, qui in Calabria capti ſunt, numerum 1600 com-
„ plent, qui omnes condemnati ſunt. Qui verò hactenus
„ ſupplicio affecti fuerunt 88. Gentes iſtæ originem habent
„ ex *Valle Angronia* prope Sabaudiam: & in Calabria vo-
„ cantur *Ultramontani*.

„ In Regno Neapolitano ſuperſunt alia quatuor loca ho-

„ rum

„ rum populorum, de quibus tamen ignoratur, an male vi-
„ vant: nam ſunt homines ſimplices, idiotæ, ligonizantes &
„ agricolæ, &, in morte obeunda, ut audio, ſe bene religio-
„ ſos oſtendunt. Vale ex Montealto XI. Junii.

Videmus ex hiſce literis etiam adverſariorum, inauditam Tyrannidem, quam erga ſanctos illos homines iis in locis exercent: Fertur autem, Marchionem illum Buccianicum, filium aut fratrem habere, cui Pontifex Cardinalatum promiſerit, ſi omnes Lutherani ea in provincia fuerint extirpati.

Præterea, cognoſcimus piorum miram patientiam, qui ſpe vitæ æternæ omnis generis tormenta & crudelem mortem conſtantiſſime perferunt, atque victoriam glorioſam ſecum ad agnum immaculatum reportant. Faxit, Deus ut tandem omnes populi Jeſum Chriſtum, mundi Salvatorem agnoſcant, confiteantur & innocenti vita celebrent. Amen.

§. LXVIII. Eodem anno 1560. triſtiſſima cum *Jo. Ludovico* PASCHALI, celebri Pedemontano, acta eſt fabula, quam reticere, ob fidei & conſtantiæ ſingularis exemplum minimè fas eſt.

Is enim, qui apud Genevenſes & Lauſannenſes, in Juventute informatus, atque Veritatis ad Evangelii normam reformatæ ac reſtitutæ guſtum perceperat, ad Neapolitanos, qui ſibi præconem Evangelii, ab Eccleſia Italica quæ apud Genevenſes erat, expetebant, ablegatus, non ſolum fideliter miniſterium ſuum exorſus eſt, ſed & per varia *Calabriæ* loca, inter quæ *Guardia*, *Piſcaula*, *Sanct Sixtus*, et ſim, commemorantur, brevi temporis ſpatio, gratiſſimum illum Evangelii odorem ita diffudit, ut adverſarii ad ſordes & foetorem humanarum traditionum aſſuefacti, eum ferre amplius nequirent, ſuisque contentionibus eò rem deducerent, ut vir ſanctiſſimus, primum *Piſcaulæ*, in vincula, & quidem octimeſtria, daretur, porrò transferretur *Coſentiam* atque *Neapolim*, ac denique *Romam* perduceretur, ibique poſt captivitatem trimeſtrem, capitis ſupplicium ſubiret ac ad ignem damnaretur.

In-

Digitized by Google

Incredibile dictu est, quanta cum animi parrhesia, bonæque causæ fiducia, fideique in Christum unice recumbentis constantia, is in ipsis vinculis, non inter amicos solum, sed & inter hostes, veritatem fuerit professus ac defenderit; quanta cum pietate ac sinceritate amicos suos fideique sodales per literas fuerit cohortatus, ne succumberent, ac cumprimis, carissimam conjugem *Camillam Guarinam*, rectioris exempli foeminam, quam nuper nuptam Genevæ reliquerat, ne deficeret, &, quam peritè etiam reliquos, sive Genevenses, sive alios, ac sub vitæ finem, fratrem suum Bartholomæum, fuerit consolatus, *a*) ne mortem ejus crederent, vel probrosam esse, vel detrimentosam.

Leguntur in Martyrologio majori, ejus Epistolæ unctionem spirantes & consolationis plenæ, ex Italico idiomate in Gallicum conversæ, omnes dignæ, quæ adtentè legantur, atque ad animum revocentur: Certè, in quadam ad Auditores olim suos, hæc inter alia leguntur: *Meæ sane res eo in loco sunt, ut eò majus in dies singulos concipiam gaudium in animo meo, quo propius ad eam accedo horam, in qua velut sacrificium suavissimum fidissimo Salvatori meo Domino Jesu Christo immolabor; imò vero, ineffabilem in corde meo sentio lætitiam & à captivitate mea de plano liber esse videor; atque non semel tantum sed multis millibus vicibus propter Christum mori sum paratus, siquidem id fieri queat: nec minus tamen pergo in oratione, atque imploratione auxilii divini, miserrimam enim creaturam hominem esse, certissimò vobis affirmo, dum à se ipso non autem à Deo regitur & gubernatur.*

In aliis ad Genevenses literis, ita; *Non ita necessarius est*, scribit, *ad sustentandum vitam hanc temporalem panis quotidianus, ut crux conducit ad confirmationem fidei & vitæ æternæ conservationem.*

Ad Conjugem verò suam, ita inter cetera: „ Quare, dulcissi-

S

a) Vid. *Martyrol. magn* p. m. 506-516.

„ ciſſima conjux, gaude & conſolare in Jeſu Chriſto, & alta
„ mente impreſſas ac profunde radicatas tene priores tres
„ Orationis Dominicæ petitiones, omnem curam ac ſollici-
„ tudinem tuam jacta in Dominum, in eo tota confide, da-
„ bit is tibi, quæcunque ab eo decenter rectèque petieris. Læ-
„ tare in Domino, reverere Deum, indeſinenter in ſacra
„ ſcriptura lege, frequenta conciones ſacras, ſuccurre miſe-
„ ris, ægrotos viſita, & quantum potes afflictos & tentatos
„ ſolare, ante omnia fideli ac devotæ da operam Orationi;
„ &, ut vita tua ſit exemplum & ſpeculum illius, quam du-
„ dum profeſſa es, fidei ac doctrinæ, etiam atque etiam ſtu-
„ de, &, quia reſuſcitata es cum Chriſto, non quæ infra
„ ſunt, quære, ſed quæ ſupra ſunt.

Exhortatur porrò eam ad ſedulam & diligentem lectionem libri cujusdam à *Petro Vireto* conſcripti, ſub titulo *Inſtitutionis Chriſtianæ*, utpote in quo commodam & ſanam proventriculo ſuo ſit repertura eſcam.

Quum in carcere quidam ei objicerent, quod à Luthero & Calvino ſe paſſus fuiſſet ſeduci, in propriam perniciem, ſcitè reſpondit: *Lutherum agnovi nunquam, nec verò illius aut vidi aut legi libros unquam; Adhæc Genevæ oriundus non ſum; ſed Cuny; quæcunque verò dico vobis, ea non ſunt Lutheri aut Calvini, ſed ipſiusmet ſacro ſancti Evangelii dogmata.*

Quum frater ejus Bartholomæus, Romæ eum inviſeret, ac inprimis Cardinales & Prælatos eccleſiaſticos pro ſua liberatione ſollicitis adiret precibus; *Gratias* inquiebat ille, *ago Deo meo, in tanta hac & diuturna ærumna, & difficultate mea, nonnullos adhuc reperiri homines, qui mihi bene cupiant. Tibi vero, mi frater, etiam ago gratias, pro amica tua erga me voluntate. Ad me autem quod adtinet, eam mihi largitus eſt Deus agnitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut nullo modo me errare, ſim omnium maxime perſuaſus, ſed & probè novi ingrediendam mihi eſſe an-*

anguſtam crucis viam, ut proprio meo ſanguine ipſi denique teſtimonium perhibeam, quod ſi autem metu martyrii ac mortis id facere recuſarem, eo prorſus indignus eſſem . . . . . Enimvero, mortem uti non reformido, ſic multo minus corporalium meorum bonorum jacturam, eò quod Coeleſtis ſim certus, ac æternæ vitæ & bonorum, & cum Domino & Salvatore meo Jeſu Chriſto unitum cor habeam. &c.

Tum verò à fratre admonitus, ut tantillum ſaltem temporı ſe accommodaret, ad conſervandam vitam ſuam, quippe cum ipſe vel dimidiam bonorum ſuorum partem ipſi promitteret, modo vivus ad parentes & amicos perduci poſſet; reſpondiſſe fertur. *Ego verò, mi frater, vehementius doleo periculum in quo te implicitum etiamnum eſſe video, quam omnia vincula & gravamina mea, quæ jam nunc hoc patior & poſtea paſſurus ſum; Ita enim addictum te eſſe video rebus biſce terrenis, ut de coeleſtibus aut nunquam aut perrarò certè cogites; quum tamen ego contra tantopere ad coeleſtia anhelem ac ſuſpirem bona, ut etiam terrena omnia, adde quoque meam ipſius vitam facile contemnam. Sic meo impreſſi animo Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ab eo me ſeparare poſſit nemo.*

Nihil itaque agis, mi frater, niſi contingat, ut in rabiem aut inſaniam aliquam incidam, aut ultrò me ipſum in extremam præcipitem deſperationem.

Tandem, in publicam urbis Romæ planitiem, ante caſtrum S. Angeli deductus, inſpectantibus Papa & Cardinalibus quibusdam ejus ſatellitibus, poſt brevem Papæ correptionem, quod is ſe pro Chriſti vicario haberi vellet, animam Deo reddidit, ſuſpenſus, jugulatus, & in ignem conjectus. d. 9. Sept. 1560.

§. LXIX. Sed, quoniam piorum Italiæ Martyrum facta eſt mentio, non poteſt ſine inſigni piaculo reticeri, *Petrus* CARNESECA, Vir præclari nominis, quique Evangelii

doctrinam ſanguine ſuo teſtatam facere debuit; Atque, ejus tanto lubentius refricamus memoriam, quod in *Martyrologiis Proteſtantium* ejus nulla plane facta eſt mentio, niſi quod *Joachimus* tamen CAMERARIUS, ſingulari quodam edito libello *a*) & *Marci Antonii Flaminii* & *Petri Carneſecæ*, elogium, adornaverit, horumque virorum eximiorum memoriam ab interitu vindicaverit, qui libellus tamen cum albo corvo eſſet rarior, *b*) egregie fecit Celeb. SCHELHORNIUS, *c*) ille ſugientium Muſarum apud Suevos ſuos ſtator, quod utriusque hujus Elogium, ex Camerarii libello excerpere, ſuisque *Amoenitatibus literariis* inſerere voluerit;

Neque autem Cl. Schelhornius, *Carneſecæ elogium* tantummodo ex Camerario excerpere, verum etiam poſtmodum ſingulari induſtria *de Ejus Martyrio d*) commentari, atque omnem hanc cauſam plenius enarrare, ſicque ſanctiſſimos ejus cineres veluti Ἀναζωπυρεῖν, non neglexit, nobisque adeò in hujus Viri Memoria reſtauranda, materiam ſuppeditavit ac præbuit exemplum.

Fuit autem *Petrus Carneſeca*, Florentinus patria, gente patricius, *e*) educatus inſtitutusque liberaliſſime; Uſus aliquando præceptore *Francisco Robortello*, qui poſtea doctrinam

a) Titulus libri eſt. *Epiſtolæ aliquot M. A. Flaminii . . . . . nec non narrationes de Flaminio & aliis quibusdam, cognitione bonarum & optimarum diſciplinarum ac artium & pietatis ſtudioſorum non indignæ*, editæ à *Joach.* CAMERARIO Norib. 1571. 8.

b) Vid. VOGT. catal. libr. rar. p. 280. BUNEMAN. p. 115. *Bibliot. Brem.* T. VII. p. 582 ſq.

c) Vid. SCHELH. Amoenit. literar. Tom. X. p. 1148. & pag. 1198. cum in priori loco *Flaminii*, in poſteriori *Carneſecæ* noſtri, legatur Eloquium.

d) Vid. SCHELHORN. Amoenit. Hiſtorico-Eccleſ. Tom. II. pag. 180 & ſq.

e) Vid. CAMERAR. in Elogio Carneſec. loc. cit. apud SCHELHORN. Amoenit. lit. T. X. p. 1200.

Digitized by Google

nam Græcarum Latinarumque literarum publice eſt profeſſus, primum *Luccæ*, deinde *Venetiis*, mox *Bononiæ*, & tandem *Patavii*.

Inſtigabatur adoleſcentia ejus cupiditate rerum magnarum, unde & Principum & virorum illuſtrium ſibi notitiam appetebat ac familiaritatem, veluti quod arctiſſima cum *Mediceis* neceſſitudine fuerit conjunctus, & diu *Margaritæ*, *Sabaudiæ Ducis uxoris*, familiaris fuerit, obſervat THUANUS: *a*) Quid? quod Clemens VII. Pontifex Ro. eum ſibi à ſecretis elegerit, quo munere *b*) tanta cum doctrina, fide & induſtria functus perhibetur, ut non ſolum, in Pontificis gratia ſummum teneret locum, quippe qui non ſemel etiam, Cardinalatus honorem ei obtuliſſe dicitur, ſed etiam, ut rumor fere divulgaretur; *Pontificatum illius temporis magis à Petro Carneſeca geri, quam à Clemente.*

Enimverò, deinceps *Venetiis* atque *Patavii*, quod magnam vitæ partem conſumſerit, refertur, *c*) conſuetudine utens,

a) THUANUS Hiſtoriar. lib. XXXIX. ad ann. 1566. p. 483.

b) Videtur hujus muneris gratia ſub titulo *Protonotarii* notus fuiſſe, quod ex Epiſtola *Flaminii*, ad ipſum data, apud SCHELHORN. Am. Hiſt. Eccl. T. II. p. 146. colligimus.

c) *Jacobus de* LADERCHIO Annalium Baronii continuator in Annal. Tom. XXII. ad ann. 1567. fol. 325 ſq *primò* refert Carneſecam, A. 1540. Neapoli, *Johannis Valdeſii*, *Marci Ant. Flaminii* & *Bern. Ochini* fuiſſe diſcipulum & *P. Martyris*, itemque *Gal. Caraccioli* familiarem, *porrò*, eum ſequenti anno 1541. amicitiam coluiſſe *Viterbii* cum *Flaminio*, cum *Victore Soranzio* Bergomenſi Epiſcopo, *Apollonio Merenda*, *Aloyſio Priolo*, *P. P. Vergerio*, *Lactantiò Ragnone*, Senenſi, Bernardini Ochini alumno ac ſequaci; *Valdeſianis*, *nimirum* (uti loquitur) *Lutheranis*, *Zwinglianis*, *Calviniſtis hæreticis*, *& inſuper cum Baltaſare Altierio apoſtata*, *Lutherano*, *qui cum hæreticis ac Proteſtantibus Germaniæ Principibus commercium habebat*, *ac librorum hæreticorum monopolium exercebat. Deinde*, addit, quod per

qua mirificè delectabatur, virorum eruditionis gloria celebrium, quibus omni tempore, non ædes ejus ſolummodo, verum etiam menſa, quod in re lautiori eſſet conſtitutus, patebant; Præ ceteris autem amplexabatur bonos & pios viros, cum quibus de ſacrarum literarum lectione & intelligentia diſſerere conferreque accuratè ſolebat. Multum etiam pecuniæ in pauperes erogabat, & in eos qui ob religionem patria exire cogebantur.

Hanc tandem malevoli occaſionem nacti, coram Pontifice Paulo III. eum tanquam hæreticum accuſarunt, ſicque crimen ei intentabant pro eorum temporum calamitate atrociſſimum: Sed, Pontifex minimè crudelis & ſævus, atque hac in parte diſſimilis plerorumque, qui ei ſucceſſerunt, eum auditum & abſolutum *a*) clementer dimittit.

Interea verò, qui Paulum III. inſequebatur Paulus IV. altera vice Carneſecam, ut Romæ cauſam dicat, accerſit; Hic tamen, quod ejus crudelitatem atque in quæſtionibus fidei exercendis ſeveritatem extimeſceret, eò venire recuſat, ſicque ceu contumax excommunicatur: A. 1559. Tametſi ne ſic quidem, à ſtudio ſuo ac benevola in Evangelii Confeſſionem & Confeſſores *b*) mente remitteret; Qua in re tanto etiam confidentior progrediebatur, quod Pius IV. qui Paulo ſucceſſerat

literas cum *Julia Gonzaga* habuerit commercium, eique miniſtros hæreticos & Pſeudapoſtolos commendaverit, quodque beneficia Eccleſiaſtica erogaverit in hæreticos, qui in Vltramontanas regiones, hæreſis cauſa, fugam eſſent meditati &c. &c.

a) LADERCHIUS ſcribit, eum A. 1546. Romam fuiſſe accerſitum, atque à Cardinali de Burgos tum Inquiſitore, examini ſubjectum, facinora denegaſſe, ſicque abſolutionem impetraſſe, eumque abinde in Galliam ſeceſſiſſe, ſed A. 1552. in Italiam reverſum, *Patavii* ac *Venetiis* cumprimis verſatum eſſe, ibique antiquam cum hæreticis familiaritatem recoluiſſe &c. ap. SCHELH. Am. Hiſt. Eccl. T. II. p. 189.

b) Conf. LADERCH. loc. cit. p. 190. 191.

Digitized by Google

ferat, ipſi omni modo favere videretur, eumque non ſolum judicii ſententia declarabat innocentem, ſed & diplomate Pontificio *a*) exornabat, ac ad Abbatiam ſuam in Regno Neapolitano obeundam, liberum concedebat aditum.

Quæ tamen halcyonia, ita non erant diuturna, ut quoque gravior haud ita multo poſt immineret tempeſtas, ſuccedente enim in Pii IV. 1565. defuncti locum, Cardinale *Mich. Ghislerio* Monacho quondam Dominicano, ſub nomine PII V. denuo in Inquiſitionem vocabatur Carneſeca, eo cum triſtiſſimo eventu, ut repetitis prioribus in eum projectis criminibus, damnaretur ad ignem, quando caput viri pientiſſimi cervicibus abſciſſum & corpus igne crematum fuit.

Erat enim is, per antiphraſin veluti PIUS., qui, per integrum illud, quod fuit, ſexennium, quoscunque Evangelicis vel minimum favere ſuſpicabatur, ad dira ſupplicia inexorabilis rapiebat, quique THUANO *b*) aliisque teſtibus, *Nicolaum Francum* ad furcam, *Julium* vero *Zoannetum*, *Petrum Carneſecam* & *Antonium Palearium*, quod Inquiſitionem nominaverant *ſicam in literatos diſtrictam*, ad ignem damnabat.

Atque, eſt planè notabilis capturæ Carneſecæ noſtri modus, quem ita nobis idem *c*) refert THUANUS: „ Initio „ ſtatim Pontificatus, magna ſeveritatis exempla edidit, præ„ cipuè in cauſa Religionis, conquiſitis paſſim per Italiam „ criminis hujus ſuſpectis. . . . . Magiſtrum Palatii Florentiam

a) Conf. LADERCH. l. c. p. 193. 194. qui deinde addit: *Hoc tamen beneficio nihil melior effectus, nec ab hæreticorum conſuetudine, Romæ, Neapoli, Florentiæ, Venetiis, Patavii, aliisque in locis, tam Italiæ, quam extra abſtinuit: nec eis pecunia ſubveniendi officium prætermiſit &c.*

b) THUAN. Lib. XXXIX. cap. II. pag. 483.

c) THUAN. l. c. Conf. LADERCH. apud SCHELHORN. l. c. qui menſe Septembri 1567. ſupplicium illud peractum fuiſſe obſervat.

Digitized by Google

„ tiam misit, qui *Petrum Carnesechium*, arctissima cum „ Mediceis necessitudine conjunctum, & diu Margaritæ Sa„ baudiæ Ducis Uxoris familiarem, dedi postularet. Is verò „ cum Pontificis literas Cosmo porrexit, Petrum Cosmæ ip„ sius mensæ assidentem invenit. Verum Cosmus, qui gra„ tiam Pontificis obvio obsequió, & quavis alia ratione de„ mereri in animum induxisset, neglecto amici periculo, eum „ sine ulla cunctatione tradidit, qui Romam perductus, ac„ cusante eum Achille Statio, Lusitano, homine non illite„ rato, sed prostitutæ fidei, qui Carnesechio ab epistolis fue„ rat, convictusque, quod cum Sectariis in Germania & in „ Italia cum *Victoria Columna*, Marchionis Piscarii vidua, „ & *Julia Gonzaga*, lectissimis foeminis, de pravitate se„ ctaria suspectis, amicitiam coluisset, tandem ad ignem dam„ natus est.

§. LXX. Sed, non minus notabiles sunt Articuli, propter quos ab Inquisitoribus Cardinalibus ad ignem condemnatus est, quosque nobis conservavit LADERCHIUS, *a*) in iisdem *Annalium libris*, atque ita se habent.

1. Justificatio per solam fidem obtinetur.

2. Gratiæ & salutis certitudo habetur.

3. Opera nostra minime sunt necessaria ad salutem, quam fides impetrat; necessario tamen, homo justificatus, quotiescunque occasio fert, vel ei vacat, operatur.

4. Præfata bona opera, ad vitam æternam assequendam meritoria non sunt, licet post universalem resurrectionem, potiorem gloriæ gradum obtentura sint.

5. Peccatum mortale, non est, jejuniorum transgressió, dum modo ex contemtu non sit, eademque jejunia ad mortificationem tantum utilia sunt.

6. Liberum arbitrium ex natura ad malum habemus, & ante gratiam ad solum peccatum.

7. Impossibilem esse præceptorum Decalogi, ac præcipuè duo-

a) Vid. LADERCH. ap. SCHELHORN. l. c. p. 197-205.

duorum priorum, & ultimi: *Non concupiſces*, obſervantiam, absque efficaciſſima Dei gratia & absque magna Fidei & Spiritus abundantia, quæ tamen in paucis invenitur, & hujusmodi in mediocri quoque Chriſtiano non eſt, ſed perfectorum duntaxat eſt, cujusmodi ſancti Martyres, ac Eccleſiæ Doctores fuerunt.

8. Nulli credendum, niſi Dei Verbo in Sacris Scripturis tradito.

9. Non omnia Concilia Generalia in Spiritu ſancto congregata ſunt, ideoque non illorum omnium decretis acquieſcendum eſt. *a*)

10. Circa ſacramentorum numerum, anceps fuit, atque Ordinem, appellabat Impoſitionem manuum, præter quem duo tantum ſtatuebat Sacramenta, Baptismum videlicet & Cœnam.

11. Confirmatio ipſi erat, non niſi promiſſionum in Baptismo factarum ratificatio, quæ, an à Chriſto, an ab Eccleſia, eſſet inſtituta, dubitabat.

12. Confeſſionem ſacramentalem, non eſſe de Jure divino, nec à Chriſto inſtitutam, nec in verbo fundatam, nec neceſſariam, niſi quæ Deo fit: Ideoque Chriſtiano, in ſacramentali confeſſione, peccata aperire, vel non aperire, liberum eſſe; Licet confeſſionem hujusmodi, utilem, ac conſolatoriam, ei, qui confiteretur, quoad ſolatium, quod ex abſolutione ſumit, & quoad conſilia & remedia, quæ inde accipit, ediceret.

13. Satisfactio, quæ in operibus ſatisfactoriis conſiſtit, à Sacerdotibus, poenitentibus injunctis, neceſſaria non eſt, poſito quod Chriſti merita ſuppleant, quæ ſufficientiſſima ad ſatisfaciendum pro totius mundi peccatis ſunt. Hujusmodi tamen opera, ad edomandam carnem, purificandumque ſpiritum, bona ſunt.

a) Addit, Carneſecam, *ambigiſſe ad quos poteſtas pertineret Concilia cogendi, an videlicet, ad Imperatorem, an vero, ad Papam, vel, ad alios.*

Digitized by Google

14. Indulgentiæ, nulli S. Scripturæ teſtimonio innituntur. Inventum Paparum eſt, neque, niſi ſolis viventibus, proſunt, quoad videlicet, poenitentiam, ipſis, vel à Pontifice vel à Sacerdotibus aliis impoſitam.

15. De Purgatorio vehementer, dubitavit, imo, poſt vitæ præſentis curſum, nec in rerum natura eſſe credidit, & Chriſti ſanguinem, peccatorum noſtrorum purgatorium extitiſſe, aſſeruit. *a*)

16. Secundum Maccabæorum librum, in quo diſertè de mortuorum ſuffragiis agitur, Apocryphum cenſuit.

17. In S. Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam panis remanere credidit, ita tamen, ut ibi etiam corporis Chriſti præſentia, absque tranſſubſtantiatione exiſteret, *juxta nimirum* (hæc ſunt Laderchii verba) *Lutheri hæreſin, cui ab anno* 1543. *adhæſerat b*) *licet aliquando ei quoque altera Calvini hæreſis arriſerit, de qua cum pluribus & coram & per literas egit.*

18. Satius eſſe duxit, quam ſi ſub una, ſub utraque ſpecie, laici communicarent.

19. Miſſæ ſacrificium non eſſe verè propitiatorium dixit, niſi in quantum & Paſſionis Chriſti memoriam excitat & Fidem, per quam remiſſio peccatorum impetratur.

20. Papam eſſe Epiſcoporum primum, non quidem auctoritate, ſed ex quadam tantum præcellentia.

21. Papam, Romæ tantum eſſe Epiſcopum, nec in ceteras Eccleſias habere poteſtatem, niſi quæ ipſi eſſet oblata, vel ex eo quod Roma eſſet Petri ſedes, vel quod ea urbs eſſet ampliſſima, vel quod tot martyrum ſanguine eſſet decorata.

22. Romanos Pontifices ſibi majorem quam à Deo acceperant

a) LADERCHIUS dicit, *pervicaciſſime putavit.*

b) Id verò minus rectè, à Laderchio ſaltem minus accuratè poſitum, facile quis colligere poterit, ex ipſa Carneſecæ Epiſtolarum temporis ad M. A. Flaminium ſcripta, quæ legitur ap. SCHELHORN. l. c. p. 155-180.

Digitized by Google

perant authoritatem arrogaſſe, ac uſurpaſſe, cumprimis in Indulgentiis elargiendis & aliarum Eccleſiarum ſuperioritate.

23. Dubitavit an Rom. Pontificum ſucceſſio ab Apoſtolatu Petri ſit derivanda.

24. Religioſorum & Monachorum nonnullas Inſtitutiones & Regulas, uti Benedicti et ſim, improbavit, quod deſidioſam vitam agerent; Uti & aliquos mendicantium &c. quod pauperibus panem ſubtraherent, quem laborando propriis manibus potius ſibi acquirere deberent.

25. Et, licet Religioſorum illorum, qui in vinea Domini laborabant ac proximorum ſaluti incumbebant, zelum non improbaret, eum tamen non eſſe ſecundum ſcientiam exiſtimavit, quod nimium in concionibus ſuis inculcarent opera.

26. Melius cenſuit, quoad coelibatum, ut Presbyteris uxores reſtituerentur, quam ut adimerentur.

27. Religioſos caſtitatis voto ſe obſtringere, nec debere, nec poſſe; idque abſurdum eſſe, quia caſtitas & continentia ſunt donum Dei; *Unde & Monacho cuidam Benedictino, ut clauſtris egrederetur*, ſuaſerit, referente Laderchio l. c.

28. Eadem de Monialibus ac Virginibus Deo ſacratis ſenſit, ac in genere, de quovis perpetuo caſtitatis voto.

29. Peregrinationes religioſas, ſive voluntarias, ſive ex voto debitas rejecit, ac earum ſuſceptionem generatim omnibus inutilem judicavit.

30. Absque ullo prorſus delectu, omni cibo veſci licere, juxta comedentis conſcientiam docuit; ſuoque exemplo præivit.

31. Peccatum mortale non eſſe transgreſſionem jejunii, temporibus vetitis, iisdemque cibis prohibitis uti, ſed peccatum eſſe majus minusve, prout vel ita ſcandalum excitaretur, vel uniuscujusvis conſcientia vel id excuſaret vel condemnaret.

32. Peccatum non eſſe librorum vetitorum ſive hæreticorum retentionem aut lectionem, quippe cum ea pro uniuscujus-

Digitized by Google

cujusvis conſcientia, ſit opus indifferens, non obſtante Eccleſiæ prohibitione.

33. Sanctorum Invocationem eſſe ſupervacaneam, cum Chriſtus unicus ſit Mediator inter Deum & homines.

34. *Tandem* (ita articulorum horum recenſionem claudit LADERCHIUS) *cunctas hæreſes & errores in libro, de Beneficio Chriſti, contentos ſectatus eſt, falſæque doctrinæ ac inſtitutioni quam à Joh. Valdeſio Præceptore ſuo didicerat adhæſit.* Και ταυτα μεν δη ταυτα.

§. LXXI. Hæc illa erant, quæ hominem pientiſſimum, atque officioſiſſimum, quique per omnem vitam innumeris beneficiis ſibi devinxerat ſuæ ætatis homines, ac cum viris maximis intimam coluerat amicitiam familiaritatemque, ad necem rapuerunt, & luculentum probitatis ejus & innocentiæ, ſed & crudelitatis quæſitorum fidei, præbent exemplum.

Cæterum, inter Latinas Epiſtolas clarorum virorum ſelectas, quæ Coloniæ Agrippinæ 1586. 8. impreſſæ ſunt, pag. 94. unam habemus egregiam à *Cosmo* GHERIO, infelici *a*) Epiſcopo Fanenſi, ad (Carneſecam) protonotarium Apoſtolicum; Ex qua, uti & ex *Jacobi Bonfadii*, *Francisci de la Torre*, & *Pauli Jovii*, Epiſtolis Italicis ad eum datis, luculenter apparet, quantæ exiſtimationis fuerit idem atque auctoritatis. Sed & M. A. MURETUS oden ad eum ſcripſerat, quæ tamen inter ejus poëmata hodie fruſtra quæritur, quod pius Martyr in hæreſeos ſuſpicionem eſſet adductus, quocum nihil commune habere oportebat aulæ Romanæ paraſitos; Ipſe *Muretus* ad Paulum Manutium, *c*) ita ſuam aperit animi

a) SLEIDAN. Lib. XIX. p. m. 594.

b) Equidem nomen non exprimitur: ſed patet & ex titulo, *Protonotarii*, & ex argumento Epiſtolæ & ex collatione editionis Venetæ 1556. 8. p. 66. quod ad *Carneſecam* ſit data. Conf. SCHELHORN. *Ergetzlichk.* Tom. I. p. 209.

c) Vid. MURET. Orat. & Ep. Lib. I. p. m. 442. edit. Thomaſii

Digitized by Google

mi mentem: *Erat ad Petrum* τον ξηροκρεον (*finge aliquod ejusmodi nomen, aut Latinum, aut vernaculum, ita quem dicam intelliges*) *ode, una jam pridem scripta, de qua quid faciam nescio. Nam neque cum homine in eam suspicionem adducto, nisi prius de illius innocentia constiterit, quicquam mihi esse negotii volo: & perire eam, etsi nihili est, nollem. Ad hæc expecto, quid sentias.*

Sed videtur id Mureto dissuasisse MANUTIUS, uti non minus Joh. MANCURTIUS in ultima *Carminum Flaminii* editione, ea, quæ Carnesecæ erant inscripta, reliquis inserere, minime ausus est, *a*) ut maximas Clarissimo SCHELHORNIO debeamus gratias, quod is unum illud atque venustissimum, quodque luculentissimum amicitiæ inter Flaminium & Carnesecam cultæ testimonium præbet, nobis conservare, suisque *Amoenitatibus b*) *literariis* inserere voluerit:

O dulce hospitium! o lares beati!
O mores faciles! o Atticorum
Conditæ sale colloquutiones!
Quam vos ægro animo & laborioso,
Quantis cum lacrymis miser relinquo!
Cur me sæva necessitas abire,
Cur vultum atque oculos, Jocosque suaves
Cogit linquere tam venusti amici?

nasii, qui & annotat, ξηρος *siccus* Ital. *secco*; Κρεας *caro*, atque opinatur *Petrum Carnesecum* indigitari, quem & laudet Thuanus, & cujus mentiò fiat in Epistolis Flaminii à Camerario editis.

a) Extat ea de re singulare ejus monitum; in Editione ultima Patavii 1743. 8. curata p. 275. *se sc. Flaminii carmina ad Carnesecum omisisse, ne hæreseos suspicionem in curreret Flaminius*, qui in re literaria quidem cum ipso coluerit amicitiam, sed in rebus ad religionem spectantibus ab eo prorsus dissenserit.

b) SCHELH. amoenit. liter. T. X. p. 1199. 1200.

Digitized by Google

Ah reges valeant, opesque regum
Et quisquis potuit domos potentum
Anteponere candidi ſodalis
Blandis alloquiis facetiisque,
Sed quanquam procul à tuis ocellis
Jucundiſſime Carneſece abibo,
Regis imperium mei ſequutus,
Non loci tamen ulla temporisve
Intervalla tuos mihi lepores,
Non mors ipſa adimet: manebo tecum,
Tecum ſemper ero, tibique ſemper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite optime, mi venuſte amice!

§. LXXII. Neque verò aliam, quam Carneſeca, fortunam ſub eodem Pio V. Pontifice Ro. ſubiit *Aonius* PALEARIUS, *a*) Vir πολλων ανταξιος αλλων, & ſi quisquam, certè inter *Italos Reformatos* recenſendus.

Erat is ſub initium Seculi XVI. natus Verulis, quæ urbs eſt epiſcopalis Latii, ſive Campaniæ Romanæ, in Herniciis ad Coſam fluvium ſita, unde ordinario Verulanus dicitur; Parentes ejus fuerunt Matthæus Palearius & Clara Janarilla, quos tamen adoleſcens jam amiſit.

Ceterum, abſolutis literarum ac philoſophiæ ſtudiis, quem in finem omnem fere Italiam diſcendi cauſa peragraverat, cum primis *Senas*, florentiſſimam urbem fortunarum ſuarum ſedem elegit, ibique annos 34. natus uxorem duxit, ex qua quatuor ſuſcepit liberos.

Apud Senenſes quoque Latinarum & Græcarum literarum Doctor publicus eſt declaratus, quam ſtationem, quod, magna nominis ſui fama & ſtudioſorum juvenum celebritate, obiverit, ex-

a) Nativum ejus nomen erat *Anton de gli Pagliaricci* vid. SCHELHORN. in diſſ. de *Mimo Celſo Senenſi*, pag. 24.
b) vid. PALEAR Epiſt. l. II. Ep. 7. & HALBAU. in Vita Palear. p. 21. 22.

Digitized by Google

exploratum est, licet etiam laudis comitem, ut fieri solet, haberet invidiam, atque in multorum odium & invidiam incideret: Quas tamen omnes molestias, per integrum & quod supereſt decennium (neque enim quot annos ibidem docuerit satis constat) ita devoravit, ut deinde à Senatu Populoque Luccensi invitaretur ad munus Interpretis atque Oratoris publici, uti quamplurimæ Orationes ejus apud Luccenses sunt habitæ; illic per quinquennium cum commoratus esset, ad stationem *Mediolanensem* quod fuerit accersitus, atque ad munus interpretandi Latinos & Græcos auctores, constat, quod munus quanquam summa fide & diligentia pari tueretur, maximamque ex eo caperet voluptatem, quod successu non careret labor impensus, quum floreret nobilitate discipulorum, qui latine & græce scribere possent, tamen non ultra sexennium ipsi licuit administrare;

Tum enim, sub crudeli PII V. Pontificis Ro. pontificatu ob religionis causam in vincula conjectus, Romam abductus ibique capitis damnatus est.

Causas tantæ crudelitatis in virum immortalitate dignum, ac plurimorum virorum doctorum amicum ac familiarem, inter quos *Sadoletum*, *Sfondratum*, *Philonardum*, *Mapheum*, Cardinales, *Lampridium*, *Flaminium*, *Alciatum*, *Victorium*, *Riccium*, *Campanum*, aliosque, connumerare licet *a*), exercitæ, si quis nosse velit, eas edocebit LADERCHIUS, eo quem non ita multo post citabimus loco.

Et, primò quidem notari debet, Palearium jam, apud Senenses cum esset, in adversariorum salebras incidisse, cum pro *Antonio Bellante*, Petrini filio, coram Judicibus Reip. Senensis, contra adversarios feroces atque improbos causam diceret *b*), eumque ex præsente periculo subduceret: Quæ Ora-

a) HALBAUER Vita Palear. §. IX. p. 30.
b) Testatur id ipse PALEAR. in Oratione pro se ipso, l. c. pag. 85.

Digitized by Google

Oratio, ſecundum locum occupat inter reliquas ejus elegantiſſimas orationes.

Sed &, diverſatus adhuc Senis, aureolum libellum *de meritis mortis Chriſti*, Tuſce ſcripſit, *a*) qui Papæ ſatellites in eum armavit, cujus ipſe teſtis eſt PALEARIUS in Oratione *pro ſe ipſo ad Patres conſcriptos Reip. Senenſis* habita, ubi inter alia, ita: „ Ex Chriſti morte, quanta commoda „ allata ſint humano generi, cum hoc ipſo anno Thuſce „ ſcripſiſſem &c. &c. Quam pericopam *b*) ita tandem claudit: „ Quæ pœna (ſcil. ignis) ſi mihi ſubeunda eſt pro teſtimonio dicto, quod teſtimonium illud exiſtimari volo potius, quam libellum, nihil eſt me beatius, P. C. neque „ enim puto Chriſtianum eſſe, hoc tempore in lectulo mori; „ parum eſt accuſari, & deduci in carcerem: virgis cædi, „ reſte ſuſpendi, inſui in culleum, feris objici: ad ignem „ torreri nos decet, ſi his ſuppliciis veritas in lucem eſt proferenda. *c*)

Accedebat illa eadem Oratio, quam *pro ſe ipſo* habuit itidem *ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Senenſis d*,) quippe in qua crabrones irritare, quod proverbio dicitur, credebatur, atque in qua, non obſcurè *e*), inquiſitionem vocat *ſicam diſtrictam in literatos*, atque etiam laudat *Bernardinum Ocellum*, eum laudando ab abſtinentia ſingulari ac admirabili, ſed, *qui*, *iis diebus accuſatus*, *quod Proceres Senenſes*

a) SCHELHORN. de Mino Celſo Senenſi p. 24. 25. & Ej. Amoen. Hiſt. Eccl. T. I. p. 155. ſq. Eſt is liber ille, qui ſub tit. *Il beneficio di Chriſto* prodiit, quique jam 1549. à *Jo. Caſa* in Indice omnium primo inter prohibitos & hæreticos relatus eſt. Hunc tametſi in Gallicam & Hiſpanicam linguam translatus ſit, tamen nullibi fere hodiè inveniri teſtatur. Cl. SCHELHORNIUS in Ergetzlichk. P. V. pag. 27.

b) Conf. §. XLVI. pag. 83. & 84.

c) Vid. PALEAR. Opp. l. c. p. 101. 102.

d) Vid. PALEAR. Opera p. 81--109.

e) l. c. p. 102.

Digitized by Google

menſes non valde erectos videret ad ſe defendendum & ſuſtentandum, de fuga conſilium ceperit: Quando præterea addit ſequentia:

„ Nunc civis veſter Italia omni (quod magno cum dolore „ dico) expulſus & ejectus, in remotiſſimis ab Hetruria no„ ſtra locis vagatur ſolus & peregrinus. Quæ littora, quæ „ ſylvæ, quæ oppida fortunata non ſunt, quæ ille adtigerit; „ quos homines fore putatis eos, apud quos ille diutiſſime „ commorabitur? qui fructum capere poterunt ex conſuetu„ dine viri, excellenti ingenio & ſumma animi humanitate „ temperati. . . . . Fatis fortaſſe volentibus (utinam id „ eveniat, quod ego auguror) in eas oras profectus eſt, quæ „ diſcerptæ, divulſæ, conquaſſatæ ſunt, varietate opinionum, „ ut, qui à Chriſtiana regula aberrarunt, redeant jam in viam, „ & veritas, locum, in quo conquieſcat, tandem reperiat.

Et quanquam ejus *Actio in Pontifices Romanos & eorum aſſeclas a)* ſancta fruge refertiſſima, luculentum præbeat fidei doctrinæque ejus teſtimonium, tamen quod ea unquam, dum adhuc in vivis erat Palearius, fuerit publicata, non conſtat, cum omnium primò, *Senis* ſit inventa 1596. ipſius auctoris manu eleganter exarata, poſtquam fere 50. annis, illæſa tamen, quæ divina fuit providentia, delituerat; Ut ob eam ſaltem, in jus vocari, aut hæreſeos actio ipſi impingi, non potuerit, licet alioquin, fortiter & libere ſcriptam contineat Defenſionem *b)* divinioris doctrinæ à Reformatoribus noſtris in lucem reductæ, atque à ſcoriis Pontificiis repurgatæ, ac memorabile nobis ſiſtat Evangelicæ Veritatis ab ipſo agnitæ ac profeſſæ Teſtimonium.

Denique, nec Palearii Epiſtola ad *Lutherum*, *Calvinum*, aliosque, *de Concilio Tridentino* ſcripta, ejus accelerare potuit martyrium, quippe quæ, prouti in lucem protracta eſt

a) Vid. PALEAR. Opuſc. l. c. p. 225. & ſq.
b) Conf. SCHELHORN. Amoenit. Hiſt. Eccl. T. I. p. 428.

Digitized by Google

ante aliquot annos à Doctiſſ. SCHELHORNIO, *a*) ne quidem in titulo ejus nomen præ ſe fert, niſi quod *Servum Jeſu Chriſti* ſe nuncupet, quanquam quod ea Palearium habeat auctorem, nullum ſit dubium.

§. LXXIII. Quod illas igitur adtinet rationes, quas Pontifex & Inquiſitores præ ſe tulerunt, feralis illius in eum exerciti ſupplicii, quo d. 5 Oct. 1568. infelici arbore ſuſpenſus *b*) & flammis rogalibus exuſtus eſt, eas LADERCHIUS, *c*) ceu præcipua accuſationis capita, quæ illum hæreticum omnique animadverſione plectendum perhibeant, ita nobis refert:

1. Negabat eſſe ac reperiri Purgatorium.
2. Morem improbabat, mortuos in Eccleſiis ſepeliendi, alioque, hujusmodi mortuorum foetorem rejiciendum, antiquorum Romanorum more, qui mortuos extra urbem ſepelire conſueverunt, affirmabat.
3. Contemnebat, maleque ſentiebat de ſtatu, & habitu Monachorum, eos comparando Sacerdotibus Martis, qui ferebant ancilia per urbem, canentes & tripudiantes; & Sacerdotibus Cybelis abſciſſis & velut funatis colla contorquentibus & Magis Gallorum; eosque ex vario habitu religioſo irridebat.
4. Videbatur attribuere juſtificationem ſoli fiduciæ in divina miſericordia, remittente peccata per Chriſtum.

Hæc igitur illa erant, quæ, dictante Pontifice Ro. ac hæreticæ

a) SCHELHORN. in Amoenit. Hiſt. Eccl. Tom. I. p. 425–462.

b) Id enim ejus fuit ſupplicium, in quod inſulſe quidem ſed acerbe tamen luſit Latinus LATINIUS in *Menagian.* T. I. p. 217. epigrammate, quo ob nomen *Antonii* in *Aonii* commutatum, ac literam T. crucem deſignantem, ex illo ejectam, eum perſtringit. Conf. SCHELH. l. c. p. 438.

c) Vid. *Jac. de* LADERCHIO in Annalib. Eccleſ. T. XXIII. p. 202. ſq.

Digitized by Google

tiæ pravitatis Inquisitoribus Italis, flammis ultricibus erant expianda! Quæ dum legimus, animus meminisse horret luctuque refugit. *a*)

§. LXXIV. Atque hæc ita se habent; Neque verò in citeriora jam nos immittimus tempora, licet non defuerit in secuturis annis ingens satis numerus, variis in Italiæ angulis delitescens, qui minus magisve apertè, prouti res ferebat, suam à Romanis sacris alienationem, & cum Reformatorum doctrina consensum prodiderunt, ac sua laude minime privandi sunt.

Sunt enim hæc, in tanta subsidiorum penuria, altioris indaginis & longioris anhelitus, quam ut à me in ætate hac provecta, & quidem per horas tantummodo successivas, prolixius explicari potuerint; Inprimis, cum, me casu magis, quam præmeditato consilio, in harum rerum recensionem veluti prolapsum esse, non diffitear, ipseque, quod probè sciunt amici mei, ante hos paucos annos, non nisi tentamen quoddam susceperim, ac specimen solum fuerim meditatus, non verò, Opus aut Tractatum integrum, tametsi varia abinde mihi se obtulerint Monumenta ad hanc causam facientia.

Nisi, quod unicam adhuc tamen, non tam fimbriam, quam latum clavum, vel quocumque modo appellare velimus, huic texturæ intertexendam purpuram, vel saltem adtexendam, habeam, quæ eam instar novi cujusdam fulgoris, ut opinor, exornet, eamque late faciat explendescentem, cujus saltem meminisse, forte neminem poenitebit.

Sunt namque, præclaræ quædam ac illustrissimo loco natæ *b*) sicque primæ inter Italos nobilitatis MATRONÆ, quæ & eru-

a) SCHELHORN. l. c. p. 443.

b) De His cerè J. SIMLERUS in Vita P. Martyris in *Scrin. Antiq.* T. III. P. I. p. 14. *Fuit eo tempore* (cum Martyr Neapoli versaretur) *non spernenda ecclesia piorum hominum in urbe Neapolitana, nam in illo coetu multi erant Viri nobiles*

ditionis laude eodem illo ſeculo floruerunt, & religionis pietatisque per Reformationem feliciter reſtitutæ ac amplius reſtituendæ ſtudio fuerunt inclytæ, quas verbo ſaltem recenſere, earumque Memoriam refricare, volupe erit.

§. LXXV. Inter eas I. ante omnia nomen habet *Iſabella* MANRICHA *Breſegnia*, illuſtris illa ac religioſa foemina, quam inſigni dedicatione celebravit *Coel. Secundus* CURIO, quæ præmiſſa legitur primæ Opusculorum *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, editioni, quæ Baſileæ apud Petrum Pernam prodiit A. 1558. 8.

Enimverò, idem ille Curio, alteram quandam non minus celebrem nobis refert Matronam. II. *Hippolytam* TAURELLAM, Mantuanam, cujus Epiſtola ad maritum ſuum, *Balthaſarem Caſtilionem*, apud Leonem X. P. R. Oratorem, ordinariò adſuitur editionibus Olympiæ ejusdem, quam modo commemorabamus; quanquam non deſint, qui, cum *Jano Broeckhuſio* ad Propert. IV. 3. putent, *non Taurellam*, ſed ipſum *Caſtilionem* Uxoris nomine hanc Epiſtolam effinxiſſe, quod jam non moramur, uti quoque, num ea doctrinæ Evangelicæ fuerit addicta, vix affirmare nobis licet, quippe quæ & A. 1525. jam fato ſuo functa eſt.

Sed, inter reliquas nativitate Italas, & Reformatæ doctrinæ Fautrices, longum eminuit HH. ANNA Ateſtina, *Renatæ Ferrarienſis* filia, de qua, in ipſo opere jam verbo quædam monuimus §. XVIII. pag. 29. 30.

Et, quam refricare fas non erat, IV. OLYMPIA FULVIA *Morata*, docta illa & præclara, piaque fœmina, quam his verbis nobis ad A. 1555. delineat THUANUS *a*): „ Hoc „ eodem

biles & docti, multæ etiam excellenti virtute foeminæ; Inter quas, ut alias illuſtres & verè heroinas omittam, ſilentio tamen præterire non debeo, nobiliſſimam heroinam Iſabellam Manrichaam, quæ nunc Chriſti nomine à patria exulat. Conf. SCHELHORN. Amoenit. Hiſt. Eccl. T. II. p. 107.

a) Præter ea quæ NOLTENIUS de ea collegit conferri debent *Franc.* MODIUS in Epiſt. ad Annam Pallantiam, in Novantiquis Lectionibus pag. 49 ſq. & SCHELHORN. l. c. p. 649.

Digitized by Google

„ eodem anno, immatura morte erepta est, *Olympia Ful-*
„ *via Morata*, Ferrarienſis, morum ſanctimonia, ingenio
„ & eruditione cum quavis priſci ævi, comparanda fœmina.
„ Huic parens fuit Fulvius Peregrinus Moratus Mantuanus
„ homo doctus, qui filiam in literis inſtituit, in quibus tan-
„ tum profecit, uſa etiam Chiliano Sinapio præceptore,
„ ut Græcè & Latine ſcribere eleganter, & verſus utraque
„ lingua pangere, didicerit, dein in Renatæ Herculis II.
„ Ferrarienſis Uxoris familia cum Proteſtantium doctrinam
„ hauſiſſet: ubi & in comitatu atque adeo amicitia *Annæ*
„ Ateſtinæ, quæ poſtea Franciſco Lotharingo Guiſæ Duci
„ nupſit, principem locum tenuit, totam ſe Theologicis
„ ſtudiis mancipavit. Poſtremo, ob religionem, natale ſolum
„ vertere coacta, cum Æmilio fratre in Germaniam venit
„ . . . . . Hujus Miſcellanea collegit & publicavit *Coelius*
„ *Secundus Curio*, ob religionem & ipſe Italia profugus,
„ quæ fœminæ omni laude digniſſimæ mores & raram editi-
„ onem exprimunt, &, quid à tam excellenti ingenio expe-
„ ctari potuiſſet, niſi præmaturè adeo in vivis eſſe deſiiſſet,
„ clare oſtendunt.

Eſt, quoque præ reliquis inter Matronas Italas Reformationi faventes, celebratiſſima, V. VICTORIA COLUMNA, conjux Ferdinandi Davali Marchionis *Piscarienſis*, fœmina laudatiſſima; Atque, uti inter Epiſtolas *Reginaldi* POLI, ab Illuſtri Quirinio editas Tom. III. n. XLVI. p. 77--80. notabilis quædam ad eam legitur Epiſtola, ita Cl. SCHELHORNIUS in Amoen. H. E. T. II. p. 133. eam nobis ex Paulo *Jovio*, *J. A. Thuano*, aliisque, ita delineat, ut quam cumprimis doctrinæ coeleſtis ac pietatis fuerit ſtudioſiſſima, pelluceat, unde non mirum, quod THUANUS *a*) referat, illam *in pravitatis ſectariæ ſuſpicionem incidiſſe*. *Jac.* autem *Wilh.* IMHOFIUS in corpore hiſtoriæ genealogicæ Italiæ & Hiſpaniæ

a) THUAN. ad ann. 1566. Hiſtor. lib. XXXIX. n. 11. fol. 483.

Digitized by Google

fol. 151. hæc de illa habet: *Victoria Columna post mortem mariti, quanquam integra ætate esset, perpetuam sibi indixit viduitatem, quodque vitæ supererat, sacris literis & coelesti summo bono meditando dicavit. Hetruſco-carmine nulli post Petrarcham secunda; varia poëmata edidit, quibus mariti præmaturum obitum deflevit, ac mortalium rerum amorem irridens coelestium bonorum desiderium expressit;* Ceterum, quod ea Flaminium habuerit amicum & laudatorem, colligitur ex Hujus carminibus L. I. p. 36. L. V. p. 113. & 146.

Sed & fuit VI. LAVINIA RUVERENSIS *Ursina*, ſingularis *Olympiæ Moratæ* amica pariter ac patrona, quam ea ita deſcribit in Epiſtola ad Coel. S. Curionem *a*) *Lavinia Ruverenſis, Camilli Urſini nurus, qua ego nullam doctiorem in Italia novi, & quod omnium maximum eſt, pia eſt.* Uti ejusdem quædam extant ad Olympiam literæ, hujusque vicissim ad illam, in ſignum mutuæ inter eas cultæ amicitiæ.

Imò verò etiam, VII. *Theodoram*, ſive, *Theodorinam* hic merito commemoramus, principem quandam foeminam, ad quam M. A. *Flaminii* quædam extat Epiſtola Neapoli 1542. d. 12 Febr. data: *b*) Ipſa vero hæc *Theodora*, in aliis editionibus Ludovici Dulcis & Pauli Manutii, dicitur THEODORINA SAULI; Fuit enim ex ſtirpe *Saulinorum* apud Genuenſes celebratiſſima, uti inter Flaminii carmina, leguntur varia ad *Dominicum*, *Hieronymum*, *Julium*, *Stephanumque*, SAULINOS, ſcripta, notante Cl. SCHELHORNIO. *c*)

Commemoranda autem hic, quod prius jam fieri debuerat, quoque nobis eſt VIII. JULIA GONZAGA, quæ forte minus cognita eſſet, in Italia ſaltem Reformata, niſi THUANUS eam recenſuiſſet, inter *lectiſſimas foeminas de pravitate ſectaria*

a) OLYMP. Ep. Lib. I. p. m. 116.
b) Apud SCHELHORN. loc. cit. p. 115.
c) SCHELHORN. l. c. p. 122.

Digitized by Google

ctaria ſuſpectas, &, niſi Joh. VALDESIUS Nobilis ille Hiſpanus, ac Fidei inter Neapolitanos paraſtata, eam dedicatione duorum librorum Verſionis Hiſpanicæ & *commentarii in Pſalmos*, itemque, *in Epiſtolam ad Romanos a*) feciſſet celebrem. Fuit ea *Duciſſa de Trajecti* & *Comitiſſa Fondi* (quod eſt oppidum ad Calabriæ limites, Epiſcopatum habens & Comitatus privilegia, poſtmodum in Ducatum evectum) ac nupta quondam *Veſpaſiano Columnæ*, diciturque tanta formæ pulcritudine ceteras ſuæ ætatis antecelluiſſe, ut pro pulcerrima totius Italiæ haberetur, ipſeque Turcarum Imperator Solimannus ejus amore incenſus, ſummum claſſis piraticæ præfectum Hariadenum Barbaroſſam in mandatis dederit, ad eam ſibi capiendam; qui equidem, nocturna invaſione oppidum Fondi occupare, ſed incaſſum, cum Julia *b*) non ſine vitæ periculo, capturæ periculum evaſiſſet, quando illa abinde ad vitæ finem, non caſtitatis ſolum exactiſſimæ, *c*), ſed & eruditionis ſingularis ac pietatis eximiæ, famam illibatè conſervavit, ſicque fautrix & promotrix extitit eorum, qui doctrinæ Reformationem urgebant, quod ex iis, quæ jam in hoc Opere alicubi annotavimus, colluceſcit.

TANTUM.

a) Conf. BAUMG. relat. de libr. rar. T. II. p. 290. ſq.

b) Conf. BRANTOME Vie des dames illuſtres p. 282. apud BAYLE T. II. p. 572. 573.

c) Dicitur ea poſt mariti mortem ſibi *Amaranthum*, florem amoris, in ſymbolum elegiſſe, cum, inſcriptione, *Non moritura*.

SUM-

Digitized by Google

SUMMARIUM
TOTIUS OPERIS.

§. I. *Italiam Reformatam* promiſerunt quidam non exhibuerunt. Quo ſenſu phraſis accipi poſſit. Pontificii hæreticos ita deteſtantur, ut ne quidem nominent. §. II. *P. Allixius* laudatur. *Gundulphus* Veritatis inter Italos teſtis. *Apulia* & *Calabria* Waldenſibus abundabat, quorum caput in regno *Neapolitano* reſidebat. §. III. *Hier. Savonarola* Italiæ Lutherus dictus. *F. Petrarcha* F. P. *Mirandula* & P. Saulus *Fauſtinus* veritatis teſtes, ante Reformationem. §. IV. LUTHERI ſcripta primam anſam dedere Italis, reſipiſcendi à ſordibus ſuperſtitionum. *Frobenii* Ep. ad *Lutherum* laudatur. In *Lutherum* Epigramma. §. V. *Bern. Schenkius* ad *Ge. Spalatinum* A. 1520. de Lutheri apud *Venetos* fama ſcribit. Idem 1521. *Venetorum erga Lutherum* moderationem laudat, & *P. P. Vergerium* Juris ſtudioſum, Spalatino commendat. §. VI. *Campegii* Cardinalis Oratio Noribergæ 1524. habita *Reformatæ doctrinæ in Italia* progreſſum commemorat. Sunt qui *Clementi* VII. ejusque imprudentiæ, id inputent. §. VII. Apud *Florentinos* quoque jam 1525. erant Reformati. *Lutheranorum* nomen tum vulgatum erat, ac non *Lutheri* aſſeclas ſolum ſed & *Helvetios* deſignabat. §. VIII. *Melanchtonis Hypotypoſes* in Italicam linguam tranſlatæ, avidè apud *Venetos* & *Romanos* ſunt lectæ, uti in genere ex monachis *Auguſtinianis* erant qui ſcripta *Lutheri*, *Zwinglii*, *Melanchthonis* legebant. §. IX. Huc faciunt *Lutheri Explicatio Orationis Dominicæ*, & *Catechismus*, Italicè converſi, itemque ſcripta *Buceri;* porro *Calvini* Catech. & *Inſtitutio relig. Chriſt.* in Italicam linguam tranſlati. & Ψευδωνύμως editi. §. X. Inprimis autem Scripta cum V. tum N. T. in *Italicam* linguam tranſlata & edita à *Brucciolo*, *Marmochino*, *Ruſticio*, *Max. Theophilo*. §. XI. Sed & Caroli V. in urbem Romam 1526 & 1527. Expedi-

Digitized by Google

peditio, Reformationis negotio inſerviit. §. XII. Singularis de ea relatio. §. XIII. *Joh. Staphylæi* Oratio memorabilis de Cauſis judiciorum divinorum in urbem Romam. §. XIV. De promotione doctrinæ Reformatæ in aula *Ferrarienſi* 1528. *Renata Galliæ*, ejus erat patrona. §. XV. Ejus in protegenda veritate adverſus hoſtium inſultus conſtantia. *Henrici II.* Regis animus adverſus eam. *Orizius* Inquiſitor, nomine Regis Galliæ, ad *Herculem Ferrarienſem* miſſus ad diſturbanda Renatæ conſilia. §. XVI. *Renatæ* Υπομονη, & reliqua fata. §. XVII. *Calvinus*, *Marottus*, *Jametus*, *Flaminius*, *Palingenius*, *Martyr*, *Fannius*, *Curio*, alii, ejus aulam, ceu perfugium, adibant. §. XVIII. *Anna* Renatæ Filia, Ateſtina, egregia Reformatæ doctrinæ promotrix. §. XIX. *Margareta* Henrici II. Soror & Philiberti Sabaudici Conjux, non minus Evangelium promovebat in *Sabaudia*, inſiſtens veſtigiis *Margaritæ Navarrenæ* Francisci I. Sororis, quæ itidem Lutheranis favebat. §. XX. Uti *Lutheri* & *Melanchtonis*, ita etiam *Zwinglii* ſcripta & labores Evangelio *in Italia* promovendo inſervierunt. Huc facit teſtimonium *Ægidii à Porta* notabile. §. XXI. Itemque *Balthaſaris Fontanæ*, celebris apud *Locarnenſes* monachi Carmelitæ. §. XXII. *Clementis VII.* Bulla 1530. adverſus Evangelicam veritatem, ejus incrementum innuit. *Itali reformati Melanchthonem* in fidei conſtantia corroborant. *Luc. Pauli Roſelli* Epiſtola, nomine *Venetorum* ad Melanchth. d. 3 Kal. Aug. 1530. §. XXIII. *Res Locarnenſium*, &, quomodo in præfecturis ita dictis Helvetiorum Italicis Reformata doctrina fuerit promota, docetur. §. XXIV. De Perſecutione *Locarnenſi* A. 1550--1555. agitur. *Italicæ Eccleſiæ* primordia apud *Tigurinos*. Bern. *Ochinus*. §. XXV. *Pauli III.* Po. Ro. ad Jac. *Sadoletum* mandata de exterminandis hæreticis. *Sadoleti* moderatio circa eadem. Ejusdem teſtimonium de incremento Evangelii in tractu *Avenionenſi* & Comitatu *Venaſcenſi*. §. XXVI. Apud *Bononienſes* A. 1533. erant confeſſores permulti, Horum Literæ ad Jo.

Digitized by Google

Planitium, Legatum Saxoniæ, exhibentur. §. XXVII. *De Concilio generali*, Conſilia agitantur, invito Papa *Clemente VII.* Is P. P. *Vergerium* in Germaniam mittebat, ad infringendum hæc Conſilia, qui & à *Paulo III.* in ea legatione confirmatur. §. XXVIII. *Vergerius* ad Epiſcopatum Juſtinopolitanum evectus, tertia vice 1541. ad *Wormatienſia Comitia* mittitur, atque ibi *de Unitate & Pace Eccleſiæ* orationem pronunciat, ſed, non ita multo poſt, ad Veritatem Evangelicam convertitur. §. XXIX. De *Conſilio*, ſub auſpiciis *Pauli III.* ſumto, pro *emendanda Eccleſia Romana*. Auctores ejus - *Conſilii* & ſcopus. §. XXX. *Conſilii* ejus notabile argumentum, ex quo ſaltem *Reformationis neceſſitas* colligitur. §. XXXI. Excerpta quædam ex eodem. §. XXXII. Eventus ejus fruſtraneus. *Jo. Sturmius* & *Mart. Lutherus*, cum epicriſi & notis illud publicarunt. §. XXXIII. De Conſilio illo à Paulo IV. inter prohibitos libros relato. §. XXXIV. Confeſſorum in Italia numerus A. 1539—42. adaugebatur. De *Reformatæ Doctrinæ apud Venetos* progreſſu ab A. 1530--1542. *Melanchthonis* Epiſtola ad *Venetos* 1539. laudatur. Hiſtoria *Flacii Illyrici* comprobat, quod A. 1540. ibi fuerint confeſſores. *Baldus Lupetinus* Flacii cognatus, martyr. §. XXXV. De Lutheranis ditionis *Venetæ* & agri *Vicentini*. §. XXXVI. Apud *Mediolanenſes* A. 1536. erant Evangelicorum congregationes. *Jo. Morosus* Cardinalis hæreſeos ſuſpectus & carceri datus, ex eo tamen dein liberatus. §. XXXVII. Apud *Mutinenſes* A. 1542. multa circa *Lutheranismum* ſunt acta. *Lutheri* cum iis commercium literarium. *Phil. Valentini* A. 1545. in vincula conjectus mandato Pauli III. §. XXXVIII. *Balthaſ. Alterii* ad *Lutherum* nomine *Venetorum* literæ A. 1542. recenſentur. *De lite Sacramentaria* ad Italos delata. *Bucerus* laudatur itemque *Melanchthon*. §. XXXIX. Ejusdem *Altieri* literæ ad *Vitum Theodoricum*, de vera amicitia. *Lutheri ad Altieri* literas reſponſio 1544. non usque quaque laudabilis. *Melanchthon* mitius inire conſilium. *Th. Era-*

Eraſti Ep. ex Italia ſcripta A. 1544. ad amicum quendam. §. XL. *Alterii* ad *Chr. Rembiſium* Noribergenſem literæ, 1545. Pontifex Ro. omni niſu A. 1542. & 1546. Lutheranismum ex Italia eliminare conatur; Ejus ad *Senatum Venetum* Epiſtola 1546. *De extirpanda apud Vicentinos hæreſi.* §. XLI. Prima *Socinismi* exordia referuntur, de *Collegio Vicentino* 1546. habito, narratio eſt ſubleſtæ fidei, uti &, quaſi *Læl. Socinus* jam apud Senenſes Socinismum ſtabiliverit. §. XLII. De *Eccleſia Reformatorum Neapolitana.* Multi Nobiles ad eam congregabantur. *Carolo* V. gravia adverſus eam edicta. *Bern. Ochini* laus & pro Veritate Evangelica decertatio. §. XLIII. Inter doctores Neapolitanos erant *Jo. Mollius*, *P. Martyr* & *Laurentius Siculus.* §. XLIV. De *P. Martyre* plura. §. XLV. De Ejus ex Italia receptu. §. XLVI. De progreſſu Veritatis Evangelicæ apud *Neapolitanos.* De Auctore libri, *de Beneficio Chriſti*, de doctrina reformata apud *Mantuanos.* §. XLVII. Perſecutiones Confeſſorum, Evangelii profectui inſerviebant. *Italicarum Eccleſiarum* apud Helvetios *Tigurinos*, *Genevenſes*, per totam *Vallem Telinam*, & *Rhætos*, itemque *in Polonia* & alibi, primordia. §. XLVIII. *Inquiſitio* Reformationem ex Italia deturbavit. §. XLIX. *Pallavicini* teſtimonium. Pauli IV. pro Inquiſitione fervor, ejusque in *Moronum*, *Polum*, *Aloyſium Priulum*, & alios odium, usque ad mortem. §. L. De Senatu *Veneto* in Reformatos exaſperato. Reformata doctrina tamen varia apud eos habuit fata. §. LI. De *Joh. Grimano* Patriarcha Aquilejenſi. De occultia noſtri temporis apud *Venetos* eccleſia. §. LII. De confeſſoribus in *Tractu Pedemontano* 1563. §. LIII. De Paparum *in Scripta* Evangelicorum furore, varia teſtimonia. §. LIV. De variis *in Italia* pro Veritate Evangelica *Martyribus*, & quidem, de *Fannio Faventino.* §. LV. De *Dominico Baſſanenſi.* §. LVI. De *Galeacio Trecio.* §. LVII. De *Jo. Mollio* dicto Montalcino. §. LVIII. LIX. LX. De *Galeacio Caracciolo*, notabilis texitur hiſtoria. In eum, ejusque Uxo-

Digitized by Google

rem *Annam Fremeriam* Epitaphium. §. LXI. De *Pomponio Algerio* A. 1555. martyrii morte ſublato. §. LXII. Ejus Epiſtola memorabilis ex carcere Veneto ſcripta ad Confratres ſuos. §. LXIII. De *Franc. Gamba*, Brixienſi in urbe Comenſi A. 1554. exuſto. §. LXIII. Ejus Epiſtola ædificationis plena. §. LXIV. De *Godofredo Varaglia* ſingulari ratione converſo, ac dein inter Waldenſes in valle Angrunia Præcone & Martyre. §. LXV. *Joh. Calvini* ad eum Epiſtola. 1557. §. LXVI. Mirifica *Varaglia* in reticendis fidei conſortibus & in profeſſione Evangelica conſtantia. §. LXVII. De Martyribus *Calabriæ* octoginta & octo, A. 1560. uno die morti traditis Epiſtola §. LXVIII. De *Jo. Ludovico Paſchali*, Pedemontano, & ejus A. 1560. Martyrio. Excerpta ex ejus literis & ſermonibus unctionem ſpirantia. §. LXIX. *Petri Carneſecæ* vita & elogium. Ejus ſub *Pio* V. Pont. Rom. Martyrium. §. LXX. Notabiles articuli propter quos *Inquiſitio* eundem ad ignem condemnavit. §. LXXI. Erat is alioqui magnæ apud eruditos, imò & in aula Pontificis auctoritas. *Muretus* illius amicitiam poſt mortem Carneſecæ diſſimulabat. *Mancurtius* in nova Flaminii editione ejus nomen obliteravit; *Flaminii* in *Carneſecam* elogium. §. LXXII. *Paleartii* fata & vita, in vincula conjectus martyrii mortem obiit. Ejus pro *A. Bellante* Oratio, adverſarios Senis excitavit. Auctor libri de *meritis mortis Chriſti*, Oratio pro ſe ipſo, in ea laudat Ochinum. Ejus Actio in Pontifices, opus poſthumum. Uti & ejus Epiſtola ad Lutherum Calvinum aliosque. Articuli ob quos condemnatus eſt. §. LXXIV. Clauditur Opus, ita ut quædam adtexatur purpura, *de Matronis Italiæ* illuſtribus Reformationi faventibus. §. LXXV. Inter eas celebratur I. Iſabella *Manricha* Breſegnia. II. Hippolyta *Taurella* Mantuana. III. *Anna* Princeps *Ateſtina*. IV. *Olympia Fulvia* Morata. V. *Victoria Columna*, Marchioniſſa *Piscarienſis*. VI. *Lavinia Ruverenſis* Urſina. VII. *Theodora* Sauli, & VIII. *Julia Gonzaga*.

SYL-

Digitized by Google

SYLLABUS
ITALORUM REFORMATORUM.

* * *
* *

JACOBUS ACONTIUS.

Cum civitas æque ac episcopatus Tridentinus, ad Tyrolensem districtum, veteris Rhætiæ partem primariam, spectent, habeatque Rhætia, ab occidente æque ac à meridie, sibi contiguas regiones Italicas, utaturque idiomate Italico, inde mirum non est quod *Jac.* ACONTIUS (*Giacomo Contio*) licet Tridentinus, tamen pro Italo semper fuerit habitus, ut meritò eundem quoque inter *Italos Reformatos* referre potuerim.

Ille verò, uti mathematicarum artium fuit peritissimus, atque ingenio præditus felicissimo, philosophiam omnem mirificè excoluit, ita inter *Reformatos Italos* locum sibi jure vendicat, tametsi quo pacto quave occasione ad desæcatam Veritatis Evangelicæ cognitionem primò devenerit, minime est expositum.

Id verò constat, eum A. 1557. unà cum *Francisco Betti*, Romano, religionis causa, & *propter Evangelicæ veritatis professionem* (uti ipse *a*) loquitur) *extorrem factum*, primò equidem *Tigurum* adiisse, ubi cum Viris præclaris, *Frisio*, *Simlero*, & *Jo. Wolfio*, notitiam contraxit ac familiaritatem; Neque tamen apud Tigurinos vel diu commoratus est, vel fixas invenit sedes, quin potius *Argentoratum* se contulit, ac denique secessit in *Angliam*, ubi, quod oppidorum muniendorum artem egregiè calleret, ab *Elisabetha Regina*

a) ACONT. in Dedicat. ad Librum deinde commemorandum, quem *Elisabethæ Reginæ* dedicavit.

Digitized by Google

benevolè receptus, ac annuo ſtipendio donatus, usque ad annum 1566. ejus emortualem, vitam traduxit, in tenui quidem fortuna, ſed frugiferam tamen, ac minimè otioſam.

Tum verò, cum *Johannæ Baptiſta Caſtiglioni*, Nobili Italo, (quique apud Eliſabetham, quam linguæ Italicæ cognitione imbuerat, ſingulari florebat gratia) ita verſabatur familiariter, ut quoque omnia ſua Scripta in ejus manum ultima voluntate reſignaverit; Inter hæc autem præter ea quæ *de muniendorum oppidorum arte* ſcripto conſignaverat, & Tractatus erat, ſub titulo: *Exhortationis ad timorem Dei*, lingua Italica conſcriptus, quem plenum bonæ frugis *Caſtilionæus* Londini edidit, ac Eliſabethæ Reginæ dedicavit.

Edidit verò, dum ipſe adhæc in vivis erat, Libellum, ſub tit. *de Methodo*, ad *Franciscum Betti* directum, Baſileæ 1558. 8. in quo, uti *de recta inveſtigandarum tractandarumque ſcientiarum ratione*, præcipit, ita, mirifice, eum collaudabant, non ſolum *Petrus* RAMUS in Epiſtolis, ſed & deinde, qui erant ex *Renati Carteſii* ſchola *a*) Viri docti.

Extat ejus quoque ad *Joh. Wolfium* Tigurinum Epiſtola, quantivis pretii, *de ratione edendorum librorum. b*)

Ne jam commemorem, ejus *Apologiam*, quam *pro A. Haemſtedio*, ſcripſerat, aut Epiſtolam illam, quam deinde pro ſemet ipſo, conſignavit, quò ſcilicet, reciperetur in gremium Eccleſiæ, vel Gallicæ, vel Italicæ Londinenſis, quamque ex Archivo Londinenſi Mſſ. nuper admodum inſerendam curavi *Scrinio* meo *Antiquario*, *c*) quæque non pauca continet notabilia, cum ad *Haemſtedium*, tum ad *Acontii* perſonam, doctrinam, indolem &c. facientia, imò etiam, ad ſtatum Eccleſiæ peregrinorum ejus temporis in civitate Londinenſi.

Sed,

a) Vid. BAEL in Lex. V. *Acontius*. Conf. cl. CHAUFEPIE in diction. Vol. I. p. 115.

b) Quæ ordinario ſubjuncta legitur ejus Tractatui de *Stratagematibus Satanæ*. 8.

c) Vid. Scrin. Antiquar. T. VII. P. I. pag. 193 ſq.

Digitized by Google

Sed, ante omnia sibi nominis famam comparavit, editis octo libris, *Stratagematum Satanæ*, quod Opus Elisabethæ Reginæ dedicatum, Basileæ *a*) primò prodiit apud Petrum Pernam, typographum Luccensem A. 1565. 8., atque sagacitatis, moderationis, ac prudentiæ cum politicæ tum ecclesiasticæ, non vulgare præbet documentum, licet varii quoque varia in eo desideraverint, ac non defuerint, qui plane, ceu malæ notæ, proscribendum esse judicarint: Ut verè de eo dici possit, *Eum laudari ab his culpari ab illis. b*)

Ceterum, extat quædam N. GALLASII *c*) ad *Jo. Calvinum* Epistola Londini scripta A. 1561. in qua de Aconcio, ceu minus orthodoxo, conqueritur, „ eumque (dicit) ex „ eorum genere esse, qui verba sua pro oraculis haberi vo„ lunt, &, quamvis aberrent vehementer, tamen ab erro„ ribus inanem gloriam captant, quasi fuerint cæteris oculatiores & abstrusa quædam arcana indagarint. "

ANTONIUS ALBIZIUS.

ANTONIUM ALBIZIUM, nobilem Florentinum *d*) in prædio suburbano nobilissimi patris sui *Lucæ Albizii*, ex equestri prosapia & vetusta Acciajolorum familia materna A. 1547. d. 25 Nov. natum, commendabant mores politissimi, cum eximia virtute, maximaque eruditione conjuncti.

a) Hoc Opus ab eo A. 1564. concinnatum, arguunt hæc verba: *sunt jam anni plus minus quadraginta septem quum coepit Lutherus contra Romanam Ecclesiam docere*; quodsi enim ad 1517. addantur 47. habebimus 1564. conf. SCHELHORN. de Mino Celso Senensi. p. 4.

b) Diversa de hoc libro Judicia videmus commemorari in CRENII animadv. Philol. & Histor. Parte II. pag. 30. Conf. BAYLE l. c. vol. I. p. 66. lit. E. & F.

c) Vid. LIEBE diatr. de Pseudonymia Jo. Calvini. p. 52. sq.

d) Habuit clara apud Florentinos *Albiziorum* familia varios viros doctos, quos recensuit HÆBERLINUS in Diss. de A. Albizio vid. Acta Erud. Supplem. nov. Tom. VII. p. 137.

Digitized by Google

Fuit is ab infantia, variis equidem artibus ac scientiis imbutus, sed tamen superstitioni pontificiæ innutritus, atque; non nisi adulta jam ætate, potissimum ex lectione S. Scripturæ ac meditatione sedula veritatum in ea contentarum, ad Evangelicæ Veritatis à næniis papalibus repurgatæ notitiam ac amorem deductus est.

Cum enim dignitate & ingenio, itemque singulari in agendo dexteritate floreret, factum est, ut cumprimis Florentiæ, in Johannæ Sereniſſimæ Principis gratiam ac favorem, reciperetur, atque ab ea A. 1576. legatus mitteretur in Germaniam ad Maximilianum II. Imper. Rom. & Archiduces Ferdinandum & Carolum, gratias illis acturus, pro collato in Cosmum Mediceum, maritum suum, Magni Ducis titulo.

Tum verò, simul in notitiam ac familiaritatem *Andreæ ab Austria*, Cardinalis, deveniſſe dicitur, in cujus fide & clientela quod per integros 22. annos usque ad mortem Andreæ A. 1600. permanserit, relatum est:

Enimverò, cum A. 1585. gravi & longa febri conflictaretur, per famulum suum, sibi quotidie aliquot capita ex N. T. prælegi dicitur curaviſſe, quæ res initium fuit ejus mutationis, qua posthæc Religionem Proteſtantium Evangelicam est amplexus, licet Cardinali tamen suo usque ad obitum adhæreret, quando demum abdicatis suis muneribus primò rediit *Florentiam*, sed anno vix exacto Germaniam repetiit, Religionis Evangelicæ amplectendæ ac publice profitendæ causa.

In Germaniam redux, primo equidem, *Oenipontem* seceſſit, ibique per biennium moratus est, Sed & illic exercitio religionis Evangelicæ A. 1604. sublato, in *Sueviam* se recipere coactus est;

Tum verò animum ex sola Verbi Divini lectione colluſtrare annisus est, præcipue Epistolæ Pauli ad Romanos & Galatas scriptæ indagatione sedula, cum in iis doceatur *Justificari hominem per solam fidem*, ita tamen ut minimè negli-

Digitized by Google

gligeret, universi codicis biblici lectionem diligentem ac attentam, cum commentariis quibusdam, Augustini, Basilii, Maldonati & aliorum.

Sic igitur *Augustam* porrò concessit Rhætiæ coloniam, Marci VELSERI doctissimi illius Polyhistoris ac Consulis Augustani consuetudine utens; At, cum ibi à Jesuitis vix ipsi daretur respirandi facultas, valedixit Velsero, atque *Campiduno* (quæ est urbs Algoiæ antiquissima, *Kempten* dicta) concessit, ubi contubernio gavisus *Josephi Koenigii* Scholarchæ & Bibliothecarii, per integrum vicennium, quod vitæ reliquum erat, exegit, orationi, meditationi, lectioni & scriptioni maximopere intentus, ceterum, ab hominum commercio abstinens, tenuique victu vitæ inopiam sustinens, usque dum A. 1626. ad beatam analysin, vitæ & annorum satur, fidei speique plenus, eveheretur, animamque Deo spirituum Patri redderet.

Et, quanquam sæpenumero à suis, ut ad avita sacra rediret, invitaretur, certum tamen est, eum constanter renuisse, ac Evangelicæ Veritati, cui semel vota sua addixerat, fidum mansisse, quod vel ex eo constat, quod denunciatus à nuncio Papali coram tribunali Inquisitionis Romanæ, etiam post mortem adhuc quæsitoribus incognitam, fuerit Romam citatus A. 1626. d. 4 Junii, cum jam secunda Pentecostes furia rebus humanis Campiduni valedixisset.

Editæ sunt *ejus Exercitationes Theologicæ*, Campiduni 1616. 4. impressæ; In quibus quæstiones continentur. 1. De Scripturis Canonicis 20. 2. De Ecclesia Christi 25. 3. De Ministerio ecclesiastico 15. 4. De Magistratu Christiano 14.

Extant quoque ejus *Stemmata Principum Christianorum* Augustæ Vindelic. 1612. in folio edita: De cujus libri sæpe licet recusi raritate Cl. CRUSIUS in *Vitæ Mornæanæ singularibus*, itemque Cl. MENKENIUS in *Catalogo Fresnoyano*; *a*) Sunt verò ea, cum in Andreæ Cardinalis

a) Conf. *Florilog. nostr. libr. rar. pag.* 10.

connubernio, munere cubicularii apud ipsum fungens, versaretur adhuc, horis succesivis è Bibliotheca & Archivo Orabraſiano collecta ac elaborata.

Edidit verò *de Albizii Conversione*, Mantiſſam, ſive Narrationem, ex Mſt. parentatione piè defuncto habita, à *Jac. Zæmanno* J. H. Dr. & Paſtore Campidonenſi breviter contextam, Vir Cl. *Elias* VEJELIUS, Theologus Ulmenſis, eamque ſubjecit Tractatui, de *neceſſitate Reformationis Evangelicæ* ex Scriptis *Georgii Anhaltini*. Ulmæ 1692. 4. p. 456. ſq.

Extat de eo quoque Diſſertatio F. D. HÆBERLINI Gottingæ 1740. 4. quæ & appendicis loco habet Vitam Albizii, à M. *Jodoco* FABRICIO, Ambergenſi Palatino, Scholæ Campidunenſis tunc moderatore, carmine elegiaco deſcriptam.

SIMON ALEXIUS.

De eo, præter ea quæ in *Florilegio librorum rariorum a)* à nobis ſunt annotata, ubi Dialogi ejus VII. recenſentur *De Origine Dei Miſſatici, quondam in Anglia mortui, nunc denuo ab inferis reſuſcitati &c.* 1558. 8. nihil fere dicendum nobis reſtat:

Eſt vero, quod *Alexiorum* familia, dudum apud *Pedemontanos* floruit, is à nobis in hunc cenſum relatus, cum alioquin ejus patria nobis eſſet incerta, niſi quod ex Præfatione *Jo. Criſpini* Bibliopolæ & typographi Genevenſis conſtet, eundem *ex Antichriſtianismi ſordibus ereptum, in Anglia verſatum, ac propter inſignem miniſterii verbi Dei functionem celebratum fuiſſe*, ac inprimis *Thomæ* CRANMERO acceptum, magnique æſtimatum.

BALTHASAR ALTIERI.

Balthaſarem ALTERIUM, dictum Neapolitanum, quod Aquilæ in regno Neapolitano *b)* natus erat, inter *Italos Refor-*

a) Vide *Florileg. lib. rar. p.* 13, 14.
b) Vid. SECKENDORF. Hiſt. Lutheranismi. L. III. §. CXXV. n. 16. fol. 578.

Digitized by Google

formatæ nomen habere, inprimis colligitur ex commercio ejus circa Seculi XVI. medium literario; Certè, cum Venetiis verſaretur, atque ibi Legato Regis Angliæ apud Venetos à ſecretis eſſet, ſedulum ipſi cum Germanis Proteſtantibus, & cumprimis cum Luthero, & ejus aſſeclis, circa A. 1542. 1543. 1544. & 1545. intercedebat commercium Epiſtolicum. Uti Literæ, quas nomine Fratrum A. 1542. Venetiis VI. Kal. dec. ad Lutherum dabat, *a*) magnum præ ſe ferebant pietatis affectum, religionis puræ ſtudium, conſtantiam in perſecutionibus & venerationem erga Lutherum, ſimul verò etiam querelas de diſſidio ſacramentario, minime proletarias.

Neque adeò mirum, quod is à LADERCHIO in Annalibus Eccleſiaſticis *b*) dicatur, *Apoſtata Lutheranus, qui cum hæreticis ac Proteſtantibus Germaniæ Principibus commercium habuerit, ac librorum hæreticorum monopolium exercuerit.* Quæ omnia, uti Laderchio ſplendida imperabat bilis, ita quod in laudem potius quam in contumeliam Altierii cedant, manifeſtum eſt.

Nam, quod A. 1545. ſibi amicitiam & communicationem per literas quoque expetiverit cum *Eberhardo Thannio*, Electoris Saxoniæ conſiliario, viro magni nominis, multorumque in Reformationem meritorum, docemur à SECKENDORFIO *c*).

Sub idem quoque tempus, literis ad *Chriſtophorum Rembiſium*, Mercatorem Noribergenſem, teſtabatur, illuſtrem quendam virum, Bononiæ verſari, qui tantopere Evangelicorum partibus addictus eſſet, „ ut, ſi bellum contra Papam „ inſtitueretur, ſex millia militum in Evangelicorum uſum „ col-

a) Vid. in Opere ipſo §. XXXVIII. & SECKEND. l. c. §. XCVII. fol. 401. ſq.
b) LADERCH. Annal. Eccleſ. ad A. 1566. apud SCHELHORN. in Amoenit. Hiſt. Eccl. literar. Vol. II. pag. 188.
c) Vid. SECKENDORF. l. c. fol. 579.

Digitized by Google

„ collecturus esset, quarum Literarum exemplum idem commemorat Seckendorfius. *a*)

Plura de eo rescíscere nobis minimè licuit, nisi quod idem SECKENDORFIUS *b*) referat, quod Principes Protestantes, in singulari Epistola ad Franciscum Donatum, Venetiarum Ducem A. 1546. data, eum pro Procuratore, sive, Agente suo, agnoverint, eique ceu tali, fidem haberi, expetiverint.

MARSILIUS ANDREASIUS.

MARSILIUM hunc *Mantua* oriundum, & ipsum Evangelicæ religioni addictum fuisse, ex ejus Oratione *de Amplitudine misericordiæ Dei*, colligendum esse, recte jam annotavit C. A. SALIGIUS *c*) quanquam alioquin de eo plura nobis non constent.

Est verò, illa Oratio, Italico sermone scripta, & à *Cæl. Sec. Curione* in Latinum conversa, unà cum tribus *Bern. Ochini* sermonibus de Officio Principis Christiani, & sacris declamationibus quinque, in aliquot D. Jacobi locos, ad Angliæ Regem Eduardum VI. Basileæ apud Jo. Oporinum A. 1550. 8. edita, docente RAMO in Oratione de Basilea.

Neque verò est dubium, quin eâdem illa Marsilii Oratione *Cælius Secundus* CURIO, ansam sibi ceperit, edendi Tractatum; *de Amplitudine Regni Dei*, in quo, paradoxum illud cumprimis evincere conatus est, *dari longè majorem electorum quam reproborum numerum*; *d*) quam aristam jam non fricamus;

BALDUS LUPETINUS.

BALDUS ille dictus *de Albona*, nativitatis loco, Provincialis erat Franciscanorum apud Venetos, ac Flacii Il-

lyr-

a) Apud SECKEND. ibid. Conf. in Opere §. XL.
b) Ibid fol. 614.
c) In *Histor. Aug. Confes.* T. II. p. 419.
d) Conf. *Florileg. libr. rar.* pag. 100. 101.

Digitized by Google

lyrici famosi illius inter Lutheranos Theologi ex Illyrico Veneto oriundi, cognatus, qui, cum ipse per librorum Lutheri lectionem ad veritatis cognitionem perveniſſet, huic etiam cognato ſuo, tum temporis apud Venetos, de vitæ ratione amplectenda, ſollicito, ut ſe ex Italia reciperet in Germaniam, auctor fuit, uti jam obſervavimus in ipſo Opere *a*).

Eſt locus de eo notabilis, in Præfatione FLACII ad librum rariſſimum *de ſectis, diſſenſionibus* &c. pag. 43. quæ ad Ducem & Senatum Venetum directa eſt, ubi, poſtquam dixerat *Deum hoc tempore viſitationis & illuſtrandæ Religionis ſuæ*, etiam ad Venetos, *duos præcipuè nequaquam obſcuros legatos ac verbi voluntatisque ſuæ prædicatores miſiſſe*, ac inter eos Rev. fratrem *Baldum Lupetinum* commemoraverat, inter alia ita pergit:

„ Rev. Vir, BALDUS *Lupetinus*, ex nobili genere vetu-
„ ſtiſſimaqve proſapia ortus & doctiſſ. monachus, ac miniſter
„ provincialis, poſtquam longo tempore pluribus civitatibus
„ magna cum laude verbum Dei utraque vulgari prædicave-
„ rat, & in multis celebribus locis cum laude diſputaverat,
„ tandem iſtic ab Inquiſitore & Legato antichriſti eſt in te-
„ tros carceres conjectus, in quibus ferme viginti annis
„ teſtimonium Evangelio Chriſti conſtanter præbuit, adeò
„ ut ejus vincula & doctrina, non tantum iſti urbi, ſed etiam
„ ferme toti Italiæ, atque adeò toti etiam Europæ, innote-
„ ſcerent, Veritasque Evangelii eò latius ſpargeretur. Quam
„ doctrinam tandem ille pientiſſimus & præſtantiſſimus vir,
„ nullis minis aut pollicitationibus diutinove carceris ſqua-
„ lore, aut miſerando cruciatu, immutatus, conſtanti marty-
„ rio *a*) in mari ſubmerſus confirmavit.

a) Vid. §. XXX. ex RITTERI Vita Flacii pag. 8.

a) Rectè igitur Cl. HOORNBEEK in Summa controvers p. 652. hunc Baldumait, per viginti annos, qualido carcere diſcruciatum, tandem mari merſum, ſupplicium capitis conſtanter pertuliſſe, *dignum virum, cujus in Martyrologio nomen ne prætereatur.*

Digitized by Google

„ In quo, inter alia plurima, etiam illud profectò prorsus „ admirabile divinæ providentiæ vestigium apparuit, quod, „ nec Principes Germaniæ aliquoties pro eo intercedentes, „ eum liberare potuerunt, nec è contra Legatus Pontificius „ ac Inquisitor, atque adeò ipsemet Antichristus, cum mul- „ tum sudassent, seduloque institissent, efficere potuerunt, „ ut mox initio exureretur. Cum enim jam condemnatus „ esset, Sereniſſimi Ducis ipsiusque Collegii sententia, est ab „ ignis supplicio liberatus. „

JOHANNES BECCARIA.

Quanta virtus, & quam indefessus pro Veritate Evangelica in difficillimis rerum circumstantiis, labor, in *Joh.* BECCARIA, Ludimoderatore Locarnensi, extiterit, ut cetera alia argumenta desint, ex ejus perspicitur epistolis, ad Conradum *Pellicanum* & Theologos *Tigurinos*, circa medium seculi XVI. datis, quarum quædam nobis exempla sunt conservata in *Tempe Helvetica* Tomo IV. N. VII. pag. 180. &sq. ubi tres ad *Conr. Pellicanum* & A. 1544. 46. & 48. scriptæ, & una ad *Johannem Wolphium* Tigurinæ Ecclesiæ Antistitem A. 1560. In priorum quadam, d. 18. Kalend. Sextil 1544. scripta, ita de se: *Est enim*, scribit, *qui in Christo glorier, quum non pauci ex his, quos annum ab hinc sextum docui, intelligant, unde pendeat vera salus. Quod mihi annos 28. nato fuit discendum. Didici autem afflatus divino spiritu, ut primum incidi in scripta eorum, qui nihil non fecerunt ad illustrandam Servatoris gloriam.*

In alia, d. XI. Cal. Junii. 1548. „ Evangelii res indies me- „ lius meliusque cedunt; quod ut rectè fiat, accepi negotium „ annunciandi Evangelii, in æde heic nobis vicina; „ quod, ut auditur à multis, ita comparat mihi jugiter maxi- „ mam apud imperitos sacrificos invidiam, qui nihil non fa- „ ciunt, ut me ex suscepto Domini negotio amoverent, at- „ que

Digitized by Google

„ que interim non desinunt sollicitare Prætorem nostrum &c. ac deinceps: *Paratus sum tueri quicquid publice annuncio, modo res ad æquos judices & doctos referatur. Tum, si accidat, ut mihi ferendum sit quicquam pro Christi gloria, paratus sum tradi, & in vincula & in mortem, modo inveniar fidus Dei minister.*

Ceterum, quod annis etiam insequentibus, multa is non agere solum, sed & pati debuerit, propter Evangelii præconium, perspicitur ex literis *a*) Misauci d. 7 Nov. 1560. scriptis ad *Joh. Wolphium* Tigurinum, ubi hunc in modum de rebus suis. *Hostium*, inquit, *minas gravissimas æquissimo animo ferre potui, dum in vivis esset Magnif. Dn. Antonius Sonius, Misaucorum b*) *Consul, Mæcenas meus, vir pietate & omni virtutum genere suspiciendus, qui me isthuc ab amplissimo Senatu vocarat atque impetrarat. Eo mortuo, Satan per suos ita grassatur, ut heic tutò hærere vix possim. . . . . paratus quidvis pati, modo Christi ecclesiæ quoquo pacto prosim. Quod nisi impetratum fuerit, cogor ad vos redire Tigurum. . . . . Jam ad hæc mala externosque hostes etiam accedit domesticus idemque nocentissimus hostis, rerum omnium videlicet penuria. . . . Porro, in his omnibus hoc unum me semper solatur, quod scium eam esse Christi pastorum vocationem, ut ubique hos crux comitetur, quæ, quo sævior fuerit, eò uberiores fructus sunt expectandi, ab his qui pure Evangelium Christi annunciant.*

FRANCISCUS BETTI.

FRANCISCUM hunc BETTI, nobilem fuisse Romanum, addiscimus ex ejus Epitaphio, etiamnunc apud Basileenses, conspicuo *c*).

a) Vid. Temp. Helvet. l. c. p. 200. 201.

b) Est *Misaucorum* Vallis à castro munitissimo *Misauco* dicta, Rhætiæ satis ampla regio, vid. SPRÆCHERI Palladis Rhæticæ Lib. VII. p. 212. 213.

c) Vid. TONJOLÆ Basilea sepulta, retecta pag. 139.

Digitized by Google

Eum verò *Jacobi Acontii* amicum, paulo ante Acontium, Italiam, religionis ergo & propter Evangelicæ veritatis professionem, reliquisse, ac in Helvetiam venisse A. 1557. sicque deinde cum eodem *Basileam* accessisse; ipse testis est ACONTIUS *a*) uti jam delibavimus.

Est verò, apud *Basileenses* receptus hospes, ibique honorifice habitus, uti ejus singulari cum encomio meminit *Petrus* RAMUS in Oratione sua in laudem Basileæ dicta, ubi hunc in modum: „ *Francisco Betto* & *Sylvestro Teglio*, „ vix Italia duos Italos candidiores, & veræ pietatis amantiores, opposuerit. *Bettus* patriam patrio sermone Christianismi sacris initiat. *Teglius* Machiavelli Principem *) „ Latinè loquentem fecit, majoraque nominis sui monimenta publicè molitur.

Extat hujus *Betti* Epistola ad Marchionem de Pescara, vel potius, ad ejus laudatissimam conjugem *Victoriam Columnam*, exarata, *de rationibus discessus sui ex Italia*, cujus meminit Cl. HENDREICHIUS in Pandectis Brandenburgicis fol. 555.

Huic opposita est ab *Hieronymo Mutio* Justinopolitano *b*) responsio quædam, lingua Italica: *Risposta di Girolamo Muzio. c) à una lettera di Francisco Betti &c. Pisauri* 1558. 8.

Atque adversus hanc Mutii invectivam, *Bettum* non minus Italicè respondisse, docemur ab eodem illo HENDREICHIO l. c.

Ceterum, eundem, Galeni librum, περὶ διαγνώσεως τε καὶ θερα-

a) Vid. *Acontius.*

*) Et hujus libri fata quod fuerint diversa, colluescit, cum alii, eum pro sensus sui conjectura diris devoveant, alii, diversum de eo foveant judicium, ac omnia ad satyram referenda, in Alexandrum & Borgiam, censeant.

b) Est is idem ille *Mutius*, qui & in Vergerium conscripsit invectivam.

c) Vid. FONTANINI della Eloquenza Italiana pag. 189.

Digitized by Google

γραπτικας των εν τη εκαστε ψυχη ιδιων παθων. *de dignoscendis & curandis animi affectibus*, in Italicum sermonem transtulisse, idem testatur HENDREICHIUS. l. c.

Est autem *Betti* nostri nomen (quod, glorioſumne magis an inglorium sit? dubitamus) inter *primæ classis hæreticos* repositum, in *Indicibus librorum prohibitorum*.

Ceterùm, inique de ipso, ac rigidius quam par erat, affectuum æstu abreptus, judicasse videtur, ex nostris quoque, *Tobias Eglinus*, sive ICONIUS, in relatione de gestis Synodi Curiensis. vid. SCHELHORN. in Diss. de *Mino Celso Senensi* pag. 62.

Epitaphium ejus quod *Basileæ* legitur est hujusmodi

* *

D. O. M. S.
Francisco Betti
Nob. Romano
qui Germaniæ, Religioni,
patriam, bona, Principum patrocinium
posthabuit
Liberi moerentes
par. b. m.
p. p.
Vixit annos 69.
1590 penult. Aug.

JACOBUS BONFADIUS.

Fuit is Salonæ ad Benacum natus; soluto pedestrique scribendi genere in sua Latinaque Lingua clarus:

Extant ejus *Annales Genuenſium* fol. ab A. 1528. ad ann. 1550. quos *Thesauro Italico*, Tomi I. Parti secundæ insertos habemus.

In hisce, de familiis Genuensibus, cum quædam minus accepta, propalasset, *a*) nec à sale satyrico abstinuisset, factum

a) Vid. *Nic. Franc.* HAYMII notizia de libri rari pag. 76.

Digitized by Google

eſt, ut Nobilium illorum, quos liberius aliquanto inſectatus erat, odium incurreret, qui eum ſupremo ſupplicio & quidem ſecuri percutiendum, adjudicarunt, ac dein flammis comburendum, prætexentes crimen aliquod nefandum *a*); Quod ſupplicium, is circà ann. 1550. adhuc vegeta ætate & infracto ad ultimum usque ſpiritum mentis robore, ſubiiſſe dicitur, ſcripta ſub id elegantiſſima Epiſtola, qua Socratis exemplo *b*) animum tranquillum & intrepidum ad mortem ſe afferre, conteſtabatur.

Ceterùm, quod Religioni Proteſtantium fuerit addictus, ex ejus Epiſtolis, à Cl. SCHELHORNIO *c*) citatis, quodammodo colligitur, ut ea quoque res, licet alioqui culpa vacaret, inſurgentibus inſuper in eum Reip. Proceribus, adverſariorum in Bonfadium odium potuerit ſuſcitare & mortem ejus accelerare.

Eſt ſaltem notabilis ejus Epiſtola, Italicè ſcripta, A. 1540. ad *Petrum Carneſecam* (dequo deinceps) data, *d*) in qua deplorat obitum *Johannis Valdeſii* Hiſpani, atque unius è primis Lutheranismi in Italia ſtatoribus, hunc in modum:

„ Reminiſcor, quod ante abitum tuum ſæpe eò te reditu-
„ rum dixeris, meque etiam plus ſimplici vice eodem (Ne-
„ apolim) invitaveris. Utinam illuc reverteremur! Sed, ſi
„ ex alia parte rem conſidero, quonam quæſo ibimus, Val-
„ deſio jam demortuo? Cujus obitu ſanè gravem paſſi ſumus
„ ja-

a) Conf. BAYLE in Dictionar. voc. Bonfadius. Vitam verò ejus conſignavit Comes. *Jo. Maria* MAZZUCHELLI, quæ Epiſtolis ejus, 1746. Brixiæ ſub auſpiciis *Antonii Sambucæ*, Secretarii quondam Cardinalis Quirini, vid. SCHELH. Recreat. Eccl. T. I. pag. 210. editis præfixa legitur.

b) THUAN. Hiſtoriarum Lib. XXVI. Cap. XXVI. Tom. II. fol. 72.

c) Vid. SCHELHORN. Amœnit. Hiſt. Eccleſ. Literar. Vol. II. pag. 49.

d) Vid. SCHELHORN. l. c.

Digitized by Google

„ jacturam, & nos & orbis; Siquidem Valdesius erat unus „ rarissimorum Europæ virorum, eaque Scripta, quæ in S. „ Pauli Epistolas & Psalmos Davidis reliquit, id luculentis- „ simè demonstrabant. Erat citra omne dubium, in verbis, „ factis, & consiliis cunctis vir consummatissimus. Una ani- „ mæ particula regebat debile suum & macilentum corpus; „ nobiliori autem parte & puro intellectu, quasi fere extra „ corpus fuisset, stabat semper elevatus in contemplatione „ veritatis ac rerum divinarum. Dolorem meum declaro M. „ Antonio Flaminio, hunc enim præ ceteris omnibus mag- „ nopere dilexit & admiratus est.

Quæ verba, & Bonfadii, cum primariis hisce Viris ac Veritatis Evangelicæ patronis ac statoribus, *Carnesseca* & *Flaminio*, familiaritatem, satis edocent, & famam illam de corruptis moribus ejus, depellere videntur, ac penitus obliterare.

Quam alioquin refellit *Johannes Matthæus* TOSCANO in *Peplo Italiæ:* ubi hæc leguntur:

Bonfadium letho das scelerate Ligur;
Historia æternum cujus fera Genua vivis
Immeritum sæva lege necare potes?
Mitius est quod te spumanti vertice marmor
Tundit, & es scopulis durior ipsa tuis.

JOH. BERNARDINUS BONIFACIUS.

Fuit is Marchio Oriæ (quæ fuit veteribus pars Japygiæ, in Regno Neapolitano,) qui Christum omnibus hujus vitæ bonis prætulisse dicitur, ac, spreta mundana gloria, Veritatis Evangelicæ professionem constanter retinuisse;

Is Noribergæ ex frequentibus peregrinationibus sese recolligens, diu substitit, ac *Philippum Camerarium* sæpius familiariter invisit, atque *de Opere horarum subcesivarum* tunc temporis inchoato potius quam absoluto, cum eo contulit;

Scrip-

Digitized by Google

Scripſit ad Ph. Camerar. ſub literis illis L. B. B. M. O. literas *Horis ſubceſivis*, *Centuriæ primæ* præmiſſas, in quibus cum annos 61. natus eſſet, vario modo ſuam pietatem teſtatam facit, & quam, S. Scripturæ addictus, ætatem ſuam in perveſtigatione veritatum cœleſtium conſumeret.

Eſt is idem ille, qui *Miſcellanea* conſcripſit *Hymnorum*, *Epigrammatum* &c. quæ Dantiſci 1599. 4. prodierunt, quæque in *Deliciis poëtarum Italorum* leguntur.

JACOBUS BROCARDUS.

Fuit Italus, Venetiis oriundus *a*) Vir probus, orthodoxiæ ac pietatis ſtudioſus, uti videre eſt, ex ipſius libello, *De Anabaptismo jurantium*, *in Papam & Eccleſiam Romanam*, deque eorum *Idolo zeli*, *b*).

Is Reformatam Religionem amplexus, varia ſcripſit, *c*) atque inter alia, *Myſticam & Propheticam Interpretationem in Geneſin*; quæ Bremæ prodiit 1585. 4. ſub auſpiciis ipſius auctoris; cujus præfatio, & propter ſtatum eccleſiæ Bremenſis illius temporis, & propter hiſtoriam converſionis propriæ, quam brevibus recenſet, prorſus eſt notabilis:

De priore ita: „Deus, inquit, deduxit nos in civitatem *Bremenſem*, quæ civitas, initio prædicationis Evangelicæ nunc „ repetitæ à Chriſto, inter primas illam ſuſcepit, retinuit, & „ conſervavit, ut tempus dat, integrè & purè. Idque factum eſt, opere & diligentia pii Magiſtratus, cujus ſtudium „ fuit, atque eſt, non ſolum, ut juſtitia conſervetur in adminiſtratione politica, ſed &, ut pura religio in civitate retineatur. Progreſſus autem in ea tales videntur fuiſſe. Primus „ do-

a) VIGNIERIUS in Theatro Antichriſti P. I. c. 22. p. 203. quanquam alii, ut THUANUS, eum Subalpinum dicant Hiſtor. Lib. 79 ad annum 1583. alii, ut SPONDANUS, Pedemontanum, in Annalibus, ad ann. 1583. n. 9.

b) VOETIUS Diſſert. Theolog. Tom II. p. 1075.

c) Vid. BÆLIUS in Dictionar. voc. *Brocard.*

Digitized by Google

„ doctrinam Euangelii paſtorem docuit Frater *Henricus Sud-*
„ *phanienſis*, qui fuerat Vitebergæ in eodem monaſterio cum
„ Doctore Luthero ordinis Auguſtiniani. Poſtquam autem
„ initia reformationis Eccleſiæ feliciter hic facta eſſent, in
„ Ditmarſiam vicinam Holſatiæ, vocatus ad docendum Euan-
„ gelium, à ruſticis incitatis à Monachis, crudeliſſima morte
„ interemptus eſt. Nec diu poſt cædem illius & quidem in
„ illo ipſo veſtigio, ubi interfectus erat ille, Ditmarſienſes
„ cæſi ſunt ab exercitu Regis Daniæ, & Ducum Holſatiæ:
„ atque libertatem priſtinam omnem amiſerunt, manifeſto
„ indicio, Judicium ſuum oſtendente Domino contra parrici-
„ das illius Martyris. Interea Bremenſes, dum diſſidia extant,
„ expectant patienter (dum per certos progreſſus fit Dei opus)
„ tempus, quando patefaciet ſe Chriſtus, (à quo, & per quem
„ pacata dabuntur omnia, & perfecta omnia in populo ſuo,
„ qui in Eccleſia ſua intuetur illud, *In ſpe, & ſilentio erit*
„ *fortitudo veſtra*,) nec receſſerunt ab expectatione Chriſti pa-
„ tefaciendi, ſuſtinentes gravem, & periculoſam obſidionem,
„ ne cum aliis civitatibus Germaniæ ſuſciperent certum *In-*
„ *terim* hominum, dum eſſet ſuſcipiendum *Interim* Chriſti.
„ Unde Chriſtus miraculoſe liberavit eos ab illa obſidione,
„ atteſtans ſe eorum defenſorem (præter alia beneficia in ip-
„ ſos collata) impellendo per flumina in ipſorum civitatem
„ tantam copiam Salmonum, ut eorum eſſet ſatietas, & fa-
„ ſtidium. Poſt liberatam civitatem ab obſidione, inter ali-
„ os doctores excelluit *Albertus Hardenbergius*, is, cum
„ nollet cæteris quibusdam concionatoribus ubiquitatem car-
„ nis Chriſti, tum voce, tum ſcriptis palam propugnantibus,
„ aſſentiri, cedere hinc tandem coactus eſt, ex decreto ordi-
„ num inferioris Saxoniæ, qui citra tamen condemnationem,
„ & infamiam, ad placandos ejus adverſarios, aliò eum con-
„ cedere juſſerunt. Poſt diſceſſum verò ejus, cuncti adver-
„ ſarii ultrò ex urbe profugerunt, panico quodam terrore
„ divinitus eis injecto. Ac ita annos plures quàm ſexa-

„ ginta hæc urbs habuit lucem Euangelii. Hoc autem tem-
„ pore habet & doctrina, & pietate præditos concionato-
„ res, qui eandem perennem lucem Euangelii retineant, &
„ conſervent. Inter cæteros eſt Doctor *Chriſtophorus Pe-*
„ *zelius*, de cujus ſapientia, & doctrina nil dicam, quæ per
„ Germaniam, & Galliam & alibi, cum ſumma ejus laude
„ celebratur. Video ego ejus labores, & diligentiam in con-
„ cionando, & docendo, & ſcribendo, & ſcholam poſt ſuum
„ adventum erectam regendo: atque, quod maximè requiri-
„ tur in miniſtro Chriſti, charitatem in ſingulos, & ſtudium
„ conciliandæ pacis, & concordiæ inter diſſidentes, ut di-
„ vino conſilio factum ſit, ut è Saxonia propter Veritatem
„ ejectus, inſerviret huic civitati, in retinendo cum aliis piis
„ concionatoribus eandem veritatem ſuſceptam à principio
„ catholicam. Eſt & illud commune his piis concionato-
„ ribus, ut agant quæ ſunt Eccleſiæ, ut in ipſis ſit Eccleſia.
„ ſervant rationem à Paulo præſcriptam Eccleſiæ ut in ipſa
„ recognoſcantur, varia dona, & munera, & diſcrimina mi-
„ niſteriorum, ut Deus dederit primum Apoſtolos, deinde
„ Prophetas, Doctores, & alios variis facultatibus præditos:
„ nec unus in Eccleſia ſit omnia, ut unum membrum non
„ eſt totum corpus. Sunt verò hoc tempore in certis Ec-
„ cleſiis, quidam, qui volunt apud ſe eſſe omnia: Se unos
„ eſſe totam Eccleſiam, quaſi eorum una manus ſit totum
„ corpus: neminem præ ſe audiunt: & quamvis bona, vera,
„ & ſalutaria afferas, ſi à ſe illa non prodierint, rejiciunt,
„ tanquam in uno ipſorum ſit tota Eccleſia: unus eorum ſit
„ ipſe Chriſtus. Hæc quantum abhorreant à vera Eccleſia,
„ vident omnes, & ſunt qui ea vident in aliis, & reprehen-
„ dunt, in ſe autem nolunt recognoſcere. „

De poſteriore, hunc in modum: *a*) „ Factum eſt Vene-
„ tiis A. 1563. *b*) die Dominico, ut cum poſtmeridianum
„ tem-

a) Vide ejus argumentum in Geneſin p. 37 ſq.
b) Is igitur eſt annus converſionis ejus.

Digitized by Google

„ tempus consumsissem in deambulatione cum sociis, & do-
„ mum me recepissem, statim aperuerim Biblia: ac occurrit
„ mihi Aggæus. Dum lego primum caput, ecce cor mihi
„ constringitur, & quasi torculari comprimitur cum dolore,
„ ac loquentem audio qui mihi memorat, quæ egerim mul-
„ ta, & varia ante, & quæ agam, ut perveniam ad pecu-
„ lium & commoda vitæ, *frustra*, ait, *me laborasse &*
„ *laborare*, *nihil me effecturum*, *omnem operam perditu-*
rum, *ac saccum sine fundo inventurum in omnibus*, *quæ*
mihi comparare conatus fueram sive ingenio sive opere.
Oportere prius parare & efficere, *quæ sunt Ecclesiæ &*
regni Christi: tum tantum modo adfutura commoda &
quietem lætam; „ Hæc omnia multis modis repetebat & ur-
„ gebat: atque quod mihi separatim narrabat, idem osten-
„ debat generatim eventurum aliis; perventus ad finem ca-
„ pitis, surgo, qui hærebam mensæ, totus perterrefactus,
„ non tam propter id, quod mihi evenerat, quam, quod ve-
„ niebam tunc è joco & risu, unde veritus sum tum procum-
„ bere in genua. Statuo noctu rem expendere, mane pre-
„ cari Dominum; quod facio, mane peractis precibus, peto
„ ut Dominus mihi significet, quid à me fieri velit: tum sur-
„ go & sto. audio vocem ad sinistram cujusdam mihi inhæ-
„ rentis, mihi qui narret & objiciat mea peccata, simulque
„ statuat me ante judicem in magno judicio: urgeat illa, il-
„ lorum vim & pœnam. Me verò invadit horror & tremor,
„ & dum instat urgere vehementer & vehementius semper,
„ exanimatus decido in mensam, quæ post me erat: tum
„ ilico cessat horror, & audio ad aurem sinistram hæc ver-
„ ba: *Recordare quicquid facultatis in te fuerit*, *tibi fuisse*
„ *datum in ventre matris*; Eò die paro me ad lectionem
„ Prophetícam, quia multaquæ non narro, perceperam, dum
„ mihi loquebatur, de domo Domini.

„ Altero die legi quatuor prima capita Oseæ, quæ intel-
„ ligo, reliqua video esse percipienda, partim ex his quæ vi-

„ deram, partim ex eventis. Verſor diu in lectione, video „ in omnibus ſacris literis ineſſe Prophetiam, taceo & omnia „ mecum expendo.

„ Anno 1565. video in quodam Propheta futuram actio- „ nem de re Prophetica per quendam virum apud Magiſtra- „ tum Venetum; Tunc me invadit timor, ne ſim ego ille.;

„ Quæro exire fines Venetos, nec poſſum ob certa im- „ pedimenta; Eo in forum Julium; retineo apud me con- „ ſilium meum. Scribo commentarios & paraphraſes in pro- „ oemium Phyſices, ut videar alia tractare, quam ſacra, ut „ oblata occaſione inde evolem.

„ Ante tres dies quam capiebar, ſentio, circum me eſſe „ milites, qui me invadant.

„ Eo die quo fui captus, cogitabam mane in lecto, non „ eſſe ultra expectandum, ſtatim eſſe capiendam fugam, re- „ lictis omnibus bonis & nemine ſalutato;

„ Ecce, dum hæc agito, poſtquam ſurrexi, vocor ad Præ- „ torem; Adeſt capitaneus magnus, quem vocant decem ca- „ pitum, me comprehendit & ducit Venetias, perductus in „ aulam decem capitum, video & audio mira; primum ex- „ tra me raptus, poſt in me reverſus; altero die ducor in in- „ quiſitionem; Ibi mihi oſtenditur & repetita voce ſignifi- „ catur, quænam ſit abominatio, de qua egit *Chriſtus* & „ *Daniel*, ſcilicet, Inquiſitio, quæ eſt ipſa *abominatio de- „ ſolationis:* Id inquam dico, ut Veneti & alii proſpiciant „ rebus ſuis: &c: „ Hactenus ille.

Ex quibus omnibus ſtilo licet exoleto propoſitis, & pius Brocardi animus poterit colligi, & converſionis annus & locus, & qua ratione ſuæ equidem velificaverit imagina- tioni, atque ab enthuſiasmo haud abhorruerit, ſed ab omni tamen dolo fuerit alieniſſimus; Porrò, quo pacto in Inquiſitionis tribunal fuerit raptus, ex quo, deinde quod liberatus fuerit, partim ex reliqua ejus vita, fatis & ſcriptis ab eo editis, colligitur, partim ex diſertis verbis, quan-

Digitized by Google

quando teſtatur, *a*) *quod bene cupiat his qui ipſi maledicebant, & qui eum afflixerant in Inquiſitione.*

Ut ſe res habeat, BROCARDUS, licet Eccleſiaſticum munus obierit nunquam, tamen quod in ſtudio Biblico & prophetico, magnam vitæ partem triverit, conſtat, quippe qui & in eadem illa *Myſtica & Prophetica Interpretatione in Geneſin*, eò extremitatis progreditur, ut non dubitet, Moſaicam rerum geſtarum hiſtoriam *b*) in futurorum eventuum prædictiones permutare, adeò ut, de *Bello Hiſpanico*, de *Antverpia*, de *Philippo* Rege Hiſpaniæ, de *Principe Auriaco &c.* veſtigia in Geneſi mira ſagacitate ſibi detexiſſe videretur.

Ceterum, quod is patria extorris factus varias peragraverit regiones, variaque ſubierit fata, receptus à quibusdam, repudiatus ab aliis, laudatus ab his, culpatus ab illis, docemur *c*).

Quam ille autem bonis quibusdam viris, propter donum illud, quod ſibi obtigiſſe putabat propheticum, cœperit eſſe in admiratione atque honore, ſingulari quodam exemplo comprobat THUANUS; *d*) qui ita: „ Segurius homo probo & „ vivaci nec inerudito ingenio, ceterum credulo, ante aliquot „ annos, dum in Belgio eſſet, arctam familiaritatem cum *Jacobo Brocardo* Subalpino coluerat, vaticinationum argutias „ ad inſaniam ſectante, cujus & ſcripta hujusmodi vanitatis „ plena, ille poſtea ſumtibus ſuis publicanda curavit. Ab eo

a) In Præfat. laudata pag. ult.

b) Rectè igitur VIGNIERIUS in Theatro Antichriſti l. c. dicit. „ Car encor qu'il ne s'eloigne pas de la pureté de la „ Doctrine Evangelique & de l'analogie de la Foi, il s'ecarte „ trop ſouvant du droit but du texte & du ſens literal, pour „ ſuivre une interpretation myſtique.

c) Vid. BAYLE dictionair. l. c.

d) THUANUS Hiſtoriar. lib. LXXIX. ad ann. 1583. Tom. IV. p. m. 194.

Digitized by Google

„ cum accepiſſet, locis ſcripturæ, ut dictis fidem faceret,
„ ad id detortis, fore, ut non ita multos poſt annos, Pontifex
„ à Principe Proteſtante de fede deturbaretur, isque prin-
„ ceps, *caput concordiæ chriſtianæ* futurus eſſet, eum prin-
„ cipem inſito erga herum ſuum affectu, protinus *Navar-*
„ *rum* fore, ſibi perſuaſerat, eoque majore ſtudio & ardo-
„ re, pro auctoritate, qua in aula Navarri pollebat, legati-
„ onem eam, cui & obeundæ ſe obtulit, promovit, quæ
„ alioqui absque hoc ſecreto ridiculo, quod tandem emana-
„ vit, & ab adverſariis poſtea in Germania ipſi impropera-
„ tum eſt, tanquam in ſpeciem utilis & neceſſaria multis
„ probabatur.

Interea A. 1581. & 1582. cum etiamnunc in Belgio verſaretur *Brocardus*, & Eccleſia Gallicana in Synodo *Rupellenſi* congregata & Eccleſia Belgica in Synodo *Mediobur-genſi* coacta, ſemet ei oppoſuerunt, atque hæc Scripturam S. interpretandi, atque ex iis ſpecialiora prædicendi conamina, prorſus improbarunt, uti *Middelburgenſes* cumprimis *a*) Brocardum per *Lambertum Danæum* Theologum Leidenſem & *Martinum Lydium* Theologum Amſtelodamenſem, de hac περιεργια & vertigine monendum cenſuerunt; Dum *Rupellenſes* adhuc graviora quoque in eum *b*) decreverunt. Enimverò, relicto Belgio, Bremenſes adiiſſe, atque ibi A. 1585. denuò illam *in Geneſin Exegeſim* edidiſſe, ex propria ejus addiſcimus Epiſtola.

Sed, quamdiu apud eos verſatus fuerit, vix aſſequi poſſumus,

a) Conf. *Acta ejus Synodi* Mediob. & *Lamb.* DANÆI Prolegom. ad Comment. in Prophetas minores. p. 33. qui tamen obſervat, *quam Brocardus tum infelicem ingenii ſui partum damnaverit & abdicaverit*, variisque rationibus editionem ſcriptorum ſuorum excuſare fuerit anniſus.

b) Vid. BAYLE l. c. p. 671. Lit. E.

Digitized by Google

mus, ſiquidem abinde quod ſe Norimbergam receperit, docemur *a*), uti BONGARSIUS in Ep. ad Camerarium A. 1591. ſcripta, *Norimbergenſium* erga eum *charitatem atque hoſpitalitatem*, ſimul verò ipſius *Brocardi ingenium & mores*, extollit. & A. 1593. Camerarii deprædicat erga Brocardum benevolentiam, ipſumque virorum bonorum favore dignum judicat. *b*)

Eundem A. 1594. adhuc in vivis fuiſſe, patet ex Ep. Bong. d. 16. Nov. 1594. ad Camerar. data, ubi ita: *Je ne puis auſſi m' empecher de vous rendre graces, de tous les bons offices que vous avez rendus au bon-homme Mr. Brocard, qui eſt un tres-homme de bien, quoiqu'il ne ſoit pas heureux . . . . . celui qui voit tout du ciel, ſera votre recompenſe.*

Ceterum, & eundem propria manu ad Reginam Angliæ Eliſabetham, Scriptum quoddam exaraſſe, obſervat *Florim. de Remond.* de l'Antechriſt, Chap. IX. n. 53. fol. 53. Uti VIGNERIUS in Theatro Antichriſti p. m. 203. ejus cum laude meminit, ac de dono prophetico ipſi conceſſo, judicium ſuſpendit magis quam ut illud improbet.

AN-

a) Vid. les Lettres de Mr. *Bongars* pag. m. 104: „ J'ay appris que votre Republique a reçu favorablement le bon „ vieillard *J. Brocard*, qui en ſa jeuneſſe a paru entre les „ plus polis & les plus ſavans. J'ay eu de la joye depuis „ peu de le voir dans votre ville, & je m'en tiens obligé „ à Mr. Baugar. C'eſt ainſi que vous vous amaſſez un tre„ ſor au ciel.

b) BONG. l. c. p. 238. „ J'aime de tout mon coeur cette affection ſi particuliere que vous temoignez pour le bon „ Monſieur Brocard. Il merite certes, que les perſonnes „ d'une probité auſſi grande que la votre, prennent ſoin de „ ſes intereſts. Pour ce qui eſt de moi, il me reſte peu de „ moyen de l'obliger. Je remue ciel & terre pour le faire „ payer de trois cens écus d'or, que Monſr. de Segure luy a „ laiſſer par ſon teſtament, &c.

Digitized by Google

ANTON. BRUCCIOLUS.

Magnum certé inter claros Florentinos, qui Seculo XVI. Italiam illuſtrarunt, atque Græci Hebræique ſermonis fuere peritiſſimi, ſummoque ſtudio Theologiam Biblicam promoverunt, nomen fuit *Antonii* BRUCCIOLI, cujus labores Biblici, plus Evangelicæ doctrinæ in Italia promovendæ profuerunt, quam aliorum multorum, cum Pontificiis ferventiſſimè licet inſtitutæ diſputationes ac velitationes litterariæ.

Neque celebritati nominis ejus quicquam derogat, quod qui res Florentinas ſcripſerunt, & cumprimis *Michaël Poccianti a*) ac *Julius Negri b*), velut in tranſcurſu ſolum, ac parciſſimam ejus fecerint mentionem, quod & de DONIO tradit FONTANINI *c*);

Quippe cum ſatis ſit notum, quam hi tales, hæreticorum qui ipſis dicuntur, nomina, æternæ potius oblivioni quam memoriæ mandanda ſciſcant.

Neque deinceps, ejus exiſtimationi, qua Vir Doctus & pius habetur, officere poteſt, quod tamen frequens ipſi fuerit commercium literarium cum *Petro Aretino d*), cujus impietas magis omnibus eſt nota, quam ut pro pio venditari queat; Uti

a) POCCIANTI in Catalogo ſcriptor. Florentinor. p. 18. *Ant. Bruccioli literarum tum Latinarum tum Græcarum peritus urbem Florentiam & ipſe ſuo diſertiſſimo ingenio decoraſſet, ſi ſacris profana non admiſcuiſſet; Quam ob cauſam à Sacra Tridentina Synodo ſingula ipſius Opera damnatu fuerunt, ac in prima reprobatorum autborum claſſe collocata. vixit* 1550.

b) NEGRI in hiſtoria Scriptor. Florentinor. p. 56. teſtimonium profert SCHELHORN. in *Recreat. Eccleſ.* Tom. I. p. 655. qui & *Bruccioli memoriam* eod. Tomo P. III. pag. 380 & ſq. egregiè illuſtravit, & *Scriptorum Bruccioli* recenſione mirifice ſibi literatum orbem devinxit.

c) Conf. SCHELH. l. c. ubi dicitur quod Doni, *ſcarſamente*, i. e. parce admodum, Bruccioli mentionem fecerit:

d) Vid. COLOMES in Italia Orient. pag. 60.

Digitized by Google

Uti enim non potuit Jo. Caſæ familiaritas, Flaminio, Vergerio, ac Palcario, aliisque officere, ita nec Aretini familiaritas Brucciolo fraudi quod fuerit, dici poteſt. Sed &, multò adhuc minus, quod de eo refertur *a*), eum Venetiis cum in captivitatem datus eſſet, damnatum fuiſſe, tanquam *qui nec male nec bene de Deo loquatur*; In quos enim ſemel hæreſeos ſuſpicionem devolverunt, eos ab omni religione vacuos ut plurimum judicant.

Fuit autem BRUCCIOLUS, ſub finem Seculi XV. *Florentiæ* natus, ibique in juventute optimis diſciplinis inſtitutus, præceptore uſus *Francisco Cataneo* DIACCETO, qui id temporis in Florentino Athenæo Rhetoricam profitebatur, commilitonibus, variis Juvenibus, pro libertate patria adverſus factionem Mediceam decertantibus, ac inprimis, Aloyſio *Alamanno*, Jacobo *Diacceto* & Zenobio *Bondelmontio*.

Enimvero, illæ factiones Florentinæ effecerunt, ut ipſe Juvenis adhuc, jam A. 1522. patriam non ſine vitæ periculo relinquere, ſeque primo in Galliam, deinceps in Germaniam recipere, ibique tutum ſibi quærere refugium *b*) debuerit.

Inde tamen redux in Italiam, non ita multo poſt, *Venetiis*, *Dialogos Philoſophicos* A. 1526. lingua Italica fol. edidiſſe, ac *Maximiliano Sforziæ*, patrono ſuo ac in exilio Mæcenati, dedicaſſe *c*), refertur.

Interea verò, cum prævaleret apud Florentinos iterum factio Medicea, eundem A. 1529. in captivitatem datum fuiſſe, docemur, atque etiam pro *Lutherano* habitum, ex eo potiſſimum argumento, quod clero ſe opponeret, & monachorum mores acri ſale perfricaret *d*), à quibus, vel ea

a) Vid. Carol. MOLINÆ in collatione Evangeliorum p. 142.
b) Conf. VARCHI in Hiſtor. Florentin Lib. VII. p. 211. apud SCHELHORN. l. c. pag. 385.
c) Vid. SCHELHORN. l. c. T. I. P. IV. pag. 648. 649.
d) Ibid. p. 387. & 389.

Digitized by Google

propter dignus judicabatur, qui in jus vocatus, poenas capitis lueret.

Neque certè illam effugisset poenam, nisi, amicorum quorundam ope inde liberatus, atque tum, altera vice solum patrium vertere coactus fuisset, quando Venetias, una cum *Francisco Doni*, *Jacobo Nardi*, atque aliis quibusdam, migrasse dicitur, nec in patriam reversus unquam; siquidem in *Venetorum* urbe, ceu in altera sua patria, reliquos Libros inde ab A. 1530--1556. ediderit, variaque ratione nominis celebritatem fuerit consecutus, dum interea fratres ejus sive cognati, *Franciscus* & *Alexander Bracciboli*, non minus apud Venetos officinam typographicam exercerent, suaque adeo opera, reipublicæ litterariæ & Ecclesiæ commodo inservirent.

Fuerunt autem *Antonii* nostri in *Scripturam S.*, quam in linguam Italis vernaculam transtulit, studia ac labores, luculenta pietatis in Deum & homines documenta, homine Christiano maximoperè digna, quæque ejus memoriam posteritati concelebrandam æternitati consecrarunt.

Sic enim, ejus extat *Translatio Novi Testamenti Italica*, quæ jam A. 1530. Venetiis prodiit, &, à Gulielmo Rovillio dedicata *a*) est, *Hippolyto Estensi*, Cardinali Ferrariensi Archiepiscopo tum Lugdunensi, quam editionem servat *Bibliotheca* Regia *Berolinensis*.

Legitur ejus quoque Versio & Explicatio *Proverbiorum Salomonis*, lingua Italica, dedicata viro summo *Alphonso Davalos*, atque Venetiis edita A. 1533. 8.

Sed &, simili ratione *Librum Jobi* A. 1534 edidit, ad *Margaretham* Navarrenam, quam *oppressorum Christianorum refugium* celebrat; *b*) porrò, *Psalmos Davidicos* & Epi-

a) Vid. BAUMGARTEN Biblioth. Halle Germ. T. II. p. 101. Conf. SCHELHORN. Recreat. Eccles. T. I. p. 644.
b) SCHELHORN. l. c. p. 406. 407.

Digitized by Google

Epistolas Paulinas, etiam. ad *Herculem Gonzagam*, Cardinalem Mantuanum:

Quid? quod Ejus extet *plena totius S. Scripturæ Translatio*, variis annotationibus illustrata, Venetiis 1546. fol. in septem Tomos distributa *a*), atque à fratribus Bruccioli impressa, quæ, quanto in pretio fuerit habita, & quantum adtulerit emolumenti, omnibus iis, qui per omnem Italiam dispersi, Evangelio *b*) clam palamve, adhærebant, verbis ferme exprimi nequit, atque in ipso Opere jam est observatum.

Quamvis igitur, ab Ecclesiæ Rom. communione publica discessus Bruccioli apertus, non communeraretur, unde & *Simonius*, & *Le Long*, eum inter Catholicos Interpretes recensent; Tamen & illa Translatio Novi Test. inter Libros prohibitos primi ordinis *c*) relata, & gravi censura damnata in Indice quoque Tridentino, & reliqua ejus Scripta, non edita solùm sed & edenda, publice prohibita, satis arguunt, quam meritò à nobis in numerum Italorum Reformatorum *d*) referatur, inprimis, cum omnis generis Versiones vernaculas ubivis in Præfationibus suis laudet atque inculcet: Certè, Eminentiss. QUIRINI, Cardinalis *e*) diserte profitetur, quod sit necesse, ut à translationibus illis sibi caveant catholici, quod sanctè etiam monuerit Cl. Præsul *Justus* FONTANINUS, in Opere *dell' Eloquenza Italiana* pluribus locis:

Dedicationes etiam Operi Biblico per partes edito præmissæ, nos dubitare non sinunt, quod Brucciolus Protestantium

a) BAUMG. Biblioth. Hal. Tom. V. p. 97. Conf. Operis hujus §. X. p. 14. 15.

b) FONTANINI disertis verbis dicit „ Bruccioluм Biblia „ exposuisse *alla Lutherana*:

c) Sic enim *Scipio* MAFFEI apud SCHELHORN. l. c. p. 496. *l'Autore è dannato di prima classe, e nelle prefazioni parla da Protestante.*

d) Conf. *Florilegium nostr. libr. rar.* n. 51.

e) In *Prolegom. ad Epp. Reg. Poli* Tom. I. c. V. p. 201 sq.

Digitized by Google

doctrinæ fuerit addictus; Uti vel eapropter, prima ab ipsis Reformatis *Genevæ* procurata Bibliorum Editio Italica apud Franciscum *a*) Durone, 1562. 4. fuit ipsissima illa Bruccioli Versio.

Sunt autem illarum Dedicationum quædam, directæ, *alla Serenissima Madama la Delphina*, per quam Cl. *Baumgarten* intelligit *Renatam* Ducissam Ferrarienſem, sed minus rectè, uti Cl. *Schelhornius b*) observat, qui *Catharinam Medicis*, Delphini Galliæ, postmodum Henrici II. Regis, uxorem, intelligit.

Tomo quarto est præmissa Dedicatio ad *Hippolitum Estensem*, Cardinalem Ferrarienſem, & singularem Bruccioli fautorem, & Tomo VI. ad *Cosmum Mediceum*, Ducem Florentinum, & septimo, ad *Giovanni di Nale Ragugeo*, quem propter singularem ergà veritatem Evangelicam agnitam zélum, laudibus concelebrat, sicque & hunc *Italum* nobis exhibet *Reformatæ doctrinæ* addictum, ejusque sectatorem & promotorem strenuum.

Ceterum, idem ille *Brucciolus*, quoque Aristotelis Scriptum Περι γενεσεως και φθορας, in Italicum sermonem *c*) transtulit.

Quin imò, exstant Ejus Dialogi de philosophia Ethica (dialoghi della morale filosophia) Venet. 1538 4. editi. Ex quibus quædam nobis excerpta salivam moventia, dedit *Angelus Maria* QUIRINI *d*), Cardinalis.

Sed &, quamplurimos *Hieron. Savonarolæ* sermones, quod sub auspiciis suis edendos curaverit, ex Catalogo librorum ejus à SCHELHORNIO *e*) confecto, colligitur.

Qui

a) Vid. ENGEL Catal. libr. rar. pag. 17.
b) BAUMG. Biblioth. Hal. pag. 95. SCHELHORN. loc. cit. p. 416.
c) Vid. BAILLET *Jugemens des Savans* Tom. II. P. III. p. 578.
d) QUIRIN. in Prolegom. *ad Epistolas* Reg. Poli T. I. c. V. p. 301 sq.
e) Vid. SCHELHORN. *Recreat. Eccles.* T. I. P. IV. p. 643 sq. & p. 651.

Digitized by Google

Qui idem commemorat *Bruccioli* librum, ſub titulo: *Ant. Bruccioli Sermoni XXII.* quibus adjuncta ſit Epiſtola *a Renata di Francia, Ducheſſa di Ferrrra, intorno a Chriſto* Venezia 1547. 8.

Quid? quod, ipſe quoque *Hymnis Spiritualibus* & Canticis conficiendis, otium ſuum impenderit, animumque celebrandis *b*) laudibus divinis relaxaverit, ſuamque pietatem ita teſtatam fecerit.

Uberiorem verò, cum ipſius hujus Viri præclari, tum Librorum ejus notitiam, nobis idem ille, quem toties laudavimus ſuppeditat Cl. SCHELHORNIUS, in Collectione pulcherrima, quam ſub *Recreationum Eccleſiaſticarum* nomine, lingua Germanica, nuper admodum publicavit. Ubi tamen nullam facit mentionem, libri, cujus titulum mihi benevolè communicavit Cel. WESSELINGIUS, Polyhiſtor Trajectinus, *Pia eſpoſitione di* Antonio Bruccioli *ne dieci precetti, nel Symbolo Apoſtolico, & nella Oratione Dominica, dove ſi ha, quello che ci comandi Iddio, quello che ſi debbe credere, & come ſi debbe orare.* In Venetia nel MDXLII.

JORDANUS BRUNUS.

GIORDANO BRUNO, à patria, *Nola* regni Neapolitani, *Nolanum* dictum, ac inter Philoſophos Italos ceteris excellentem, cum non defuerint, qui inter *Italos Reformatos* recenſerent, ejus equidem nomen reticere, non poſſumus, quanquam, quo minus his adſentiamur, faciat accuratior ejus vitæ ac dogmatum delineatio, à *Bælio, Croſio, Jordano, Zimmermanno, Bruckera, Chaufepié*, & aliis inſtituta, quæ, ad ſummum, ingenium ejus ſubtile ac præclarum, placitorum ſublimitatem, atque animum excelſum, imperterritum & er-

b) Vid. Cl. SCHELHORN. l. c. p. 657. ubi Cl. HERMANNI Diſſertatio legitur, de Bruccioli Canticis Spiritualibus *delle Amore divino Chriſtiano*, atque ex iis quædam adducuntur ſpecimina, unctionem ſpirantia.

Digitized by Google

errorum contemtorem ſtrenuum, imò, ſatyricum acerrimum, arguunt, non verò etiam, quod Evangelicæ Veritati, aut Religioni Proteſtantium, ſemet addixerit, aut verò etiam, (quò tendere videtur Clar. HEUMANNUS in Actis Philoſoph. Part X. & XI.) pro ea martyrium ſubierit, comprobant:

Non ignoramus quidem, quod inter alia in Oratione conſolatoria, in exſequiis *Julii* Ducis Brunsvicenſis A. 1589 habita, ita ſemet ipſum fuerit allocutus *a*), *In mentem ergo, Itale, revocato, te à tua patria honeſtis tuis rationibus atque ſtudiis pro veritate exulem, hic civem; ibi gulæ & voracitati lupi Romani expoſitum, hic liberum; ibi ſuperſtitioſe inſaniſſimoque cultui adſtrictum, hic ad reformatiores ritus adhortatum.* Sed, in his verbis, nihil aliud contineri, ſatis apparet, ac recte jam ab aliis eſt obſervatum, quam quod ſuam ſentiendi intemperantiam & dicendi libertatem, plenius explicare potuerit in Germania, quam in Italia, gaviſus, imprimis tum temporis, favore ac gratia Ducum Brunsvicenſium, qui eum huc illuc errantem, ad Helmſtadienſem Academiam A. 1589. invitaſſe dicuntur.

Deinde etiam, primus ejus, (cum ex Italia ſecedere deberet,) receptus, aut commoratio Genevenſis, A. 1582. per biennium, nil quicquam pro ejus Religione aut tranſitu ad Reformatos, conficit, ſiquidem non ita multo poſt abinde ſe tum quoque recipere, ſolumque vertere debuerit, quod ei nec Genevenſium placita, nec Genevenſibus illa Bruni libertas immodica, qua omnibus contradicere, nec ſacris parcere conſueverat, accepta forent.

Pariſiis equidem, poſtmodum A. 1586. cum novam eamque eclecticam philoſophiam traderet, inter philoſophiæ etiam Profeſſores ordinarios, facile locum inveniſſet, modo Miſſam fe-

a) Illa Oratio Helmſtadii 1589. habita, recuſa legitur in Cl. HEUMANNI actis philoſophicis T. III. p. 432 ſq. Conf. BRUCKER Hiſt. Crit. Philoſ. Vol. ult. p. 16. & p. 25. ubi hæc ejus verba afferuntur.

Digitized by Google

frequentare voluiſſet, quod, cum tenueret, idque ægrè ferrent Academiæ Doctores, inde quoque ſemet recipere coactus eſt. Sed, nihil exinde aliud colligi poteſt, quam, quod Pontificiorum ſacra ita fuerit deteſtatus, ut ad ea reditum, animo ſuo imperare nequiret, non verò etiam, quod noſtra unquam fuerit amplexus, aut quod ſanctioribus vinculis ſemet religari paſſus fuerit unquam.

Et, quamquam ita videatur, quaſi, quem deinceps apud Britannos edidiſſe dicitur, liber, *de Beſtia a) triumphante*, famoſiſſimus, potiſſimum adverſus Pontificem Romanum ſit directus, tamen exploratum eſt, quod, ſimul infandâ illâ Satyrâ Chriſtianam religionem ipſam exagitare voluerit, ac deteſtabilem ſuam prodere impietatem, qua, cum nullam cum ſuo ſyſtemate conciliare poſſet religionem, omnem potius repudiare non eſt veritus, quam ut à ſuis abſtineret placitis, aut ea miſſa faceret.

Memorabilia certè ſunt verba Cl. BAJERI, *b)* Quando ſcribit: *Perluſtravi libellum & obſtupeſcere coepi ad verba, quibus Fidei Chriſtianæ præcepta videt; Impoſtoris ſæpius vocem repetit, applicatione ad tres Legislatores inſulſe ac impie facta. Religionum genera exſibilat, virtutes in coelum inter tot gentilium ficta numina evehit, ut hominum circa virtutes ſtudium prorſus inutile pronunciare poſſit. . . . . Evolventi libellum ipſum, occurrerunt loca nonnulla, in*

a) Titulus eſt *Spaccio de la Beſtia trionfante* &c. ſtampato in Parigi 1584. 8. Non autem eſt, cur Cl. HEUMANNUS etiam num ejus libri autor ſit BRUNUS? dubitet, eſt enim ſatis evictum, eundem, nec quenquam alium, pro auctore haberi debere. vid. JORDAN. in Vita M. V. de la Croze. pag. 165.

b) BAYER Memor. Hiſt. Crit. libr. rariot. p. 219 ſq. ubi latius & magno cum eruditionis apparatu de impio hoc Sctipto egit. Conf. LA CROZE Entretiens ſur diverſes ſujets p. 326. & HEUMANN. Act. Philoſ. T. II. p. 404. ſq. itemque ENGEL. in catal. libr. rar. p. 28.

Digitized by Google

in quibus vitam æternam & immortalitatem derisui habet. &c.

Ut se res habeat: Eundem, cum per aliquot annos varias Germaniæ Academias ac civitates peragrasset, Galliam quoque & Angliam adiisset, neque tamen tutum satis ullibi perfugium inveniisset, aut diu subsistere alicubi potuisset, tandem Italiam, A. 1592. sive animo desultorio actum, sive quod mira anima confidentia, periculum ipsi imminens contemneret, repetiisse, certum est; Ubi tandem *Venetiis* A. 1598. ab Inquisitione prehensus est ac carceri inclusus, sicque post carcerem biennalem *Romæ* ferali rogo impositus, miseram exhalavit animam A. 1600. d. 17 Febr. Quod tamen, num blasphemiæ, quam eructaverit, causa, fuerit factum, uti SCIOPPIUS in Ep. ad *Rittershusium* prodidit, quasi ob atheismi & impietatis culpam ultrices flammas perferre debuerit? an verò, ob desertum Ordinem (fuerat enim antea Dominicanus) & defectionem, cujus accusabatur ad Lutheranos *a*), ita ut paradoxæ opiniones tantum ad emolliendam horrendi supplicii invidiam fuerint adductæ? non facilè definiri potest:

Id verò constat, eum, nec inter Italos Reformatos mereri locum, nec tamen etiam, pro incrustatore Atheismi, aut impietatis Spinosisticæ patrono, haberi posse; quippe qui etiam nomini suo illud *Philothei* præfigere non erubuit; Quin potius, in Deistarum ac irreligiosorum philosophorum diptycham referendum. Scripta autem ejus omnia, ineluctabilem præ se ferre & obscuritatem & confusionem, sint licet rarissima,

a) Conf. Clariss. DN. CHAIS, in libro, cui tit. *Lettres sur les Jubilés & les Indulgences de l' Egliſe Romaine* Tom. I. pag. 230. 231. qui & ipse, eum à Clemente VIII. censet ob Lutheranismi suspicionem ad ignem fuisse condemnatum eodem empore, quo mille aliis gravissimis peccatoribus Indulgentiæ Jubilares pro more Pontificalis Ecclesiæ concedebantur. Conf. BRUCKER Hist. Crit. Philos. T. V. p. 19. &sq.

Digitized by Google

sima, ac in instructissimis quoque bibliothecis minimè obvia, non est, quod inficias ire quis possit.

Ceterum, ut notabili quadam Epistola *Jani Vincentii* GRAVINÆ hunc articulum claudam, operæ videtur pretium. Ea ita se habet: *a*)

J. Vinc. *Gravina*, J. Baptistæ *Anciono*, Vindobonam.
S. P. D.

De *Jordano Bruno*, quod quæris accipe. Nolanus is fuit, Dominicanæ familiæ monachus, qui ab Aristotele transfugit ad Pythagoram, contractasque scholarum sordes in auream seculi elegantiam commutavit. Opere suo Lucretium, imò & Parmenidem, vetustioresque sapientes imitatus: qui mortalia eorum inventa, ut attollerent, sermone Deorum immortalium, linguaque oraculorum, nempe Poësi, ea proferebant. Latinis versibus plura conscripsit, quibus oratione soluta explicationes subjecit, quo de fonte autumant & hausisse Cartesium sua: quod nos ægrè concesserimus. Siquidem, ut argumenta rerum sumserit, & sententias veterum Pythagoræorum in illustriorem lucem à Jordano revocatas, atque Cartesius tetenderit eodem, iter tamen suum instituit alia prorsus via. Etenim, Cartesius non tam rerum, quam rationis atque ordinis nexusque novitate præcellit, & præsertim perspicuitate, quam Jordanus, auctorum suorum exemplo, velamentis numerorum obumbravit. Plura ejus Opuscula, sparsim edita, reperire non alibi licuit, quam in Archi Gymnasii nostri bibliotheca, quæ beneficio summorum Pontificum, celeberrimos Urbinatium Ducum codices impressos recepit. Totis ille voluminibus veteri philosophorum fastu contemnit humana, utinam non & divina! Extat inter hæc, perexiguus, sed multi ponderis libellus, vernaculè scriptus, occurruntque per ejus opuscula, plures vernaculæ cantiunculæ, philosophiæ luminibus

a) Hanc nobis conservavit in eruditissimo suo *Dictionario* Vener. CHAUFEPIE Vol. II. fol. 460. unde eam decerpsimus.

Digitized by Google

bus mirè coruſcantes, referentesque priscam Italici ſtili majeſtatem. Dum tamen ſæpe ac diligenter ejus opuscula pervolverem, nunquam, quod meminerim, occurrit mihi liber abs te indicatus: niſi ejus exemplaria, undique forteſſis collecta, cum auctore capitis damnato ignique tradito, conflagrarint. Siquidem periit ille, pari cum aliis multis ejus ætatis eruditiſſimis Italorum infortunio, qui, cum exteris ſacræ antiquitatis hoſtibus clam coiverunt, quique philoſophiam cum religione componere minime ſategerunt, ſtudiaque ſua magis ad evertendam ſacerdotum dominationem, quam ad fructum literarum, nempe ad tranquillitatem ſibi procreandam, non minus impie, quam ſtultè detorſerunt; inermes auſi, quod armati perhorreſcunt. Alterius libri, tantum titulum, turbandis animis prodiiſſe arbitror, cum neque in illum, neque in teſtem ejus aliquem inciderem.

Tu, ſi *Orationes noſtras* perquam emendatiſſimè, ac longè diſſimili noſtrarum *Originum* fato, imprimendas curaveris, brevi tibi à nobis non ſolum *de Indictione* tractatum, ſed abſolutum nuper *de Imperio Romano* librum, tuo arbitratu edendum polliceor. Vale Romæ VII. Kalend. Febr. MDCCX.

ANGELUS BUONRICIUS.

Et hunc ANGELUM, inclyta *Venetorum* Respublica nobis dedit, Veritatis Evangelicæ ac Pietatis promotorem eximium.

Quod enim, eundem inter *Reformatæ doctrinæ* aſſeclas & fautores recenſemus, facit, egregius ille quem Venetiis 1565. in 4. edidit Liber. *) Sub titulo: *Le chriſtiane & devote parafraſi ſopra tutte l' Epiſtole di S. Paulo & le Canonice, del Reverendo don Angelico Buonricio Venetiano, Canonico regolare della congregatione del Salvadore &c.*

Is

*) Conf. BAUMG. in relationibus *de Biblioth. Halenſi*, Tom. II. p. 104.

Digitized by Google

Is enim Liber, licet ab Inquisitione Veneta, mirum dictu, *a*) approbatus, peregregia continet purioris doctrinæ à Protestantibus adversus Papistas assertæ documenta:

Quò inter alia verborum ad Rom. III: 28. hæc spectat Paraphrasis: „ Inde quotquot Christiani sumus, meritò credi-
„ mus, unumquemque & salvari & justificari, absque præviis
„ legis operibus, per solum fidei medium: Non, ac si inde
„ concluderemus, quod qui in Christum credunt non tene-
„ antur ac obstringantur ad studendum sanctis, deoque devo-
„ tis & bonis operibus, sed eo respectu, ne quis sibi persua-
„ deat, aut credat, se per opera bona ad Justificationis be-
„ neficium pertingere posse, cum fides demum eam impetret,

a) Enimverò, haud semel contigit, ut Censorum Pontificiorum cura, non satis acurum videret, in libris, qui in eorum manus incurrerant. Cer è *Psalterium* MAROTI & BEZÆ Antverp. 1564. 12. lingua Gallica impressum, gaudet privilegio Censorum, qui dicunt, *nihil in libro, quod fidei catholicæ sit adversum, reperiri*: Et, leguntur tamen in Expositione poëtica Decalogi, hæc verba.

Tailler ne te feras Image,
De quelque chose que le soit;
Si l' honneur lui fais & l' hommage,
Ton Dieu jalousie en reçoit, &c.

Quid? quod *Lucilii* VANINI Liber atheisticus, sub titulo *Dialogorum* publicatus, Parisiis 1616. 8. non solum cum privilegio Regio, sed & cum approbatione Facultatis Theologicæ Parisiensis, prodierit, quæ ita se habet:

Nos subsignati Doctores in alma Facultate Theologica Parisiensi fidem facimus, vidisse & legisse dialogos JULII CÆSARIS VANINI, *Philosophi præstantissimi, in quibus nihil Religioni Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ repugnans aut contrarium reperimus, imo ut subtilissimos, dignissimosque, qui typis demandentur.* Paris d. 20 Maji 1616. Est autem *Julii Cæsaris* nomen, *Vanini* adoptivum, cum in baptismate, *Lucilius* fuisset appellatus. Conf. Cl. CHAUFEPIE in dictionar. Vol. IV. fol. 561. 562. 563.

Digitized by Google

„ ſiquidem bona opera in juſtificatis, ejus juſtificationem ſe-
„ quantur, non autem antecedant.

Atque eodem modo reliquæ Epiſtolæ Apoſtolicæ tractantur, ut veritatis fulgidiſſima inde decerpere nobis liceat teſtimonia, eumque in diptycham Italorum reformatorum referre.

Ex *Bibliotheca* autem *ſacra Le* LONG Vol. II. p. 657. liquet, *Buonricium* quoque Congregationis ſuæ factum fuiſſe Superiorem Generalem; Et, Eundem A. 1569. *Evangelia Matthæi* & *Johannis*, ſed A. 1584. *Pſalmos*, paraphraſticè expoſuiſſe.

Enimverò, hæc omnia in regionibus noſtris, albis corvis ſunt rariora.

ANTONIUS CARACCIOLA.

Nihil hoc Epiſcopo, nobili licet ac illuſtri familia nato, ac variis præterea ingenii & eloquentiæ donis inſtructo, fuit magis inconſtans ac verſatile; Eventus tamen edocuit, quod res Reformata, majora per ipſum ceperit incrementa, quam ut per ejus mutabilitatem, atque non unam à fide defectionem, paſſa ſit detrimenta.

Fuit autem *Johannis Caraccioli* Principis Melphenſis filius, quique capropter ſub Melphenſis vel *Melphitani Principis* nomine venire ſolebat: Is cum ad ſacra ſe applicaſſet, ac primò Abbatem S. Victoris apud Pariſienſes egiſſet, A. 1551. Episcopatum nactus eſt in Campaniæ Gallicæ metropoli, dicta *Tricaſſeis* (vulgo *Troyes*); ſed cum Reformatæ doctrinæ guſtu jam dudum eſſet imbutus, ac Calvini Inſtitutionem aliosque Proteſtantium libros, ſedulò legiſſet, dicitur, quod inde à principio veritatis luce colluſtratus, ejus doctrinam liberius ſit confeſſus, ac concionando (ſecus ac ordinariò conſueverant Epiſcopi,) graviter admodum ac frequenter in Romanæ Eccleſiæ abuſus invexerit *a)* niſi quod, ſolam, quæ maximum Papa-

a) BEZA Hiſt. Eccleſiaſt. Vol. I. p. 81. Le nouvel Evesque *A. Caracciol*, (ſurnomme *le Prince de Melphe* à cauſe de ſon pere) lequel ayant eté de long tems, inſtruit en la doctrine

Papatus fulcrum eſt, Miſſam, relinqueret intactam. Ea verò diſerti oris libertas, ac veritatis profeſſio publica, uti non poterat non varios ciere affectus, ita nonnulli ad Evangelicam veritatem convertebantur, alii fremere, & quovis modo Evangelio ſe opponere, ipſumque à tramite recto deducere Epiſcopum, non cautè ſatis à tentationibus & carnis illecebris ſe caventem, atque Libertinis *a)* quibusdam nimium patulas aures præbentem; Unde &, anno ſequenti fiebat 1552. ut ex ſuggeſtu, palam à veritate faceret divortium, quæ dixerat retractaret, ac ad ſordes errorum Pontificiorum regrederetur, non ſine multorum, qui cum ædificatione eum primò audierant, ſcandalo, quanquam vel ita tamen, ne quidem ſequentes ejus conciones omni fuerint fructu deſtitutæ, ſicque Evangelium apud Trecenſes ſive Tricaſſenſes, ſatis ſelicem habuerit ſucceſſum.

ſtrine de verité, monta auſſitot en chaire, preſchat avec une grande grace & fort librement contre les abus de l'Egliſe Romaine, horsmis qu'il ne touchoit à la matiere de la Meſſe; & furent ces premiers Sermons pour lors de grande edification, chacun accourant, les uns, par curioſité, n'ayans jamais vu preſcher un Evesque, les autres, esmus d'une bonne affection.

a) BEZA lib. cit. p. 86. ita: L'an 1552. *l' Apoſtat Morel intimida tellement l' Evesque de Trois, qui jusqu' alors avoit aucunement continuè de bien faire, qu' à la ſolicitation de deux Moines, entendeurs quant à la doctrine, mais vrais libertins quant à la vie, ... il ſe desdit en pleine chaire .... Mais Dieu y pourveut tellement, que la petite aſſemblée ne laiſſa de demeurer en ſon être &c.*

Commentarii *Eccleſiæ Trecenſis*, apud MARTENE & DURAND in Collect. Vet. Scriptor, & Monumentor. Tom. I. col. 1615. 1616. ita de hac cauſa annotarunt: „ „ Nec multo poſtquam Trecenſis epiſcopatus poſſeſſionem „ iniviſſet, à fide Catholica defecit. Verum, cogente populo „ Trecenſi, in ſuggeſtu Eccleſiæ St. Johannis in foro hæ„ reſin palam ejuravit, Dominica ſexageſimæ anni 1552.

Digitized by Google

Interea, refertur, eum A. 1557. Romam profectum, ibique cardinalatum ambiisse, sed voto suo frustratum, rediisse in Galliam, quando in transitu per civitatem Genevensem cum *Calvino* & *Beza* contraxerit familiaritatem, *a*) ac redux factus denuò in Veritatis professione progressus fuerit, ac *Colloquio Possiaceno* A. 1560. in Gallia regiis auspiciis habito, interfuerit, ac inter eos sit recensitus, qui cum Doctoribus Reformatis privatim conferrent, nec ab ipsorum partibus essent alieni. *b*)

Neque verò etiam, quæ ibi inter Carolum Lotharingium & Theodorum Bezam, reliquosque utriusque religionis antistites, differebantur, apud ipsum fuisse videntur infrugifera. Iis saltem ejus animum ita fuisse commotum ac in melius conversum, docemur, ut abinde, ad Reformatorum religionem & coetum transitum fecerit, seque & eorum fautorem & patronum, quin verò etiam pastorem, in eorum ecclesia, præbuerit. *c*)

Est memorabilis eam in rem locus (*d* THUANI ubi de *Colloquio Possiaceno*, & dimissis ex eo ministris, ac præ ceteris *Petro Martyre* Vermilio, ita: „ Tandem dimissi Ministri, & honorificè „ inprimis Vermilius, qui Reginæ literis accersitus venerat: „ cum per Tricassis domum rediret, Jo. Antonium Carcaciolum „ Joh. Sergii, Melfiæ Principis, nostra ætate celeberrimi Du-

„ cis

a) Vid. CAMUSAT in Antiquit. Tricassinis fol. 251. apud *Prosp.*, MARCHAND in dictionar. fol. 154. & COLOMES; Biblioth. choisie n. 163. p. m. 473.

b) Vid. LANGUET Epistol. Secret. Lib. II. n. LX. p. m. 149.

c) LANGUET lib. cit. Ep. 63. p. 159. *Trecassium Episcopus, qui est filius Jani ..... defecit à suis, & adjunxit se nostris Ecclesiis, & publicè in urbe Trecassum testatus est, se probare eam confessionem fidei, quam nostri exhibuerunt Possiacenæ Synodo, jamque docet & administrat Sacramenta in nostris Ecclesiis. Ego spero eum brevi habiturum aliquos ex collegis imitatores.*

d) THUAN. Histor. l. XXVIII. ad. ann. 1561.

Digitized by Google

„ cis filium, civitatis episcopum, virum literis non medio-
„ criter ornatum invisit, qui Protestantium religioni addictus,
„ occulto favore, quo eos complectebatur, effecerat, ut
„ jam libere citra ullam molestiam coetus haberent.

„ Ei scrupulus injectus est, de Vocatione sua, quod non
„ ecclesiæ neque populi suffragiis electus esset; Itaque Pro-
„ testantium Ecclesiæ Seniores vocat, ut pie ac prudenter
„ dispicerent, an se eligere vellent ac pro episcopo habere?
„ neque quidquam gratiæ darent: nam si minus idoneum
„ existimarent, se libenter loco cessurum. Ita re inter eos
„ deliberata, omnium consensu electus & denuo ordinatus
„ loco episcopi sedit, in concionibus publice ad populum,
„ quibus eorum doctrinam sequebatur, habendis assiduus;
„ donec Præsules exemplum veriti apud Regem pervicerunt,
„ ut dignitate moveretur.

Cum his fere conveniunt, quæ eopse tempore *Petrus* MARTYR ad *Theod.* BEZAM, Tresis *a*) die 6 Octobris scribebat:

Die 5 hujus mensis Trojam (Troyes) salvi & incolumes pervenimus, ubi fratres unà conveniunt ad Deum pure colendum, idque pacifice atque tranquillè citra ullam adversariorum molestiam. Numerosa est admodum Ecclesia & indies augetur. Episcopus (is erat CARACCIOLUS noster) nos perhumaniter excepit, qui jam Christi regnum seriò promovet, nec tantùm suos oves ipse purè docet, sed, quia ei gravis scrupulus injectus est de sua Vocatione, quod in ea Ecclesiæ & populi electionem seu confirmationem non habuerit, ideò Seniores Ecclesiæ Reformatæ accersivit, rogavitque ut piè ac prudenter dispicerent, an eum vellent eligere, confirmare, ac pro Episcopo habere, quod si judicarent faciundum, se daturum operam, ut sicut cœpit ita pergeret, Ecclesiam sibi commissam docendo & hortando pro viribus ædificare

a) Vid. P. MARTYRIS Epistol. subj. ejus *Locis Communib.* pag. 582. b.

Digitized by Google

care & augere. Sin verò existimarent, eum minus idoneum ad tantum munus, libere atque apertè dicerent, se autem paratum esse loco cedere, modo ei liceat in Ecclesia Reformata vivere, juxta sanctam Evangelii disciplinam. Rogavitque, ut ea de re mature cum Ecclesia deliberarent: Quod cum factum esset, ab omnibus unanimiter, ut verus Episcopus agnitus est & receptus. *a*)

Quod verò, hæc ejus Conversio facta sit occasione *Colloquii Possiaceni*, non obscurè in Historia Ecclesiastica prodit BEZA *b*) qui simul tamen in fine narrationis suæ, quam à se ipso haud parum defecerit iterum, observavit *c*)

Uti, idem Beza, in progressu operis sui, hanc causam plus una vice *d*) repetit, ejusque temeritatem animique levitatem

a) Conf. LANGUET lib. cit. Ep. 64. p. 184. ubi ita: *Quæ nuper scripsi de Principe Melphitano, Trecassium Episcopo, videntur fore initia magni motus, nam quia est promotus ad ministerium in nostris Ecclesiis, omnes Ecclesiastici uno consensu eum oppugnant & conantur ipsi Episcopatum adimere . . . . . Habet patronos non parvæ auctoritatis, (& inprimis Condæum) quibus est gratum tale exemplum statui . . . accersitus est jam in aulam, ubi heri audivi eum concionantem, in ædibus Condæi, cum maximo applausu eorum qui sunt nostræ religionis.*

b) Histoir. Eccles. des Eglises reformées &c. liv. v. p. 767. *sur le fin du mois Septembre Messire Antoine de Caracciol Evesque de Troys revenant du colloque de Poissy, ou il avoit aucunement profité, estant aussi solicité par quelques Princesses & autres dames de la Cour, se presenta au consistoire de l'Eglise de Troys &c. &c.*

c) Verba BEZÆ hæc sunt, l. c. „ Ce neanmoins son Eve„ sché quitté, moyennant quelques pensions que la Reyne „ lui feit accorder, il se mit à prescher, ayant beaucoup plus „ de parole que de science: Mais il se porta tres mal depuis, „ comme il sera dit en son lieu.

d) BEZA ad ann. 1562. Vol. II. pag. 148. itemque pag. 246.

Digitized by Google

tem exagitavit, licet ſub vitæ finem, quem adtigit A. 1559. *a*) ad frugem denuò rediiſſe, ac ante actorum poenitentiam egiſſe *b*) referatur.

Scriptorum ejus brevem recenſionem nobis dedit, qui & omnem ejus in religione mutationem, & fata proſpera pariter ac adverſa, accuratè ſatis & prolixè expoſuit, *Prosper* MARCHAND in diction. voc. *Caracc.* à fol. 147-159.

GALEACIUS CARACCIOLA.

De GALEACIO CARACCIOLA, licet in ipſa quoque narratione hiſtorica non pauca obſervaverimus, *c*) tamen hic breviter ut quædam in compendio referamus, oportet.

Fuit is veteri ac nobili proſapia ortus, patre *Colantonio* *) *Caracciolo*, Marchione Vici; Matrem habebat ex illuſtri *Caraffarum* domo, *Petri Caraffæ*, qui poſtea ſub PAULI IV. nomine Pontifex Ro. fuit, vel ſororem, uti Thuanus, vel neptem, ut alii, referunt, natus A. 1517.

Unicus ille, Patris ex illa Matre filius, jam ex conſilio paterno, matrimonio ſibi junxerat *Victoriam* Ducis *Nucerini*, ex præcipuis Regni Neapolitani Dynaſtis, filiam, cum qua dotis nomine viginti millia aureorum accepit, uti paterni patrimonii annuus cenſus duodecim millia aureorum ſuperabat; Ceterum, hæc eadem Victoria, felici connubio ipſi juncta, eum fecerat ſex liberorum patrem.

Vivebat eo tempore Neapoli, nobilis ille Hiſpanus, *Joh. Valdeſius*, Veritatis Evangelicæ & cumprimis doctrinæ de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, Confeſſor, ac

a) Vid. Du BREUL. Antiquit. de Paris pag. 422.

b) Inde certè Du PINIUS in Biblioth. Eccleſ. de XVI. Siecle p. 1328. dicit, *eum in hæreſi fuiſſe mortuum.*

c) Vid. §. LVIII. LIX. pag. 104-112.

*) Id eſt, pro more Italorum prænomina contrahentium, *Nicolao Antonio.*

Digitized by Google

multorum inter Neapolitanos Magnatum ac Nobilium amicus ac familiaris: Is, uti cum *Joh. Francisco Caſerta*, itidem Viro nobili ac Galeacii noſtri affine, amicitiam contraxerat, ita uterque ex converſatione *Petri Martyris* Vermilii Florentini, ſed Canonici regularis apud Neapolitanos, puriorem Veritatis doctrinam imbiberat; atque adeò Martyr & Caſerta, quantum in ipſis erat, operam navabant, ut quoque *Galeacium* veritatis amore inflammarent: Neque ea res ipſis ceſſit infeliciter: *Galeacius* enim intra paucos annos, cum vix viceſimum quartum egreſſus eſſet A. 1541. ſua jam vota Evangelio addicebat, ad ipſos Scripturæ ſacræ fontes deductus, ex quibus ſolis aquæ ſalutis eſſent hauriendæ. Currenti tum calcar addebat *Marcus Antonius Flaminius*, magni nominis vir ac poëta celebris, data ad eum *a*) Epiſtola A. 1543. d. 14. Febr. Viterbio, bona piaque fruge pleniſſima, uti vel ex ſola colluceſcit clauſula, quæ ita ſe habet: „ Illuſtriſſima te „ ſalutat *Piſcariæ* Princeps, *b*) aliique qui mecum ſunt no„ biles, qui manus tibi deosculantur, Deumque devotè pre„ cantur, ut is te, quanto bonis temporalibus, fundis, vil„ lis, oppidis ditior es, tanto ſpiritu pauperiorem reddat, „ quò ſpiritualis inopia divinis & ſempiternis bonis locuple„ tiſſimum te reddat.

Vix autem ab altera parte, Galeacii propendentem in Veritatem Evangelicam animum cognoverant, Pater, Conjux, Amici ac Familiares, quin manibus pedibusque omnia obnixè agere inſtituerent, ne res in religione novas uti arbitrabantur, moliretur, aut gloriæ mundanæ uſuram ſibi tanta copia conceſſam negligeret, ac ſe tetrico pietatis rerumque ſacrarum ſtudio

a) Ea legitur ex tranſlatione Camerarii, in SCHELHORNII Amoenit. Hiſt. Eccl. T. II. p. 122. ſq. & in *Muſeo Helvetico* T. VIII. p. 527. ſq.

b) Ea erat *Victoria Columna*, Ferdinandi Davali, Marchionis Piſcarienſis coojux, de qua JOVIUS Hiſt. ſui temp. T. I. Lib. III. Conf. in Opere noſtro § LXXV. p. 157.

Digitized by Google

dio traderet, magno cum familiæ deſpectu, nec ſine graviſſimo, quod imminere ſuſpicabantur, ubi in hæreſi deprehenderetur, periculo:

At verò *Caracciola*, hiſce tricis exſolvi cupiens, non aliam commodiorem noverat viam, quam ut Germaniam peteret, &, cum in Cæſaris aula miniſtrum ſtatus ageret, eumque officii cauſa, non ita multò poſt in Germaniam ſequeretur, eaque occaſione ſimul, relicta Cæſaris aula, liberiorem ſibi veritatem addiſcendi ac profitendi occaſionem quæreret, partim lectione librorum Evangelicorum, quorum in Germania copiam habebat, partim ulteriore cum P. Martyre, qui tum jam Italiam reliquerat, converſatione ac inſtitutione: Sic igitur factum eſt, ut *Argentinam* ſe reciperet, tandemque, disrupto omni nexu carnali, in ipſo ætatis flore 1551. & medio fortunarum curſu, *Genevam* adiret, ibique, miſſis voluptatibus honoribus & gaudiis, Reformatorum ſacra amplecteretur, maneretque inde ab eo tempore usque ad ann. 1586. ejus emortualem, conſtans ac fidelis Veritatis aſſecla & Confeſſor.

Quanta autem ejus in omnem rem reformatam & cumprimis in Eccleſiam Genevenſem & in coetum Italicum ejus civitatis ſint merita, & quibus modis amicorum animos ſibi conciliaverit, pietatem aluerit, veritatem promoverit, ac tandem piam mortem obierit, jam explicatum à nobis eſt alibi. *a*)

Ceterum in Galeacio viguerunt animi dotes quamplurimæ; Magnum fuit ejus in omni re *judicium*, magnum & indefeſſum pietatis *ſtudium*, dignaque ampliſſimi ordinis Principi viro *gravitas*, & incomparabilis in rebus gerendis tum *fides*, tum *vigilantia*.

a) Conf. ejus Vita, quæ cum Hetruſco ſermone à *Nic. Balbano* eſſet conſcripta, atque à *Minutolo* in linguam Gallicam converſa, in Latinum idioma tranſlata ac A. 1596. 8. publicata, ob inſignem raritatem inſerta legitur, *Muſeo Helvetico* Tom. VIII. p. 514—574.

Digitized by Google

PETRUS CARNESECA.

Patria Florentinus, gente patricius, liberaliſſime educatus dicitur ac inſtitutus, in Academiis *Luccenſi*, *Veneta*, *Bononienſi* & *Patavina*.

Cumque ad alacritatem ingenii accederet mirifica ejus diligentia, ac morum comitas, aliæque permultæ virtutes, quid mirum quod fere omnibus quibuscum converſabatur redderetur amabilis? Inde certe fiebat, ut in Clementis VII. Pont. Ro. notitiam adductus, ab ipſo munus Secretarii adipiſceretur, quod magna cum fidelitate pariter ac moderatione, eum geſſiſſe conſtat, ut ne ulteriora quidem, quæ repetitis vicibus ipſi offerebantur, ambiret, munia, niſi quod paulo ante Clementis mortem, duarum Abbatiarum, quarum una in regno erat Neapolitano, altera in Gallico, uſumfructum annuum ultro ipſi oblatum reciperet.

Ceterum, eundem *Venetiis*, ac *Patavii* præcipue, plurimam vitæ partem tranſegiſſe in virorum doctorum & bonorum conſortio, certum eſt, *a*) quibuscum quod non ſemel quoque de ſacrarum Literarum lectione & intelligentia libere diſſeruerit atque contulerit, prætereaque in egenos, quos Veritatis noverat ſtudioſos, haud parum pecuniæ erogaret, ab ejus temporis ſcriptoribus annotatum eſt.

Nam, quod cum *Valdeſio* Hiſpano, M. A. *Flaminio*, *b*) B. *Ochino*, P. *Martyre*, Gal. *Caracciolo*, *Victore Soranzio*, *Apollonio Merenda*, Aloyſio *Priolo*, *Lactantio Ragnone*, etſim, amicitiam habuerit ac familiariter converſatus fuerit, ipſi ejus adverſarii non diffitentur, quippe qui vel ea propter eum Romæ in ſuſpicionem hæreſeos, jam tempore Pauli III. veniſſe referunt.

In-

a) Vid. CAMERAR. in elogio *P. Carneſecæ* apud SCHELHORN. in Amoenit literar. T. X. p. 1204.

b) Quanta *Flaminii* cum eo fuerit familiaritas, ex tenerrimis ejus ad Carneſecam patet Odis, quæ in Flaminii Carminibus le-

Interea vero, licet ab eodem Paulo III. liber declaratus fuiſſet, atque etiam à Pio IV. deinceps ſingulari diplomate contra novos adverſariorum inſultus fuiſſet defenſus, nec ab

 illo

leguntur, non tamen in ultima eaque nitidiſſima editione, quam Patavii A. 1743. 8. curavit F. M. Mancurtius, quippe in qua easdem omittere voluit, ne quæ hæreſeos labes, ab amicitia eum hæretico condemnato (qualem Carneſecam habet Eccleſia Romana) Flaminio affricaretur:

Sunt verò hæ ab oblivione conſervatæ, nunc etiam nuper à Cl. SCHELHORNIO, in ejus Recreationibus Germanicè editis, Tom. I. p. 194. 195. 196. atque ita ſe habent.

I.

Ad Petrum Carneſecum.

O dulce hoſpitium, o lares beati,
O mores faciles, o Atticorum
Condita ſale collocutiones,
Quam vos ægro animo & laborioſo,
Quantis cum lacrymis miſer relinquo!
Cur me ſæva neceſſitas abire,
Cur vultum, atque oculos, jocosque ſuaves
Cogit linquere tam venuſti amici?
Ah reges valeant, opesque regum,
Et quiſquis potuit domos potentum
Anteponere candidi ſodalis
Blandis alloquiis, facetiisque,
Sed quanquam procul à tuis ocellis,
Jucundiſſime Carneſece, abibo
Regis Imperium mei ſecutus,
Non loci tamen ulla, temporisve
Intervalla, tuos mihi lepores,
Non mors ipſa adimet. Manebo tecum,
Tecum ſemper ero, tibique ſemper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite, optime, mi venuſte amice.

illo tamen Virorum clarorum consortio desisteret, *a*) factum est, ut tandem sub Pio V. Pont. cædem & minas spirante, ad di-

II.

Ad Eundem.

De Emanuele Chio Medico.

Di boni tua vota, Carnesece,
Audivere; fugit siticulosa
Febris, & redit ad meos ocellos
Quies, & cibus incipit juvare,
Et Bacchi minus est latex amarus;
Et quod lætitias meas adauget,
Me Chius Medicus fricatione,
Et victu tenui levat, remotis
Omnium medicaminum venenis,
Queis languentia membra deteruntur.
Ipse utrum melior peritiorve
Sit, plane dubites: benigniorem
Non certè invenias, pecuniamve
Curantem minus. Et suis medetur
Ægrotis ita amanter, ut parentes,
Aut nati, aut videantur esse fratres,
O Chium medicum bonum, atque suavem,
Et tibi, inclyte Coe, comparandum.

III.

Ad Eundem.

De Margarita Henrici Gallorum Regis sorore.

O felix mea ter, quaterque Musa,
Cujus versiculos puella, Regis
Maximi soror, utriusque lingua
Peritissima, cantat! hoc beato
Nuncio, super alta sustulisti
Coeli sidera, Carnesece, carum

Ve-

Digitized by Google

dirum ignis ſupplicium ceu hæreticus fuerit condemnatus, quod menſe Septembri A. 1567. eum ſubiiſſe, jam in ſuperioribus à nobis eſt evictum. *b*)

Prouti Articulorum ab ipſo defenſorum collatio ſatis evincit, quod inter *Italos Reformatos*, Protonotarius hic Apoſtolicus, cum maximè ſit recenſendus, quippe qui, & quam profitebatur veritatem, ſanguine confirmare ac obſignare non fuit veritus, in perpetuum ſedis Romanæ, quæ nunquam non cruore martyrum madefacta eſt, opprobrium.

JOHANNES FRANCISCUS CASERTA.

Fuit is Princeps, Galeacio Caracciolo, Marchioni Vici, affinitate conjunctus, Vir præclarus, quique inter ſectatores *Jo. Valdeſii*, cum ille apud Neapolitanos, emendatæ Veritatis doctrinam promoveret, cumprimis recenſebatur.

Sunt eam in rem notabilia, quæ de hoc Caſerta nobis referuntur in Vita *Galeacii Caracciolæ*; Ibi enim, cum relatum fuiſſet, Valdeſii operâ, multos in civitate Neapolitana, ſummo genere natos, ex errorum tenebris emergere coepiſſe, ad-

Venuſtum, unanimem tuum ſodalem.
I nunc, peſſime livor, i, libellos
Meos carpere perge; Margarita
Dum me judicio ſuo tuetur,
Vos tantum & maledicta veſtra curo,
Mordaces critici, Libyſſa quantum,
Latrantis catuli leæna vocem.

a) Dicit LADERCHIUS in continuat. annal. Baronii T. XXII. p. 193. *Hoc beneficio nihil melior effectus, nec ab hæreticorum conſuetudine, Romæ, Neapoli, Florentiæ, Venetiis, Patavii, aliisque locis tam Italiæ quam extra, abſtinuit, nec eis pecunia ſubveniendi officium prætermiſit &c.*

b) Vid. in Opere §. LXIX. p. 143. ſq. & conf. THUANUS Hiſtor. Lib. XXXIX. c. II. p. 483. & LADERCH. apud Schelhorn. Amoen. Hiſt. Eccl. T. II. p. 207. 8.

Digitized by Google

additur: *a*)„ Horum in numero *Johannes Franciscus* CASER-„ TA, qui Galeacio noſtro affinitate junctus erat, ab iſto pri-„ mum viro, quo ob nexum rarásque animi dotes familiariter „ utebatur, nonnulla ætati conditionique ſuæ, ſed & mundi hu-„ jus vanitatibus valde contraria, audire coepit: *De Verbo* ſcil. „ *Dei*, *de vera Juſtificationis noſtræ ratione*, *de ſuperſti-„ tionibus &c.* Quamvis autem ejusmodi ſermones initio „ ipſum non permoverent, ut has mundi vanitates deſereret, „ nihilominus qui id inſtrumentum ad ſui gloriam elegerat, „ non permittebat, ut ſemen, quod inter ſpinas jactum vide-„ batur, periret. „

Quo ex loco, atque ex iis quæ ſequuntur, conſtat, quam *Caſerta*, Galeacii converſionem cumprimis promoverit, ipſique exciterit auctor, frequentandi ſermones Valdeſii, atque ex ejus ore eam hauriendi veritatem, quam abinde per omnem vitam, celeberrimus ille Marchio profeſſus eſt. Ceterum, cum Caſerta noſter, Flaminii quoque ſingularis amicus eſſet, atque in urbis Caſertæ agros eundem invitaſſet, hic egregium ad Caſertam carmen remittere non dubitabat, quod ad refricandam Caſertæ memoriam *b*) hic legimus.

Quid tantis precibus, Caſerta, carum
Vocas Flaminium, Caſertæ in agros?
Te deſiderium quidem fruendi
Mei ſollicitat; ſed ipſe tanto
Magis te cupio videre, quanto
Es me amabilior, quid? iſta veſtra
Tam felicia, tam venuſta rura,
Quem non alliciant ſuo lepore?
Adde quod mihi reddidere vitam,
Cum vis tabifica intimis medullis
Serpens, lurida membra devoraret.
Iſtic & mihi Muſa tam benigno

Sem-

a) *Vita Galeacii* in *Muſeo Helvetico* T. VIII. p. 524.
b) Vid. Flaminii Carminum lib. VI. n. XX. p. 173.

Digitized by Google

Semper numine favit, ut carentem
Stuperent Dryades, meumque pictis
Ornarent Satyri caput corollis.
Quæ tellus igitur tuo ſodali
Queat gratior eſſe! nulla certe.
Nec tamen venio, negotiorum
Dura compede vinctus; at venire
Cum primum dabitur, volabo, teque
Reviſam & tua rura, amice dulcis,
Non minus cupide, ſuam puellam
Quam viſit juvenis, locum in remotum
Quem coegerat ire vis paterna,
Si qua forte revinctam amore mentem
Poſſet ſolvere filii furentis.

SEBASTIANUS CASTELLIO.

Fuit SEBASTIANUS hic, Allobrox i. e. natione *Sabaudus*, *a*) tametſi non deſunt, qui eum Gallum fuiſſe ven ditent *b*) ex Delphinatu oriundum:

Natus autem A. 1515. humili quidem loco ac tenui gaviſus fortuna, ingenio tamen florebat ſagaciſſimo; ut nec ſalebroſi Allobrogum montes obſtarent, quo minus deinceps in cultura linguæ Latinæ ac ſtudiorum elegantiorum proficeret: Enimverò, cum Parentes, & quod opibus & quod ipſi literarum guſtu carerent, eum literis inbuere, aut ad earum ſtu-

a) Non Caſtalionem ſed *Caſtellionem*, genuinum ejus nomen fuiſſe, quippe qui *Caſtilione* (vulgo *Chatillon*) ad Rhodanum ortus erat, ipſe agnoſcit, ac ſe vanitatis accuſat, quod omiſſo Caſtellionis nomine patrio, ſe Caſtalionem appellaverat. Vid. CASTELL. *defens.* p. 21. & *Scaligerana prima* p. 42. apud BÆL in Lex Vol. II. fol. 87.

b) *La Croix du Maine* Biblioth. Franc. p. 453, & SAMMARTH. Elog. L. II. c. IV. p. m. 70.

Digitized by Google

dium manuducere non poſſent, factum tamen eſt, ut apud Lugdunenſes non deeſſent, qui ejus, ob ingenii alacritatem conſpicuam, patrocinium ſuſciperent, atque ut in diſciplinam literariam daretur, procurarent.

Circa annum hujus ſeculi quadrageſimum autem vel quadrageſimum primum, quod tum jam probe literis Græcis & Latinis ad omne genus diſciplinarum eſſet inſtructus, ac pietatis quosdam præ ſe ferret igniculos, *Joh. Calvino* tum apud Genevenſes commoranti innotuit, atque ſe ab eo perſuaderi paſſus eſt, ut illic maneret, ſcholæque Genevenſis in ſe præfecturam reciperet, magnam procul dubio ab eruditis omnibus & piis gratiam initurus, niſi ſemet immiscuiſſet ſacris, atque tum, non ſolum in graviſſimis quibusdam fidei capitibus ſuum à Calvino diſſenſum prodidiſſet ac pervicaciter defendiſſet, ſed &, niſi ad tranſlationem Bibliorum ſacrorum & cumprimis Novi Teſtamenti in Linguam Latinam, repudiata verſione Vulgata, quæ tum ubivis uſu recepta erat, acceſſiſſet, atque nimio ſtyli ac latinitatis amore ſæpe numero uti videbatur, myſteriorum divinorum ſublimitatem *a*) violaſſet, ac, dum exornare volebat ſacra & expolire, eadem commaculaſſet; dum ab altera parte, adornata Verſione Gallica, in alterum extremum, prolapſus dicitur, quando arreptis è trivio & infima plebe voculis ac loquendi formulis, *b*) ſe fere ridendum omnibus in re tam ſeria præbuit ac contemnendum.

Certè

a) Vid. ADAMI in Vita Calvini. VOSS. Inſtit. Orat. Lib. IV. c. 1. §. 3. p. 45. HUET. de claris interpr. p. 191. Eſt tamen, qui Caſtellionem ab hac culpa immunem ſiſtit *Chriſtoph.* WOLLIUS Theologus Lipſienſis, edita ſingulari diatriba: *De eo quod pulcrum eſt in verſione Latina ſacri Codicis* Seb. Caſtellionis. Lipſ. 1729. 8. quam me non ſine voluptate legiſſe, atque in ea cogitatione firmatum fuiſſe, *quod Iliacos intra muros peccetur & extra*, minimè diffiteor.

b) SAMMARTH. l. c. pag. 71. conf. HUET l. c. p. 301.

Digitized by Google

Certè, de præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, i. e. de *ſacræ ſcripturæ uſu* & *auctoritate*, de *æterna Dei prædeſtinatione*, de *libero arbitrio*, ac proin, *de fide ac juſtificatione*, itemque, *de civilis Magiſtratus in hæreticos jure* ac *poteſtate*, eum cum CALVINO & BEZA contentionis ſerram reciprocaſſe, ex eorum ſcriptis amoebæis liquet.

Interea verò, cum à Calvino ſeceſſum facere ac Genevam relinquere debuiſſet, Baſileam A. 1548. commigraſſe, ibique commodam ſatis nec opimam tamen commorationem inveniſſe, notum eſt; quippe qui cum Baſileenſes eundem ad Græcarum literarum Profeſſionem admitterent, isque ſuo muneri ſatis *a*) præeſſet fideliter, tamen etiam manibus victum quærere, ſicque ſuſceptam juventutis erudiendæ curam alterno telluris in ſuburbano prædio colendæ labore adæquare debuit.

Obiit A. 1563. 29 Decembris, cum per octodecim annos apud Baſileenſes munere Profeſſoris functus eſſet, ac variis ingenii monimentis ſibi nominis celebritatem conciliaſſet; Inter quæ & ſunt: *Odæ in Pſalmos* XL. Ejusdem in *duo Moſis carmina odæ duæ*, cum piis gravibus atque elegantibus poëtis aliquot. Baſil 1551. 8.

Ecloga, Sirillus, *de nativitate Chriſti*. Baſil. inter 28 Bucolicorum Scriptores. *Sibyllinorum Libri* VIII. cum interpretatione Seb. Caſtalionis Baſil. 1559 8. & Paris 1607. 8.

Jonas Propheta, heroico carmine *b*) Latino deſcriptus, itemque Προδρομος, ſive, *Præcurſor*, i. e. *Vita Joh. Baptiſtæ* libris 3. Græco carmine Baſil. 1545. 4.

a) P. RAMUS in Oratione, cui titulus eſt, *Baſileæ*, inter alia *Atque utinam*, dicit, *tanti ingenii tamque bonis artibus ac literis eruditi vis illa in hoc unico Græcæ profeſſionis argumento verſari maluiſſet, nihil quidem mea ſententia in iſto genere laudis Baſileæ comparandum habuiſſet.*

b) Conf. FELLERI Monumenta inedita pag. 469.

Basileæ autem, honorifico admodum Epitaphio eum honorarunt Poloni quidam *a*), qui & nomina sua palam sunt professi.

Jovæ Opt. Max.
Sebastiano Castalioni
Allobrogi,
Græcarum literarum in Acad.
Basil. Professori Celeb.
ob multifariam erudit.
& vitæ innocentiam
Doctis piisque Viris
percaro,
Præceptori Opt. & fidelissimo
Stanislaus Starzechowski,
Johannes Ostrorog, &
Georgius Niemsta,
Poloni,
Ut popularium suorum, qui eum
audierant, voto,
& privatæ pietati
satisfacerent.
Ad publici luctus sol.
H. M. B. M. P.
Obdormivit in Domino
Anno Christi sal.
MDLXIII. IIII Kal. Januar.
ætatis XLVIII.

LUDOVICUS CASTELVETRUS.

Num in Diptycham *Italiæ Reformatæ* sit referendus, Ludovicus ille *Castelvetrus*, dubitare quodammodo pos-

a) Vid. Jo. MANLII Collectanea p. 713. & Jo. Bapt. PLANTINI Historia Helvetiæ Genev. 1666. pag. 593, cf. not. HEVMANNI ad Sammarthan. l. c.

poſſemus, inprimis, cum in ejus Vita, *Lud. Ant.* MURATORIUS *a*) nihil hujus tradat, atque etiam, *Philippus* ARGELATUS, in editione Operum ejus poſthumorum altum de ejus religione tenuerit ſilentium;

Interea tamen, noſtris temporibus Vir Ill. *Ang. Maria* QUIRINUS, R. E. Cardinalis, *b*) omnino, eum, *ceu Lutherana hæreſi infectum*, ac apud *Mutinenſes*, turbis illis religioſis A. 1542. excitatis, implicitum, nobis delineat, atque haud obſcure Muratorium, quod à nimiis in eum efferendis laudibus non abſtinuerit, pungere videtur.

Ut ſe res habeat, fuit *Mutinæ* oriundus, natus A. 1505. genere inter ſuos admodum nobili, Philoſophus ac Poëta ſui temporis egregius, variisque ſcriptis inclytus, quæ in unum equidem nondum collecta ſunt Volumen, licet hoc ipſo ſeculo, aliquid hujus tentaverit *Phil.* ARGELATUS, *c*) ſpecimen quoddam edendo ſub titulo *Opera varia* Ludovici *Caſtelvetri critica*, *nondum antehac edita*, *Lugduni* uti habet titulus, ſed verius, *Mediolani*; Cui editioni A. 1727. 4. Caſtelvetri biographiam præmiſit, ille fugientium Muſarum ſtator, dum vivebat, *Ant. Lud.* MURATORIUS, Vir Πολλων ἀνταξιος ἀλλων.

Ceterum, eundem, cum ſtudiorum ſuorum, *Bononiæ*, *Ferrariæ*, *Patavii*, *Senis*, curſum abſolviſſet, ac cumprimis Græcis Latinisque literis & vernaculæ linguæ excolendis ſtrenuam navaſſet operam, præcipue *Mutinenſibus* ſuis inſerviiſſe, conſtat, atque ut apud Mutinenſes, cultiores Muſæ, quæ non poſſunt non à religionis doctrina quoque omnes depellere tenebras, in honore haberentur, effecit.

Sed hæc ejus conamina ac inſtituta, non ita multo poſt, in invidiam incurrebant:

a) Eſt hæc MURATORII deſcriptio Vitæ Caſtelvetri præfixa Editioni Operum ejus Criticorum, ſtatim citandorum.
b) QUIRIN. in præf. ad Tom. III. Epiſtolarum Reg. Poli p. 85.
c) Vid. *Acta Eruditor.* anni 1729. p. 389. &ſq.

Digitized by Google

Et fuerunt eo tempore, circa Ann. 1541. & 1542. à religiosis quibusdam, (uti apud Pontificios appellantur) quorum forte nonnunquam *a*) vitia censuerant Academici, tam graves in hoc negotio querelæ, ad aures Pontificis (*Pauli III.*) delatæ, & Academici in hæreseos quam vocant Lutheranæ suspicionem, sive clam sive palam, adducti, ut ipsius etiam integræ Civitatis fama coeperit periclitari, atque hæreseos incusari.

Neque potest esse dubium, quin vere tum Evangelica Veritas apud *Mutinenses* fuerit prolata, ac animis multorum instillata, *b*) adeo, ut Pontifex è causa sua judicaret, negotium illud *Jac. Sadoleto*, Casp. *Contareno* & Reg. *Polo*, commendare, qui providerent, nequid detrimenti caperet res Pontificia, neve tota Civitas, (quod verebantur nonnulli) evaderet Lutherana: Quod verò tum præ reliquis, & inter reliquos, etiam CASTELVETRUS, certæ cuidam fidei formulæ ultra quadraginta articulos complexæ & à Sadoleto compositæ subscribere debuerit, docemur in Vita Castelvetri *c*) à MURATORIO conscripta.

Sed, cum ab adversariorum insultibus tamen ne sic quidem maneret immunis, credibile est, eum per aliquot annos per Galliam, Germaniam & Helvetiam iter fecisse, cum Protestantibus familiaritatem contraxisse, & Philippi Melanchthonis, ut statim videbimus, quendam libellum *d*) in Italicum idi-

a) Ita judicat MURATORIUS, licet QUIRINUS etiam ulteriora quædam apud Mutinenses tum pro Lutheranismo invehendo agitata fuisse consilia, nobis referat.

b) Vid. in Opere nostro §. XXXVII. pag. 60. 61.

c) Conf. *Acta Erudit.* Lipsi. A. 1729. p. 390.

d) Sunt qui censent, eum *Phil.* MELANCHTONIS *Locos communes* in Italicum idioma transtulisse, de quibus jam in ipso Opere quædam monuimus, quod Venetiis fuerint impressi, sub alieno nomine, ac Romæ divendidi, priusquam auctor esset cognitus.

Digitized by Google

idioma convertiſſe, quin imò, & Verſioni Nov Teſtamenti Italicæ, incubuiſſe:

Quod in Gallia aliquandiu fuerit verſatus, cumprimis ex duplici conſtat narratione fatorum ejus infelicium; Altera eſt, quod apud Lugdunenſes in Gallia à latronibus ſpoliatus omnibus non veſtimentis ſolùm, ſed & ſcriptis ab ipſo compoſitis orbatus eſt, inter quæ quod & Verſio Italica fuerit Novi Teſtamenti, refertur. Altera, quod cum ædes ejus Lugduni in Gallia flammis infeliciter objicerentur, is præ reliquis omnibus ſollicitus fuerit, de *Poëtica ſua*, ne ſcilicet ea flammis conſumeretur, *a*) quippe qui eam videretur omnibus reliquis ſcriptis ſuis præferre.

Quod verò etiam Germaniam & Helvetiam adierit, vel ex eo colligitur, quod ſequenti tempore id ipſi exprobratum eſt, atque in tribunali Inquiſitionis imputatum, ad hæreſin ejus exinde comprobandam:

Uti, quod Proteſtantibus fuerit familiaris, non minus colligitur ex eo quod *Philippi Melanchtonis* libellum quendam *b*) in Italicum Sermonem dicebatur convertiſſe, quodque ex eo indicio, ejus in hæreſin Lutheranam prolapſio eliciebatur.

Interea verò, in patriam A. 1553. reduci Caſtelvetro, novum quoddam ex leviſſimis initiis *c*) prognatum eſt, idque ſatis magnum incommodum, eo cum eventu, ut paucis annis poſt, iterum in exilium abire, ac apud Ducem Ferrarienſem, ſaltem in ejus terris, deliteſcere, neceſſum habuerit:

Res

a) Vid. *Menagiana* Tom. II. p. 82. Le feu ayant pris á Lyon dans la maiſon de Caſtelvetro, il ſe mit à crier, *al poetica*, Sauvez ma poëtique. Conf. BAYLE Diction. Vol. II. p. 93.

b) Vid. PALLAVICINI Hiſt. Conc. Trident. L. XV. c X. p. 239. *cum ſe preſſum videret . . . teſtimonio cujusdam impii libri à Melanchthone conſcripti & ab ipſo in Italicum ſermonem converſi* &c.

c) THUANUS Lib. 50. cap. 16. fol. 70. dicit *Caſtelvetrum* variis cum *Hanibale Caro* de re ludicra altercationibus vexatum, ad extremum patriam reliquiſſe &c.

Digitized by Google

Res ita refertur: *a*) Scripſerat *Annibal Carus*, Poëta non vulgaris famæ, neque adeò infelicis ingenii, *Carmen in laudem Gentis Farneſiæ & ſtirpis regiæ Francicæ, ad Cardinalem Alexandrum Farneſium*, cui tum fuerat à ſecretis, id à multis cum applauſu acceptum, à Caſtelvetro, uti erat acris & immodeſtus alienorum ſcriptorum inſectator *b*), parvi fuerat æſtimatum: Id verò, bilem movere Caro, qui ſtatim variis in eum inſurgere ſcriptis, infeſtumque ſuum animum fictis criminationibus diſſimulare non poterat. Interim, communes amici nihil non tentare, quod conciliandis ipſorum utrinque animis facere poſſe videretur, ſed fruſtra. Carus etenim, quæ ejus erat vindictæ cupiditas, non meliorem adverſario nocendi viam *c*) ſe inveniſſe judicabat, quam, ſi ſuſpectæ eum Doctrinæ reum ageret apud Inquiſitionis Romanæ tribunal, fratre Ludovici, *Paulo Caſtelvetro*, in delationis illius ſocietatem tantò lubentius veniente, quantò magis illi pridem cum ipſo ſimultas interceſſerat graviſſima, eique ceu teſti domeſtico major quam reliquis haberi fides poterat.

Citatur igitur A. 1556. Romam Caſtelvetrus, coràm objectæ hæreſeos notam depulſurus; Ille verò, non tutum exiſtimans comparere, delituit tantisper *d*) in terris Ducis Ferrariæ, donec vita exceſſiſſet Paulus IV. ex gente Caraffa, in quo omne præſidium collocaviſſe Carum, non ignorabat.

Quo facto, &., Pio IV. ad Pontificatum evecto, ea contigiſſe videntur, quæ referuntur à PALLAVICINO; *e*) Tum enim-

a) In vita ejus à MURATORIO conſcripta vid. *Acta Erud.* loc. cit. pag. 390. 391.

b) Certe cenſorius Caſtelvetri calamus, tum nequidem *Flaminio* poëtarum optimo, peperciſſe videtur, cum varias in *Odis* ejus *ſacris*, locutiones minus Latinas, redargueret, ipſe ab aliis Viris illuſtribus redargutus, Vid. MANCURT. in *Vita Flaminii*, ejus carminibus præmiſſa, p. XIX.

c) MURATORIUS loc. cit.

d) MURATOR. in Vita Caſtelv. l. c. p. 391.

e) *Hiſtor. Concil. Trid.* LXV. c. X. n. 15. fol. 239.

Digitized by Google

enim; vel, ipſe Caſtelvetrus, (quod tamen adeò vero non eſt ſimile) ut à labe illa hæreſeos liberaretur, *a*) vel ſaltem, Pontifex, ut cauſam illam, quæ ad Inquiſitionis tribunal delata erat, definiret, eum denuò Romam evocare per fidei quæſitores non deſiſtebat.

Pontifex ſaltem, ipſi inſinuare, eum tutò Romam adire poſſe, ac polliceri, ſe cum eo mitiſſimè acturum, adeò, ut ubi inſontem cognoviſſet, non ſolùm abſolvere, verum etiam beneficiis eum afficere vellet, ubi verò deprehenderetur in errorem aliquem prolapſus, ſatis futuram Pontifici privatam Ludovici retractationem.

Ut ſe res habeat, Caſtelvetrus Pontifici dulcia verba proferenti minus fidere, &, quod timeret Inquiſitionem, vereretur que ne cauſa caderet, clam elabi, ac in Galliam & Helveriam ſecedere maluit, *b*).

Dum interim, more conſueto, cauſa contra ipſum agitur coràm tribunali, isque hæreſeos reus eſt declaratus, quando, quod reliquum erat vitæ, apud *Baſileenſes* & *Rhætos* exegit, niſi quod Maximilianum II. Imperatorem adiiſſe quoque referatur, ut illi commentarium in *artem Poeticam Ariſtotelis*, quod primarium ejus ſcriptum erat, dedicaret, A. 1567. qui liber Viennæ 1570. 4. prodiit, longeque eſt rariſſimus, unde tamen redux, apud Clavennenſes *c*)

a) Scilicet, in Actis Delfini Nuncii Papalis, qui in Germaniam A. 1561. delegatus erat, ut animos ad Concilii Tridentini redintegrandi receptionem præpararet, refertur, hunc Delfinum quoque Argentorati cum Zanchio & Sturmio egiſſe, itemque cum P. P. Vergerio; ſed &, cum *Ludovico* noſtro *Caſtelvetro*, qui cauſam ſuam in Concilio Tridentino definiri vellet, ſed, cui ea regeſſerit Pontifex, quæ hic ex Pallavicino l. c. leguntur: Quæ tamen cum ratione temporum vix conciliari poterunt.

b) PALLAVIC. l. c. p. 239.

c) Vita Caſtelvetri à MURATORIO in *Actis Erud.* l. c. p. 392

in Rhætia A. 1571. d. 21 Febr. diem obiit ſupremum, *a*) ætatis Anno LXVI.

GUARNERIUS CASTILIONÆUS.

Fuit is Nobilis Inſuber, cujus tamen Memoria propemodum interiiſſet, niſi eundem nobis conſervaſſet *Johannes* BECCARIA *b*) apud Locarnenſes Ludimagiſter, qui plus ſemel in literis ad Conr. Pellicanum A. 1546. & ex Locarno datis, ejus cum encomio mentionem injicit: ubi inter alia *Warnerius noſter Caſtilionæus*, inquit, *operarium haud poenitendum in Verbo Dei promovendo indeſinenter ſe præſtat, tametſi illic agit, ubi non ſatis tutum eſt, de his mutire, quæ Pontificis regnum obnubilant.*

Quænam verò, præterea ejus fuerint fata, & quinam pro Evangelio labores, per tranſennam veluti ſaltem nobis cognoſcere datur ex illuſtri *Monumento*, quod ipſi Baſileæ in æde S. Petri erectum eſt, *c*) quippe in quo inter alia dicitur, *quod in exilio voluntario, patria, bonoribus, opibus carere, quam impiis ſuperſtitionibus inſervire maluerit.*

Eſt

p. 392. Conf. FREYTAG in *analectis libr. rarior* p. 219. ubi docet, eum non Baſileæ, nec Mutinæ, ut nonnulli ſcribunt, ſed Chiavennæ, ſupremum diem obiviſſe.

a) Ceterum, *de Caſtelvetro*, ſingularem quandam ſe ſcripſiſſe commentationem ſcribit Cl. J. F. le BRET Philoſ. Lector & Miniſter Eccl. Stutgardienſis, proximè prælo cummittendam: Quo eodem Scriptore extat, *Abjuratio D. Petri* JANNONII Neapolitani, Hiſtorici celeberrimi, ab eo ſponte facta *Taurini in carcere* &c. d. 4 April 1736. 4. In quo libello cumprimis comparatio inſtituitur inter *Caſtelvetrum* noſtrum, & hunc *Jannonium*, eaque occaſione utriusque facta recenſentur.

b) Vid. *Tempe Helvetica*. Tom. IV. pag. 184.

c) V. TONJOLÆ *Monumenta Baſileenſ.* pag. 179.

Digitized by Google

Est illud hujusmodi:

Chr. Salv. S.
Guarnerio Castillionæo,
Nob. Insubri.
Viro de multis bene merito,
qui
postquam in exilio voluntario
quo
patria, honoribus, opibus
carere,
quam impiis superstitionibus
inservire maluit,
ann. p. m. L animi quietus
vixisset
Bonæ Ronciæ conjug. innocentiss.
cum qua sine jurgio
annos XLVI. vixit.
Estheræ item Isabellæque
filiar. prædefunct. solatio
orbatus,
mortales exuvias cum coelesti
stola commutavit.
Joh. Franciscus Castillioneus
Parent. sororumque
opt.
memoriæ moerens
p.
B. annos LXXIX.

JOH. BAPTISTA CASTIGLIONI.

In JAC. ACONTII Vita, is, ceu Nobilis Italus, commemoratur, qui in Anglia apud Elisabetham Reginam versatus

Digitized by Google

fuerit, &, cui *Acontius* singulari amicitiæ nexu junctus fuerit. Hunc igitur indigitare, saltem æquum erat, quò qui potiora de eo norint, ad ejus memoriam refricandam excitentur.

MINUS CELSUS SENENSIS.

Hujus Viri, inter *Italos Reformatos* præcipuè commemorandi, Memoriam felic auspicio instauravit Cel. SCHELHORNIUS, Memmingensium Polyhistor eximius, edita singulari ad Rev. J. L. Moshemium diatriba, *de Mino Celso Senensi*, rarissimæ disquisitionis, *in hæreticis coërcendis quatenus progredi liceat*, auctore. Ulmæ 1748. 4.

Celsorum isto ævo in Italia familiam, singularem in modum floruisse, ex variis constat locis Scriptorum, in quibus, modo hujus, modo illius Celsi, mentio injicitur.

Ex eorum prosapia erat MINUS ille CELSUS, quem hic nobis sistimus, *a*) cujus prima fere mentio A. 1543. occurrit in literis à *Claudio Tolomeo* datis ad *Alex. Bellantem*, uti Celsus noster Bellantum genti apud Senenses nobilissimæ, amicitiæ nexu erat obstrictus.

Ceterum, extat *Dedicatio* Epistolarum Tolomei, à *Fabio Benvoglienti* conscripta, ad hunc eundem *Minum Celsum Senensem b*) A. 1547. d. 15 Sept. exarata.

Neque præterea quicquam de eo sagacissima indagare potuit Cl. *Schelhornii* industria, nisi quod A. 1569. cum ætate jam esset provectâ, patrias oras, ob religionem exul relinquere debuerit; *c*) quando, cum Pius V. homo truculentus, sedem Romanam habebat, relicta Italia in *Alpes Rhæticas* sese recepit, optatum suæ senecturi quærens asylum, ubi reliquos

a) SCHELH. lib. cit. p. 14.
b) SCHELH. l. c. p. 15. conf. Prosp. MARCHAND in dictionar. T. I. p. 175.
c) Vid. SCHELH. l. c. p. 18. & 29.

Digitized by Google

liquos vitæ dies ſecurus tranſigere, *a*) Deumque ad conſcientiæ ductum rite poſſet colere.

In Rhætia cum verſaretur, notabilem librum compoſuit, *de Hæreticis capitali ſupplicio non afficiendis*, ea data occaſione, quod inter eos qui à Romana eccleſia ſeceſſerant, ac in Rhætiam confugerant, ingens quoque in religionis capitibus oriretur diſſenſus, quodque permulti, ea laborarent perſuaſione (quæ inter reliquias doctrinæ Papiſticæ non niſi poſterioribus hiſce temporibus planè abolitæ, connumerari meretur) hæreticos extremo ſupplicio eſſe afficiendos:

Certe MINUS in eod. libro Sect. I. pag. 9 ſq. ita ſuam exponit mentem:

„ Hoc propterea dico, quod, quum abhinc triennium, „ religionis ergo *Italiam* fugiens, Antichriſti manus evaſiſ„ ſem, & longo defeſſus itinere, maximisque exantlatis labo„ ribus, ad *Rhætorum Alpes*, ceu ad portum appuliſſem, „ ratus (ut apud *fratres noſtros Italos* fere creditur) has in„ ter Eccleſias, quas Reformatas jure merito nuncupamus, „ indiſſolubilem eſſe doctrinæ conſenſum & unitatem, reperi „ tandem, maximo quidem animi mei angore, tametſi om„ nes conſentiunt, *Papam Romanum verum eſſe Antichri„ ſtum. Miſſam omnia antiquæ idololatriæ genera quam „ longiſſimè ſuperare. Homines fide in Chriſtum non pro„ priis operibus juſtificari. Purgatorium veras eſſe Papa„ tus nundinas. Sacramenta duo, non ſeptem eſſe:* & in „ aliis demum piis ſanctisque veræ religionis articulis, con„ veniunt; attamen quam plurimas plurimis in rebus inter ſe „ manifeſte diſſentire. Quapropter, cum unaquæque illa-

 „ rum,

a) Ipſe MINUS in dedicatione N. T. Latino-Gallico Baſileæ A. 1572. ſcripta, exilii ſui rationem & epocham ita figit: *Quum ex Rhætorum jugis, quo ante triennium diros pietatis hoſtes fugiens memet receperam, huc ad ſaluberrima Baſileæ moenia contendiſſem, &c.*

Digitized by Google

„ rum, opiniones ſuas habeat pro articulis, ad puram Chri-
„ ſti religionem maximi momenti, profecto neceſſe eſt, in
„ hoc opinionum diſcrimine, ut unaquaque partium opinio-
„ nem ſuam pro orthodoxa fovente, perſecutione in hære-
„ ticum admiſſa, alia aliam inſectetur, alia aliam hæreſeos
„ damnet, & anathemate percutiat, alii demum alios, qui-
„ cunque in ſuas manus inciderint, ferro, igne, aqua, è
„ medio tollant, &c:

Liber autem iſte, (ex quo *Daniel* ZWICKERUS, homo Socinianus, notabile quoddam excerptum *a*) edidit ſub tit. *Henotici Chriſtianorum* &c. Amſtelodami 1662. 8.) demum poſt mortem auctoris, Baſileæ 1577. 8. editus *b*), refertur.

Ut ſe res habeat, cum inter Rhætos, & cumprimis in *Curia Rhætica*, illa *de hæreticorum ſuppliciis* controverſia agitaretur, ac plurimorum aſſenſum impetraſſet, *Celſus* autem, contrariam foveret opinionem, inde factum eſt, ut A. 1571: ſe ex Rhætiæ jugis, *Baſileam* reciperet, haud dubie inſectatione eorum, qui pro hæreticorum ſupplicio in Synodo Curienſi, ferventiſſimè dimicabant.

Ibi autem, *Petro Pernæ*, Italo, typographo & bibliopolæ Baſileenſi, (quique & ipſe inter Italos Reformatos nomen habet,) quod corrigendis, qui typis imprimebantur, libris inſervierit, à SCHELHORNIO *c*) eſt obſervatum, atque ex ipſis Celſi ſcriptis colligitur.

Quid? quod tum quoque A. 1572. ex officina Petri Pernæ

a) Vid. MOSHEM. append. ad Hiſtor. Serveti pag. 83. Conf. SCHELH. l. c. p. 59.

b) SCHELH. l. c. p. 65. Titulus editionis prioris erat: *Diſſertatio, in hæreticis coërcendis quatenus progredi liceat.* Chriſtlingæ (i. e. Baſileæ apud Petrum Peruam) 1577. 8. ſed, deinde A. 1584. denuò prodiit, cum additamentis quibusdam, cujus editionis indolem nobis delineat Proſp. MARCHAND diction. l. c. p. 177.

c) SCHELHORN. l. c.

Digitized by Google

ac *Novum Teſtamentum a*) *Latino-Gallicum* ediderit, ſuamque hanc Editionem nuncupaverit *Francisco Walſinghamo*, *b*) primi ordinis Nobili in Anglia, & Eliſabethæ ad Regem Galliæ Legato, qui probos ac doctos viros, ac opis indigos ſuis beneficiis exornare ſolebat ac muneribus; Quam Dedicationem ad Kalendas Septembres ſignatam, ſuo, *de Mino noſtro*, tractatui, inſeruit laudatiſſimus SCHELHORNIUS, ac ſimul obſervat, quam ſuam in domum, tum Celſum noſtrum vocaverit Walſinghamus, quamvis tamen, num unquam Lutetiam Pariſiorum acceſſerit, aut in Walſinghami familiam pervenerit, non conſtet, ſiquidem ipſi non opinanti forte mors obrepens, quo minus id in actum deduci potuerit, interceſſerit: Id ſaltem certum eſt, eum poſt annum 1572. ſed ante annum 1577. ad finem mortalitatis conceſſiſſe.

PETRUS CITADELLUS.

Is *Citadella* (quæ & Franc. Spiræ patria fuiſſe dicitur) oriundus, ſingulari conſtantiæ laude floruit, atque ad perpetuos licet carceres damnatus, tamen à fide defecit nunquam, uti hanc ejus conſtantiam laudat VERGERIUS in notis ad Jo. Caſæ catalogum libror. prohib. Vid. SCHELH. recreat. Part V. p. 24.

ALEXANDER CITOLINUS.

Et hunc Virum eximium, multisque nominibus commendandum nobis dedit *Italia*, haud vulgarium ingeniorum mater feraciſſima.

Fuit is natus Saravalli, oppido Fori Julii, Italicæ linguæ & Poë-

a) SCHELHORN. l. c. p. 59.
b) SCHELH. l. c. p. 61-65.

Digitized by Google

mæ uxoris caſtiſſimo viro, chariſſimorum liberorum cupidiſſimo parenti: Denique, quantum huic benefeceritis, id totum Chriſto vos facturos credite. Quibus conſona ſunt quæ ad ipſam REGINAM *a*) tum temporis, itemque ad *Rogerum Aſchamum b*) in favorem Citolini idem ſcribebat STURMIUS;

Quid verò ulterius de illo factum fuerit, ignoramus.

PAULUS COLLI.

Hujus lectiſſimi Viri patria, equidem dicitur fuiſſe *Alexandria*, cum ipſe in Epitaphio dicatur Alexandrinus, ſed, eſt hæc Alexandria, in *territorio Mediolanenſi*, *c*) ut reverà inter Italos ſit natus, educatus & inſtitutus, vitæque rationem ibi habuerit.

Utcunque ſit, cum Alexandriæ adhuc verſaretur, Evangelii luce illuſtratus, ejusque ſplendorem ad concives transmittere cupiens, jam tum, domeſticam quandam eccleſiam, ſed non ſine ſummo periculo, habuiſſe dicitur.

A ſervulo deinde ſuo agreſti plane homine monitus, quam ei, inſidiarentur hoſtes, tandem in locum tutum concedere eſt coactus: Ipſe enim, hoc verbum, haud omnino abſimili modo, quam quod traditur de Aſina Bileami, *d*) velut ab occulta virtute profectum, accepit, ſtatimque, rebus divenditis ac convaſatis, in Rhætiam ſe primum cum familia contulit; ut liberiori conſcientia frui, & ſincerum Numinis divini cultum exercere poſſet.

Haud longo intervallo poſt, *è Rhætia*, *Tigurum* conceſſit, ſeque adſcribi eam in civitatem petivit: *e*) uti factum. Atque

a) STURM. l. c. p. 69. ſq.
b) STURM. l. c. p. 78. 79.
c) Vid. *Melch.* ADAMI in Vitis Jureconſultor p. m. 207.
d) ADAMI l. c. cujus hæc ſunt verba.
e) ADAMI in Vita Hippolyti à Colli. l. c.

Digitized by Google

que hac in urbe HIPPOLYTUS *à* COLLIBUS ipſi natus eſt A. 1561. d. 20 Februarii.

Is erat Vir Nobiliſſimus & Jureconſultus præſtantiſſimus, Palatinus ſub Electoratu Friderici IV. conſiliarius, multis ſcriptis & legationibus ad varios Principes inclytus, ac in Rep. literaria ſatis ſuperque notus *a*).

Interea tamen, eum deinceps *ad Baſileenſes* migraſſe, ibique A. 1572. vitæ finem habuiſſe docemur, in Ejus quod Baſileæ legitur Epitaphio *b*) quod ita ſe habet:

Paulo Colli,
Patritio Alexandrino
quem ſponte relicta Italia
Religionis ergo
Baſilea tandem gratum ſuſcepit hoſpitem,
Anno Sal. 1572. ætat. 54.
Exilii 13.
tribus impuberib. liberis ſuperſtitibus
prædefunctam ſecuto filiolam
Vidua moeſtiſſima Eſthera Caſtilionia
p.

ALPHONSUS CONRADUS.

Et hunc, quem *Mantua* protulit, eximium Chriſti ſervum, meritò inter *Italos Reformatos* recenſemus, ut Vir Cl. J. H. HEIDEGGERUS *c*) in Enchiridio biblico & SAGITTARIUS in Introd. in Hiſt. Eccleſ. Tom. I. p. 916.

a) Vide ADAMI in Vitis Jure conſultorum German.
b) TONJOLÆ Monum. Baſil. p. 124. & GROSS. in Epitaph. Baſil. p. 134.
c) Vid. C. A. HEUMANN. in Ep. ad Cl. IKEN. in Symbolis liter. T. I. p. 583.

Digitized by Google

& Poëseos admodum studiosus; scripsitque Locos *a*) Latinè loquendi eleganter & ex tempore, uti cum *Claudio Tolomeo* Viro doctissimo, de Linguæ Italicæ orthographia & reconditis elegantiis, quod sedulò contulerit, colligitur ex epistolis ipsius *b*) ad Tolomeum & hujus ad Citolinum.

Petrus Paulus VERGERIUS *c*) eundem politissimis scriptoribus Italicis annumerat, ac in unum eundemque censum cum Varchio, Caro, Tolomeo, Casa, Ruscello, Dulci, Tasso, Parabono, Amaltheo aliisque viris Italicè dissertissimis, refert;

Enimverò, is jam A. 1546. se in religionis causa reddiderat suspectum, quod ex Tolomei ad eum literis colligit Cl. SCHELHORNIUS. *d*)

Ceterum, ingentes eum paravisse Commentarios refertur in Hieroglyphica Ori Apollinis, in quibus, variam & multiplicem historiam cujusque animalium generis pertractare & regionum multarum proprietates populorumque diversos mores explicare voluit, quos tamen lucem publicam, non aspexisse, ex silentio Cel. Fabricii conjicit Cl. SCHELHORNIUS, *e*).

At verò, cur eundem in censum *Italorum Reformatorum* referamus, ratio est, quod is Religionis ergo, patriam relinquere dein debuerit, quando se primum *Argentoratum* contulit ad communem Germaniæ magistrum *Jo. Sturmium*, deinde in Angliam, rebus afflictis opem ac Musis suis tutum receptum quæsiturus *f*).

Te-

a) SIMLER in Biblioth. Gesneri locupletata, fol. 6.
b) Vid. SCHELHORN. de Mino Celso. Senensi p. 66. 67.
c) VERGER. de Idolo Lauretano. p. 59. ex citatione Schelhornii p. 68.
d) SCHELH. l. c. p. 67.
e) SIMLER in Biblioth. Gesn. l. c. SCHELH. l. c. p. 60.
f) Vid. STURMII Epistolæ ad Aschamum & Anglos ex edit. Ackeri Hanover. 1707. 8. p. 66. & 72. ubi ita: *Exulat ob religionem à patria, ab uxore, à liberis, homo domi non obscurus, neque inops* &c.

Digitized by Google

Teſtem habemus *Jo.* STURMII Epiſtolam, ad *Antonium Cookum*, Anglum, datam Argentorati A. 1565. Kal. Octobr. qui ita ſcribit; *Is* (Alex. Citolinus) *in exſilium proficiſci cogitur propter Papiſtarum crudelitatem, ex amoenſſimo & fructuoſiſſimo prædio, uxore & liberis caret, caret patria & uſu amicorum, & hæc ita patienter fert, ut illius patientia mihi miſericordiam moveat.* Teſtatur verò etiam in iisdem litéris, quam Citolinus ille ſibi æque ſit gratus ac germanus frater, quodque majores fecerit in literis ſcil. elegantioribus progreſſus, quam ipſe Sturmius. Porrò addit: Αναλυτικην *illam, quam omnes à me multis jam annis expectant, tenet perfectè, & ſeptem dierum ſermonibus ſeptem explicatam, ſermone ſuo patrio divulgavit a*). Quæ ultima, procul dubio reſpiciunt, ad illam à Julio Camillo excogitatam methodum reſolvendæ Latinæ linguæ, itemque de omnibus rebus ordine & eleganter diſputandi, quam ſecutus eſſe dicitur Citolinus, Camilli Polyhiſtoris Foro Julienſis diſcipulus *b*). De hac enim methodo STURMIUS quoque ad *Gulielmum Cecilium* Equitem, Conſiliarium regium, eodem tempore, ita: *c*) *Ex illius ſeptem dierum ſermonibus, intelliges qualem & quantam rationem animo complexus ſit*, (Citolinum noſtrum indigitat) *ſcripto explicarit, & eò progreſſus ſit, ut ad aciem & caput facultatis admirabilis pervenire brevi queat, ſi Sereniſſima Regina ſuam benignam manum & felicem dextram porrigat.* Vocat verò ibidem, *Alexandrum* noſtrum, *Virum optimum, integerrimum, literatiſſimum*, atque hæc addit: *Quæſo te atque oro, adſis exuli iſti Chriſti: . . . . . ac fidem haberi cupio homini humaniſſimo, d*) *Viro fideliſſimo, exuli innocentiſſimo, pudiciſſi-*

 mæ

a) STURM. l. c. p. 65.
b) Vid. SIMLER in Biblioth. Gesn. & MORHOF. in Polyhiſt. p. m. 373.
c) STURM. Epp. l. c. p. 68. conf. ibid p. 70.
d) STURM. l. c. p. 69.

Digitized by Google

mæ uxoris caſtiſſimo viro, chariſſimorum liberorum cupidiſſimo parenti: Denique, quantum huic benefeceritis, id totum Chriſto vos facturos credite. Quibus conſona ſunt quæ ad ipſam REGINAM *a*) tum temporis, itemque ad *Rogerum Aſchamum b*) in favorem Citolini idem ſcribebat STURMIUS;

Quid verò ulterius de illo factum fuerit, ignoramus.

PAULUS COLLI.

Hujus lectiſſimi Viri patria, equidem dicitur fuiſſe *Alexandria*, cum ipſe in Epitaphio dicatur Alexandrinus, ſed, eſt hæc Alexandria, in *territorio Mediolanenſi*, *c*) ut reverà inter Italos ſit natus, educatus & inſtitutus, vitæque rationem ibi habuerit.

Utcunque ſit, cum Alexandriæ adhuc verſaretur, Evangelii luce illuſtratus, ejusque ſplendorem ad concives transmittere cupiens, jam tum, domeſticam quandam eccleſiam, ſed non ſine ſummo periculo, habuiſſe dicitur.

A ſervulo deinde ſuo agreſti plane homine monitus, quam ei, inſidiarentur hoſtes, tandem in locum tutum concedere eſt coactus: Ipſe enim, hoc verbum, haud omnino abſimili modo, quam quod traditur de Aſina Bileami, *d*) velut ab occulta virtute profectum, accepit, ſtatimque, rebus divenditis ac convaſatis, in Rhætiam ſe primum cum familia contulit; ut liberiori conſcientia frui, & ſincerum Numinis divini cultum exercere poſſet.

Haud longo intervallo poſt, è *Rhætia*, *Tigurum* conceſſit, ſeque adſcribi eam in civitatem petivit: *e*) uti factum. Atque

a) STURM. l. c. p. 69. ſq.
b) STURM. l. c. p. 78. 79.
c) Vid. *Melch.* ADAMI in Vitis Jureconſultor p. m. 207.
d) ADAMI l. c. cujus hæc ſunt verba.
e) ADAMI in Vita Hippolyti à Coll. l. c.

Digitized by Google

que hac in urbe HIPPOLYTUS *à* COLLIBUS ipſi natus eſt A. 1561. d. 20 Februarii.

Is erat Vir Nobiliſſimus & Jureconſultus præſtantiſſimus, Palatinus ſub Electoratu Friderici IV. conſiliarius, multis ſcriptis & legationibus ad varios Principes inclytus, ac in Rep. literaria ſatis ſuperque notus *a*).

Interea tamen, eum deinceps *ad Baſileenſes* migraſſe, ibique A. 1572. vitæ finem habuiſſe docemur, in Ejus quod Baſileæ legitur Epitaphio *b*) quod ita ſe habet:

Paulo Colli,
Patritio Alexandrino
quem ſponte relicta Italia
Religionis ergo
Baſilea tandem gratum ſuſcepit hoſpitem,
Anno Sal. 1572. ætat. 54.
Exilii 13.
tribus impuberib. liberis ſuperſtitibus
prædefunctam ſecuto filiolam
Vidua moeſtiſſima Eſthera Caſtilionia
p.

ALPHONSUS CONRADUS.

Et hunc, quem *Mantua* protulit, eximium Chriſti ſervum, meritò inter *Italos Reformatos* recenſemus, ut Vir Cl. J. H. HEIDEGGERUS *c*) in Enchiridio biblico & SAGITTARIUS in Introd. in Hiſt. Eccleſ. Tom. I. p. 916.

a) Vide ADAMI in Vitis Jure conſultorum German.
b) TONJOLÆ Monum. Baſil. p. 124. & GROSS. in Epitaph. Baſil. p. 134.
c) Vid. C. A. HEUMANN. in Ep. ad Cl. IKEN. in Symbolis liter. T. I. p. 583.

Digitized by Google

humani quid passi sint, qui *Alphonsum* CONRADUM inter Scriptores Pontificios retulerunt:

Neque autem alia hic indigemus ad id comprobandum ratione, quam ea, quam ipse CONRADUS nobis suppeditat; Is enim, in Dedicatione *Operis* in *Apocalypsin* adornati, ad Christum directa, ita semet explicat: *Exsecretur me Papa, quærant me Principes ad necem, qui sub mentito Inquisitorum hæreticæ pravitatis nomine hæresin pessimam defendunt &c.* ac postmodum ita subscribit: *Ex tuo, quod mihi abs te paratum est in Rhætiæ montibus, asylo.*

Edidit scil. ALFONSUS noster, librum *commentarium in Apocalypsin D. Johannis Apostoli*, Basileæ apud Petrum Pernam 1574. 8. Hunc librum perrarum & vulgo incognitum, cum mea servet bibliotheca, ut pauca quædam inde excerpamus, operæ erit pretium, ex quibus facili negotio colligi potest, quod verè Reformatorum κατ ἐξοχην ita dictorum sententiæ fuerit addictus;

Certè pag. 39. non obscurè, *Ecclesiam* vocat *congregationem electorum*, cum *exclusione reliquorum*, ut intelligamus, *neminem esse Paradisi spiritualis inhabitatorem, nisi Christum & in Christo omnes electos, qui Deum ipsum jure possit vocare Deum suum.*

Pag. 67. ita: *Liber enim vitæ propositum Dei est, quo Deus ab æterno irrevocabiliter disposuit omnibus in Christo victoribus elargiri, ut Christi essent cohæredes. Non deleri ergo de libro vitæ, est perinde, ac non mutari propositum Dei, quo ab æterno statuit. . . . & quod Christus nomina eorum dicitur confessurus, id est, quod sit declaraturus, eos ex illis esse, qui in libro vitæ ita scripti sunt, & in proposito Dei tam irrevocabiliter ad salutem destinati, ut nulla possint ratione deleri* &c.

P. 71. *Quæ cum ita habeant, viderit Rom. Pontifex, qua temeritate id sibi juris usurpet, ut ipse sit qui sanctifi-*

cet

Digitized by Google

ficet populum, dum ſibi uni remittendi peccata poteſtatem eſſe blaſphemat.

Ad Cap. V. 12. p. 117. *Cum hunc locum conſidero, non ſatis mirari poſſum impiam ſophiſtarum impudentiam, qui non verentur hunc Johannis locum pro ſe trahere ad ſtabiliendum fictitium illum ignem, quem vocant purgatorium, in quo (ut dicunt ipſi; animæ fidelium à ſordibus purgantur, donec ad munditiem vita æterna dignam omnino deveniant &c.*

P. 119. *quod creaturæ Deo Patri & agno laudes accinunt, id aperte oſtendit, Chriſtum æqualem eſſe patri in potentia & majeſtate; cui eadem gloria, quæ & patri omnino tribuenda eſt.*

Ad cap. VI. 12. p. 135. *Et hic locus eorum deliramentum apertè confutat, qui ſomniant animas à corporibus diviſas usque ad judicii diem omnino dormire. Siquidem Joannes perſpicuè teſtatur, animas ipſas non dormire, ſed plane in judicio Dei adverſus impios expoſtulare. Eant igitur ineptiſſimi nebulones, nec audeant ſuas abſurditates in tanta ſcripturarum luce proferre.*

Ad cap. IX. 1. per *Stellam coelitus delapſam*, intelligit *Papam Romanum*, atque ita pag. 184. concludit: *Cum igitur Papa proferat eos fructus, quos hic Joannes de ſtella quæ de coelo ruit, & Paulus de homine perdito deſcribunt, quis neget Papam eſſe magnum illum Antichriſtum, qui caput eſt omnis impietatis & omnium errorum ſentinà.*

Ad cap. IX. 6. p. 189. *Locuſtis igitur aptè figurantur doctrinæ Papæ defenſores & exactores: nimirum hæreticæ pravitatis inquiſitores, epiſcopi & eorum in ſpiritualibus vicarii; quibus impiè ſuffragantur omnes monachi, presbyteri, ſophiſtæ, & quicquid eſt hypocritarum cohortis.*

P. 194. *Doctrinæ igitur Papæ fidem adhibere, eſt perinde ac ſe ipſum continuis mortis cruciatibus exponere.*

Ibid. *Locuſtarum ergo morſus, Papiſtarum exitialis im-*

Digitized by Google

pietas est, quod remissionem peccatorum & vitam æternam ex meritis operum contingere docent. Hanc autem doctrinam urgent minis, & hactenus inauditis cruciatibus, horrendis torturis, & morte modis omnibus plus quam sæviſſima.

Ad cap. XI. vs. 58. p. 248. „ Cum tanta ſit Papæ in „ Evangelium rabies, ut cupiat omnes perditum iri, quos „ vel leviter Evangelium attigiſſe noverit, tum tanta eſt Dei „ erga nos benignitas, ut non patiatur nobis deeſſe refu- „ gium, quò Papæ tyrannis non irrupit. Hinc multi ex Ita- „ liæ finibus, ubi Papa absque omni prorſus reſiſtentia ty- „ rannidem ſuam exercet, recedentes & ad invictiſſimos Rhæ- „ tos confugientes ſævitiam rugientis leonis evadunt.

Cap. XIII. 1. p. 297. *Non igitur cum de Antichriſto diſſerendum eſt, nobis proponemus neſcio quem hominem, qui in Babylone vel Hieroſolymis quærendus ſit, ſed Papam ipſum affirmabimus eum eſſe, qui cum ſit primarius & inſignis majeſtatis Chriſti noſtræque ſalutis hoſtis, merito Antichriſtus vocandus eſt.*

Ad cap. XXI. 3. „ Dicitur autem Deus in electis habi- „ tare, cum juxta Pauli doctrinam, largitur illis ſecundum „ divitias gloriæ ſuæ, ut corroborentur in interiori homine. „ Quia quos Evangelii prædicatione excitavit ad quærendam „ & aſſequendam renovationem, illos etiam interna ſpiritus „ operatione inflammat ad amorem juſtitiæ, novamque pror- „ ſus efficit creaturam, ut, ſi ſpiritu vivunt, ſpiritu quoque „ ambulantes oſtendant Deum in illis habitare.

Quænam verò ultima Auctoris noſtri fuerint fata, minime nobis conſtat.

COELIUS SECUNDUS CURIO.

Hujus Viri, inter *Italos Reformatos* inclyti, Memoriam hic meritò refricamus, quod ingentia ejus in doctrinam Refor-

Reformatam ſunt merita, isque magnam ſibi nominis claritatem apud Reformatæ religionis Confeſſores acquiſivit, nullis ſeculis obliterandam.

Erat ex Cyriaco Taurinorum oriundus, quæ regio dicitur Pedemontana, natus A. 1503. Patre *Jacobo Trotterio Curione*, *a*) Viro nobili, multorumque liberorum parente, quanquam noſter ex viginti tribus unicus, manſerit filius Patri ſuperſtes, & cui natorum ſtirps in hunc usque diem minime defuit:

Poſteaquam *Coelius*, poſt mortem parentis, (qui eum natu minimum, cum novennis eſſet, jam reliquerat) in *Academia Taurinenſi* inſtitutus eſſet, ac Juriſprudentiæ operam navaſſet, nec eſſet niſi annorum viginti, jam dicitur *b*) ſingulari flagraſſe ſtudio cognoſcendæ fidei doctrinæ, quæ tum à ſcoriis pontificiis repurgabatur, ac ad normam Evangelii reſtaurabatur.

Tum verò, lectione diligenti ſcriptorum, *Zwinglii*, *Lutheri*, & *Melanchthonis*, (uti acri judicio præditus erat) de veritate Evangelica convictus, eidem juvenis admodum nomen dedit, eamque propagare ſtudens, varias Italiæ, & nobiliſſimas urbes peragravit, ob religionem multa iniqua, plagas, vincula, carcerem denique, ſubiit, ex quo tamen ſingulari & mirifica *c*) providentia divina liberatus eſt.

Cum igitur tandem perviderer, non poſſe ſe amplius cum familia ſua in Italia eſſe tutum, ſtatuit Germaniam accedere, ſicque cum literis Renatæ, Ducis Ferrarienſis, (in cujus tutelam ſeſe quoque receperat) commendatitiis ad Tigurinos Bernatesque profectus, ab his in Lauſannenſis ſcholæ moderato-

a) Vid. STUPANI Oratio in Curionis obitum, in Cl. SCHELHORNII amoenit. literar. T. XIV. p. 329.

b) STUPAN. loc. cit. p. 330. 1.

c) Hujus captivitatis pariter ac *liberationis mirificæ Hiſtoriam*, ipſe CURIO enarravit in dialogo, quem *Probum* inſcripſit, quemque *Schelhornius* inſeruit *Amoenit. Hiſt. Eccleſ.* T. I. p. 76a. Conf. STUPANUS loc. cit. p. 336-342.

Digitized by Google

ratorem ſuſceptus eſt, atque eidem, antequam Baſileam *a*) adiret, quatuor integros annos, magna cum laude, nec minori cum ſtudioſorum emolumento præfuit.

Abinde verò *Baſileam* venit, A. 1547. qua in civitate, quæ non minorem ab eo ſplendorem accepit, quam ipſe ab ea eſt illuſtratus, per annos propemodum viginti tres, Philoſophiæ & Eloquentiæ ſtudia profeſſus eſt, ac docendo ſcribendoque maxima cum nominis celebritate vixit, prouti deinceps, cum non à *Lithuanis* tantum & à *Pontifice Romano*, ſed &, ab *Imperatore Maximiliano* atque deinde à *Transſylvanis* fruſtra eſſet expetitus, Baſileam verò his omnibus prætuliſſet, ab Ampliſſimo Senatu, jure civitatis ad omnem ejus poſteritatem devolvendo donatus eſt, ac tandem A. 1569. diem obiit ſupremum, cum ipſe ſexageſimum ſeptimum ageret ætatis annum, atque *Auguſtinum* filium, ſummæ ſpei juvenem turbato naturæ ordine, *b*) (ut, cum THUANO loquamur) ante paucos annos extuliſſet.

Inter Scripta ejus, eminet tractatus, ſub titulo *Aranei*, ſive de Providentia Dei. Porro, *de Amplitudine Regni Dei*, Liber inſignis. Idemque Liber famoſus, ſub titulo *Pasquilli Ecſtatici*, quo fere non datur jucundior alter, quoque mores Cleri Romani & inſtituta ejusdem, facete, ſed ſimul acute, ſolide, erudite, & elegantiſſimo ſtylo carpit, ne multa commemoremus alia, à *Teiſſierio*, *Stupano*, *Bælio*, *Schelhornio* aliisque, *c*) notata.

Ne-

a) STUPANUS l. c. apud SCHELHORN. p. 344. Conf. *Curionis* Præfat. ad Pasquillum ecſtaticum, ubi *Conſules* Arctopolitanos i. e. *Bernenſes*, ita alloquitur: *Vos me ab Italia Evangelii cauſa exulem & naufragum recepiſtis, Vos Lauſannenſi collegio præfeciſtis &c.*

b) Vid. THUANUS Hiſtoriar. lib. XLVI. §. XVII. p. 756. ad A. 1569.

c) Ejus libri quandam nobis contexit Hiſtoriam Cl. SCHELHORN in Amoenit. liter. T. XII. p. 592 ſq. Conf. *florileg. noſtr.*

Digitized by Google

Neque tamen CURIONEM dimittere poſſumus, priusquam adhuc, &, divinam in eo conſervando ac hoſtium manibus eripiendo celebremus opem, & Singularia quædam de ejus familia commemoremus, & denique, ejus Famam à quibusdam collabefactam vindicemus.

Quod ad *primum* attinet; Cum in ſummis anguſtiis, etiam poſt ejus ex Italia migrationem *a*), conſtitutus eſſet, opiferam Dei manum expertus eſt: Res ita ſe habet; *b*) Cum ex Helvetia ubi ſedem jam conſtituerat, in Italiam, repetendæ uxoris & liberorum cauſa rediret, nec tamen in *Luccenſem* urbem, ubi illos reliquerat, auderet ingredi, ſed in vicino oppido, cui *Paſſa* nomen eſt, ſubſiſtens expectaret, ita deliteſcere non potuit ut non percrebreſcente fama innoteſceret; Nec mora longa, cum enim inermis nec quicquam tale expectans, prandium ſumeret, adeſt ex improviſo, Præfectus Inquiſitorum, quem *Bariſellum* Itali nuncupant, cum lictoribus; quibus ante portam diſpoſitis, ipſe coenaculum, in quo ſolus prandebat, ingreſſus: *Dabis* inquit *te captivum*, *ſummi Pontificis nomine*, *in meam poteſtatem*, COELIUM, cum & ipſum coram videret, & lictores reliquos, juxta gradus portam obſervare cerneret; nec ſupereſſe ullam evadendi rationem, ſurgit è menſa, & ſe in ejus poteſtatem daturus, obviam procedit; cultellum tamen, quo cibum ſecando præparabat, forte manu retinet. Hic, Bariſellus ſubito, cum & grandi corpore virum ſibi obviam procedere videret, eundemque cultrum manu tenere, ſtatim metu concidit. Coelius exit è coenaculo, deſcendit, per medios lictores tranſit,

noſtr. lib. rar. pag. 100. ſqq. ita BAUMGART. in relat. de Biblioth. Halenſi Tom. II. pag. 409. & ſq. Atque extat. in *Muſeo Helvetico* part. XXVIII. pag. 544-558. Catalogus librorum à *C. S. Curione*, itemque filiis *Horatio* & *Cælio Auguſtino* editorum.

a) De priori enim liberatione, quam in dialogo ſuo ſub nomine *Probus* evulgato deſcripſit, jam monuimus.

b) STUPANUS loc. cit. p. 344.

Digitized by Google

ſalutat, non agnoſcitur, ingreditur ſtabulum, equum conſcendit, aufugit. Cumque ipſi poſtea, agnito eo, quod factum eſſet, canibus equisque velocibus eum inſequerentur; Ecce, adeſt ſubitò de coelo tanta tamque vehemens tempeſtas, ut ab inſtituto diſcedere cogerentur.

Ipſe autem CURIO, præſentiſſima Dei, ac velut ἀπο μηχανης, ope, iterum è mortis faucibus liber evaſit.

Sed, quod ejus adtinet Familiam, non eſt prætereundum, quod ex liberis ejus, tres filii, *Italorum Reformatorum* numerum adauxerint, quodque filiæ ejus omnes, ſupra ſexum eminuerint, at maturo tamen fato fuerint extinctæ, parentesque reliquerint orbos.

Inter filios, major natu, erat *Horatius* CURIO, natus *Caſale* cognomento S. Evaſii, quæ urbs Montiſferrati caput eſt, A. 1534. Is poſtquam in philoſophicis, itemque in Arte Medica, non poenitendos fecerat progreſſus, ac anno ætatis 20 jam *Piſis*, Lauream doctoralem receperat, ſimul verò, cum excelſis animi dotibus & admirabili præditus eſſet prudentia, in Imperatoris Ferdinandi aulam vocatus, Conſiliarii munere functus eſt, neque tamen ultra trigeſimum ætatis attigit annum, defunctus A. 1554. atque à Patre, Virgiliano quodam carmine in ejus obitum concinnato, honoratus, ad juſſum verò Maximiliani Imp. ſequenti Epitaphio eſt condecoratus

Deo Immor. Et V. S.
Hic ſitus eſt Horatius Curio
C. S. C. F.
Phil. & Medica Laurea
An. ætat. ſuæ XX. Piſis donatus
cujus
Ingenium, prudentiam & fidem
admirati Reges
Ejus opera in maximis negotiis

ſunt

a) Vid. Cl. SCHELHORN. l. c. ubi & Coelii Patris in obitum filii Luctus legitur pag. 371. ſq. ex Virgilio concinnatus.

Digitized by Google

ſunt uſi &
Ferdinando ejusque F. Maximil.
Auguſtis cognitus
Ad intima conſilia adhibitus eſt
Graviſſimisque de rebus pro
Chriſti. Relig.
Bizantium miſſus
in ipſo munere exceſſit è vita
magno ſui deſiderio
non parentibus modo moeſtiſſ.
Propinq. & amicis
ſed & ipſi Cæſari aliisque
quibus fuit notus
relicto.
Anno ætatis ſuæ XXX. die XV. Febr. humanæ
ſalutis MDLIV. Maximiliani juſſu amici.
F. C.

Alter Filius, erat *Auguſtinus* CURIO, *Salis*, Inſubriæ oppido, natus A. 1538. Is tales jam in Italia progreſſus feciſſe dicitur in literarum ſtudiis, ut in juvenilis ætatis flore inclareſcere coeperit, deinde Profeſſor *Academiæ Baſileenſis* factus, per biennium illi muneri præfuit, extinctus ante Patris obitum biennio A. 1567. variis præterea ſcriptis clarus, quæ breviter à *Martino* CRUSIO *a*) ita recenſentur.

„ Magnam jacturam in hoc Juvene literæ resque publica
„ fecerunt. Scripſerat enim jam *Hieroglyphicorum libros*
„ *duos*, qui Pierii libris additi ſunt, & *de Saracenorum*
„ *origine imperio rebusque*, toto terrarum orbe per ſeptin-
„ gentorum annorum ſpatia geſtis, libros tres, in quibus utris-
„ que operibus tanta antiquitatis cognitio elucet, ut ſi pue-
„ ri dicendi ſunt ex Ægyptii ſacerdotis ſententia, qui nullam
„ antiqui temporis memoriam tenent, is jam ſenex alterque
„ Neſtor ſit habendus, qui tantam tamque accuratam Antiqui-

a) Vid. Mart. CRUSII *Germano-Græcia* fol. 302.

Digitized by Google

„ tatis memoriam poſſederit. *Italiæ deſcriptionem*, regna „ atque imperia ex *Leandri Alberti Bononienſis* commen„ tariis, vertebat in Latinum ſermonem & caſtigabat ac lo„ cupletabat. Alia multa inchoarat, quibus, qui ſupremam „ manum apponat, tanquam Phidiæ operi aut Apellis, vix „ aliquis eſt futurus *a*).

Tertius erat *Leo*, itidem natus *Salis*, Inſubriæ oppido, A. 1536. qui, quod ingenium haberet Πολιτικωτερον, varias peragravit regiones & varia ſubivit fata, usque dum A. 1557. Baſileam redux ibi lares figeret, atque *Flaminiam Muraltam* ex Muraltorum Locarno oriundorum familia nobili, uxorem duceret, ex qua in plures ſtirpes ita dein ejus ſe extendit poſteritas, ut *Buxtorfiorum*, *Zwingerorum*, *Gernlerorum*, *Werenfelſiorum*, *Grynæorum*, *Freyorum* &ſim. propago exinde propullulaverit, ſicque per hos Italos Reformata Eccleſia mirum in modum fuerit promota & adaucta.

Ex filiabus autem Curionis, major natu, *Violanthis*, *Cevæ* in Italia nata, ac dein cum parentibus Lauſannam & Baſileam traducta, A. 1553. nupſit *Hieronymo Zanchio*, qui & ipſe Italus Reformatus, ac Theologus tum erat Argentinenſis celeberrimus, ſed ita ut poſt triennale illud conjugium, jam quoque in ipſo ætatis flore legatur extincta. *b*)

Altera erat *Angela*, Lauſannæ nata 1543. cujus ingenium, mores, eruditio & auxilium Patri in collatione Auctorum & corrigendis Auctoribus Latinis ſæpenumero præſtitum, collaudantur, *c*) niſi quod ea jam A. 1564. ſicque in ipſo ætatis flore ſit extincta, quam eodem fere tempore & eodem morbi peſtiferi genere comitabantur, ſorores, *Coelia & Felix*,

a) Conf. SCHELHORN. l. c. p. 401. 402. qui & pag. 374. habet: Lacrymas Coelii P. in Coelium Auguſtinum filium.
b) Epicedium in eam, atque Epitaphium, habet SCHELH. l. c. p. 362. ſq.
c) Epiſtolas quasdam Latinas ab ea conſcriptas exhibet SCHELHORN. l. c. p. 364.

Digitized by Google

lix, utræque Lauſannenſes, utræque moribus cultiſſimis; *a*) Atque hæc quidem de ejus liberis:

Non defuerunt autem, qui Famam Curionis noſtri proſcindere, eumque Unitariis ita dictis accenſere non fuerunt veriti: Sed, bonum factum, quod ab ea labe eum immunem fuiſſe, jam evicerit Cel. SCHELHORNIUS, qui ex ipſis Curionis ſcriptis puritatem doctrinæ *b*) ejus in eo capite demonſtrat, & quæ ab adverſariis, ejus memoriæ ſunt objecta, ſcitiſſimè convellit & refutavit.

CAROLUS DIODATI P. & JOHANNES DIODATI F. } Luccenſes

CAROLUM hunc, patricia apud Luccenſes ortum familia, ſed quem emendatæ Religionis ſtudium, Genevam, commune Italorum Reformatorum aſylum, adduxit, tantò minus omittendum eſſe cenſemus, quantò majora ejus in Eccleſiam Reformatam ſunt merita, vel ideò, quod Filium JOHANNEM DIODATI, at quantum Virum, & quantæ in Eccleſia Reformata auctoritatis, protulit.

Enimverò, *Johannes*, quoque, priusquam patriæ valedixerat Pater, apud Luccenſes natus A. 1576. inter *Italos Reformatos* meritò recenſetur: Quodque is admodum Juvenis cum Patre Genevam appulerit, colligitur ex eo quod jam anno decimo nono *c*) ætatis, ibi *Theodori Bezæ* hortatu & impulſu profeſſionem Hebraicæ linguæ fuerit adeptus, atque deinde ad Profeſſionem Theologicam ſit evectus, atque etiam Paſtor Eccleſiæ tum Gallicæ tum Italicæ, renunciatus, qui-

a) Menemoſynon in trium filiarum obitum lapidi ſepulcrali inſcriptum exhibet SCHELHORN. l. c. p. 369.

b) Conf. *florileg. noſtr. libr. rar.* pag. 103. 104. & SCHELHORN. in Amoen. lit. T. XII. p. 600-628.

c) Vid. SPON. in Hiſtoria Genevenſi Gallicè edita Lib. III. p. m. 511. Conf. MESTREZATI Programma in ejus obitum in Miſcell. Tigur. T. I. pag. 50.

Digitized by Google

bus muneribus, ſummisque adeò Eccleſiæ & Academiæ honoribus, quod ſumma cum laude fuerit defunctus, docemur, quippe cum A. 1614. quoque ad Synodum Dordracenam una cum *Theod. Tronchino* fuerit ablegatus, ac cumprimis dicatur, cum aliis quinque Theologis adhibitus, ad conſignandos Canones doctrinales. *a*)

Ceterùm, ejus *Biblia* in linguam Italicam converſa & notis illuſtrata, ac Genevæ A. 1607. in forma quarta majori, maximopere celebrantur, habeturque hæc Verſio inter optimas, non diffitente *Richardo Simonio*, qui ceteroquin tamen eam non dimittit irreprehenſam. *b*)

Sed & *Pſalmos* Davidicos metro comprehenſos atque ad tonos Muſicos directos, eundem Italicè edidiſſe, teſtatur COLOMESIUS. *c*) Quam editionem Harlemi 1664. 8. factam ipſe ſervo.

Neque verò ſolùm *Italicam* Bibliorum Verſionem, ſed & *Gallicam* eundem procuraſſe, notum eſt. Genev. A. 1644. fol.

Quinimò DIODATUS, etiam Hiſtoriam Concilii Tridentini à *Paulo Sarpio* Italico ſermone conſcriptam in Gallicum idioma tranſtuliſſe, atque hinc inde quædam de ſuis interperſiſſe, *d*) refertur.

Fa-

a) SPON. loc. cit. & COLOMES. in Italia Orientali pag. 126. not. k. Conf. MESTREZAT. Progr. l. c. p. 51.

b) Vid. SIMON *Hiſt. Crit. du vieux Teſt.* Lib. II. cap. 20. p. 340. & ſq. Nic. Franc. HAYMIUS in *notit. libr. rar. Ital.* pag. 287. de hac verſione ita: Gior. Diodati traſlato con molto ſtudio, ma non ſenza miſtura de' ſuoi errori. . . . molto ſi loderebbe le ſue note, ſe non le aveſſe contaminate fraquentemente del veleno calviniſtico.

c) COLOMES lib. cit. p. 126. Conf. BAUMG. Relat. de libris rar. Vol. XI. p. 200.

d) Vid. MENAGIUS in Origin. Gallicis, in voce Hugenots pag. 408. a qua tamen interprolationis labe eum defendit ANCILLON in Miſcellan. Crit. Tom. II. p. 238.

Digitized by Google

Fatis functus est Genevæ A. 1649. d. 3 Octobr. anno ætatis septuagesimo quarto, εὐθανασιαν nactus ἀθανασιας natalem, sibique & operi suo promissam mercedem reportans.

Rarò autem *a*) coeuntes in ipsum Doctoris ac Pastoris confluxerant dotes, inexhaustus doctrinæ thesaurus, pietas in Deum, charitas in exteros juxta ac conterraneos minimè vulgaris, memorabilis animi libertas, grandiloquentia summa, sed genuina, sine fuco, sine lenociniis, cui anima zelus erat, quæque affectus auditorum mirum in modum commovebat.

THADDÆUS DUNUS vel à DUNIS.

Et hunc emendatæ religionis asseclam & Confessorem nobis protulit *Ecclesia* dum florebat *Locarnensis*; Quamvis autem nomen ejus fere sit obliteratum, bene tamen se habet, quod & Bibliotheca *Gesnero Simleriana*, & *Bibliotheca Tigurina* Jo. H. HOTTINGERI, scripta ejus, qui primum *Locarnensis* deinde *Tigurinus* fuit Medicus, nobis enarrarunt: In Cl. VOGTII Catalogo libr. rar. ejus quoque commemorantur tractatus rarissimi, *de Peregrinatione filiorum Israel in Ægypto Tiguri* 1595. 4. & *Responsio Apologetica ad calumnias Dan. Angelocratoris, de tempore peregrinationis Israelitarum in Ægypto* ibid. 1603. 4. De quibus ita Gisb. CUPERUS ad J. J. SCHEUCHZERUM *b*) scribebat: *Nunquam vidi Thaddæum Dunum de Chronologia servitutis Ægyptiacæ, nec audivi ante epistolam tuam eundem nominari. Alicujus*, imò, magni pretii debet esse, *quod Tu, vir eruditissime, eum laudes.*

At verò etiam, Epistolarum biga ab ipso A. 1549. ad *Henr. Bullingerum* data inserta legitur *Tempe Helveticæ* Tom. IV. pag. 190. sq. ubi inter alia, in priori d. V. Id. Sextil, data ita de se: pag. 190.

Ju-

a) Programma l. c. p. 51.
b) Apud SCHELHORN. *Amoen. Hist. Eccl.* T. II. p. 985.

Digitized by Google

Juvenis quidem ſum, nomine Thaddæus, natione Italus, patria Locarnenſis, illuſtriſſimorum dominorum Helveticorum ſervus fideliſſimus. Triennium, Baſileæ egi, ubi liberalibus artibus & Medicinæ operam dedi; deinde Ticinum me contuli, illicque biennium jam elapſum trivi in Medicinæ ſtudiis. Nunc vero domi ſum, Locarni, ſcilicet, quoniam vacationes habentur.

Tui, omniumque Chriſtianorum, eorum præcipuè qui de Rep. Chriſtiana bene merentur, ſum amantiſſimus, ſacris vero ſtudiis (abſit gloria) ita deditus, ut in his maximam temporis partem inſumam.

In poſteriori *a*) pridie Kalendas Octobres ſcripta, ita animi mentem exponit:

„ Nam, ſi domi non licuerit, vitam Chriſtiano homine dig-
„ nam ducere, ſaltem peregre licebit, ubi ubi Dominus vo-
„ luerit. Neque vero putes nos eſſe tres quatuorve, ſane
„ ſumus quam plurimi, quanquam multi paulo infirmiores ſunt,
„ & lacte potius quam ſolidiori cibo egent.

Fuit is idem ille, qui *Franciſci* STANCARI Mantuani, in *Epiſtolam Jacobi* canonicam, *Expoſitionem* ex Italico in Latinum ſermonem tranſtuliſſe refertur; *b*)

Sed &, *Bernardini* OCHINI, Senenſis, *de Purgatorio* dialogum utiliſſimum, quod ex Italico in Latinum converterit, atque Tiguri edendum dederit, A. 1555. 8. conſtat, uti ejus Epiſtola ad *Franc. Lismaninum*, libro ſubjecta legitur, ſub hac Inſcriptione: *c*) *Thaddæus Dunus, Locarnenſis Medicus, Chriſtianis lectoribus, ſalutem per Jeſum Chriſtum redemtorem noſtrum.* Tiguri IV. Idus Decembris MDLV.

FA-

a) *Tempe Helv.* l. c. p. 194.
b) Vid. *Biblioth. Gesn-Simler.* Voc. *Thaddæus.*
c) Vid. BAUMG. Hall. Biblioth. T. V. p. 364.

Digitized by Google

FAVENTINUS PHANNIUS S. *FANNIUS.*

Est Faventia (vulgo *Faënza*) Romani Pontificis civitas propria, quæ, uti propter Evangelium ibi jam A. 1527. prædicatum nobilitatur, *a*) ita nobilem hunc Fanniúm, (ordinario dictum Faventinum) produxit, scriptis æque ac martyrio sanguinis, quo Veritatem Evangelicam confirmavit, clarum.

Eum inter renascentis in Italia purioris Christianismi instauratores præcipuos jam in Iconibus suis retulit *Theodorus* BEZA, *b*) atque observat, quod, cum ea urbs ob artis figulinæ opera esset celebris, is dum cæteri cives terreis fingendis vasis erant occupati, operi divino in animis hominum sculpendo fuerit intentus, eoque nomine fuerit in captivitatem datus, cum non aliam incarcerationis causam haberent Antichristi ministri inquisitores, quam quod Christum Servatorem unicum profiteretur. Quod factum est A. 1547 vel 1548.

Enimverò, cum in carcere detineretur, uxor, liberique ejus & amici, eum continuis precibus ita sollicitarunt, ut his defatigatus, aliquid humani primò passus fuisse dicatur, ac veritatem non eo, quo decuerat, animo imperterrito retinuisse, qua animi inæquabilitate, minimè laudabili, veniam tum, & carceris liberationem, fuerit consecutus.

Sed, bene se habet, quod illam tamen ingenii imbecillitatem, dato in poenitentiam spatio, eluere deinceps minimè neglexerit, non solùm, per liberiorem Evangelii prædicationem, quam in *Romandiola* vicinisque terris suscepit, docendo & instruendo homines, tenebris Cimmeriis obsessos, iisque inculcando veritatem agnitam; sed &, per longinqui carceris biennium, ab a. 1548-1550. quippe quod ita quoque fructuo-

 sum

a) Vid. *Paulus* SARPIUS in Histor. Concil. Trident. p. 40. edit. Lat. & p. 87. edit. Gall.

b) *Th.* BEZÆ Icones Hh. ii.

Digitized by Google

ſum fuit, ut ſcripta ejus deinceps commemoranda referri mereantur *a*) in numerum, *librorum ex infortunio veluti natorum*, ſunt enim in carcere *b*) ea ſcripto conſignata, quin imò etiam, per mortem, quam Ferrariæ A. 1550. ſubire debuit violentam, ſed magna cum animi lætitia ac fidei parrheſia, nequicquam pro eo apud Papam Julium III. intercedente Lavinia Principe Ruverenſi, quæ, uti Olympiæ Moratæ patrona erat, ita ad ejus patrocinium pro Fannio intercedebat.

Scripſit complures Epiſtolas, & multa alia de pietate bene meritus, etiam cum in ultimo carcere detineretur; Inter ea duo ſunt libri *c*) *de proprietate Dei*, & alii duo, *de Confeſſione*, totidem etiam, *de modo ac ratione, qua fidelis homo cognoſci atque ab infideli diſcerni poſſit*; præterea, ſunt ejusdem centum homiliæ de maximis & graviſſimis fidei capitibus, multaque alia ad pietatem & religionem ſpectantia.

Sed, hæc omnia lingua Italica conſcripta ſunt, cum Latinæ linguæ eum parum peritum fuiſſe conſtet.

De Sermonibus autem quos *Fannius* egregios habuit in carcere, in via ad rogum, & in rogo ipſo *d*), atque, de violento ejus martyrio, conſuli debent, *Actiones & Monumenta martyrum*, qui à *Wiclefo* & *Huſſo* ad noſtram ætatem Evangelicam veritatem ſanguine ſuo obſignarunt à pag. 162-166.

Sed &, extat *Francisci* NIGRI Baſſanenſis brevis relatio *de Martyrio Faventini & Dominici Baſſanenſis*, prelo commiſſa Clavennæ, pridie Kalend. Novemb. 1550 lectu digniſſima.

Cujus libelli titulo hoc legitur inſcriptum: *Hinc agnoſcere* po-

a) Vid. SCHELHORN. amoenit. literar. T. XIV. p. 578.
b) Vid. *Lud.* RABI Martyrolico. Lib. V. c. 32. fol. 729.
c) Vid. CRISPINI *Actiones & Monumenta Martyrim* &c. Genev. 1560. 4.
d) Vid. NOLTEN. Diſſ. de vita & ſcriptis Olympiæ Fulviæ Moratæ p. 38.

Digitized by Google

pateris, pie lector, quid à Romanenſium episcoporum Concilio ſit expectandum, quum, qui illud indicit Papa, talia publicæ Chriſtianæque cauſæ præjudicia in medium proferre audeat. Hi cum agno pugnabunt & agnus vincet illos. Apocal. XVII.

MATH. FLACIUS ILLYRICUS.

Celeberrimum hunc in Eccleſia cumprimis Evangelico-Lutherana Theologum, variisque cum actis tum ſcriptis nobilitatum, nobis protulit Ditionis Venetæ Regio nobilis *Iſtriâ*, & quidem, parva ejus civitas *Alba* vel *Albona*, unde gente *Illyricus*, patria *Albonenſis*, cognomento FLACIUS dicitur, cujus pater *Andreas Flacius* erat, mater autem *Jacobea* ex nobili *Luciorum* familia: Natus eſt A. 1520. ac primo domi paterna gaviſus eſt inſtitutione; ſed, patre præmatura morte defuncto, opera & labore *Francisci Aſcerii* Mediolanenſis hunc induſtriæ, ac infantilium ſtudiorum fructum tuliſſe dicitur, ut Venetias adire ibique ſcientiarum campum ingredi ac inſtitutione *J. Baptiſtæ* EGNATII VENETI præclari uti poſſet; In ejus acroaterio cum Literarum humaniorum fundamenta plenius poſuiſſet, nondum annos viginti natus, ad vitam Coenobiticam ſe aſpirare prodebat, ſibique monachalem vitæ ſtudiorumque rationem eligere videbatur.

Tum verò, *Baldi Lupetini* (quocum ceu propinquo ſuo materno conſilium communicaverat,) ordinis Franciscanorum Provincialis monitis ac diſſuaſionibus morem gerens ab eo inſtituto deſtitit, ac potius Italiam *relinquere*, ſuisque amicis valedicere, ac in Germaniam ſecedere, ibique purioris doctrinæ aſſeclas inquirere, ac ſemet ipſorum religioni tradere,

a) Dicitur etiam *Francowitzius*, ſub quo nomine BAYLE in Lex. de eo agit.

Digitized by Google

varioque modo ſibi nominis famam acquirere, ac rem ſacram promovere, eſt anniſus.

Interea, quantas ille deinceps, in Eccleſia Lutherana cumprimis, excitaverit turbas, ac violenta duraque ſectatus fuerit conſilia, quantopere à via recti aberraverit, in deſcribenda peccati originalis natura, quomodo in Schisma apertum cum reliquis fratribus ſuis fere inclinaverit, ac miris modis *Phil. Melanchthonem*, ejusque diſcipulos mitiora ac irenica conſilia cum Reformatis meditantes, fuerit perſecutus jam non inquirimus, *a*) nec ejus Hiſtoriam, ſingulari cura à doctiſſ. Viro *Jo. Balthas.* RITTERO Theol Francofurtano A. 1723. 8. pertractatam, recenſemus, modo id monuerimus unicum; Eundem, colligendo & edendo, *Catalogum Teſtium Veritatis:* Conſcribendo ac publicando, *Clavem ſcriptura ſacræ:* & conſignando, *Centurias ita dictas Magdeburgenſes*, immortalem ſibi inter Proteſtantes aſperrimis illis temporibus acquiſiviſſe Laudem, non obſtantibus reliquis illis defectibus, quos equidem defendere, licet quidam magna cum animi contentione non vereantur, nemo æquus facilè ſuſtinuerit.

MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS.

Tametſi *Marcus Ant.* FLAMINIUS, in communione Eccleſiæ Romanæ obiit A. 1550. d. XII. Kalendar. Martii.

b) Vid. *Jo.* HOORNBEKIUS, qui in ſumm. controverſ. Lib. IX. p. 680. „ Flacius, inquit, ex præcipuis fuit Melanchthonis & Wittebergenſium, in contentione decennali „ de adiaphoris, adverſarius. Ubi, ſi rem ipſam ſolum ſpectaſſent, non improbandum erat, quod remiſſiori de adiaphoris, quæ prætendi vulgo talia ſolent, non haberi, & „ revera pons ſunt, per quem Papismus reduci queat, ſententiæ ſe opponerent, niſi pro inconſiderata ſua vehemen„ tia, à re ad perſonam pergentes, ſtuduiſſent hoc pacto „ Virum optimum, *Phil. Melanchthonem*, collegasque & „ ſocios, ſævum in modum opprimere & perdere.

Digitized by Google

dii ætatis 52. eſtque Romæ in ædè nationis Britannicæ ſepultus, juſſu Reginaldi Poli, Cardinalis, uti in ejus Vita ex tabulario Baſilicæ Vaticanæ teſtatur MANCURTIUS; *a*) tamen eundem meritò referimus in numerum *Italorum Reformatorum*, id eſt talium, qui & *Reformationis* negotio ſaverunt, & doctrinam *Reformatam* profeſſi ſunt, miſſis, ſi non omnibus doctrinis Romanenſium, næniis ſaltem ac ſuperſtitionibus, quosque adeò in fide eadem, quam & profeſſi ſunt Reformatores, & profitemur ipſi, mortuos eſſe, nulli dubitamus.

Quidnam verò impulerit *Petrum* BÆLIUM *b*), ut omni niſu contendat, ne Flaminius vel dicatur Lutheranus, vel Reformatæ doctrinæ aſſecla, vix aſſequimur, licet bene ſe habeat, quod exceptiones luculentâ reſponſione jam evacuaverit Cl. SCHELHORNIUS, ſingulari edita diatriba *de Religione Marci Antonii Flaminii d*), diligenter annotando, quod inter ſtatum ejus juvenilem & inter ætatem ejus provectiorem omnino diſcernere nos oporteat, cum certum ſit, eum in adultâ ætate demum convictum, ac ad Evangelicam veritatem *e*) fuiſſe converſum, cum antea vanis voluptatibus fuiſſet deditus, atque à Lutheri doctrina alienior; Tum enim ad lectionem S. Scripturæ traductus & in aula Renatæ Ferrarienſis commoratus *e*), exemplo *Petri Carneſecæ* & *Jo. Valdeſii* Hiſpani, inſtimulatus, ad frugem rediit, ac veritatem non ſolum amplexus eſt ipſe *f*), ſed & alios ad ejus receptionem excitavit; *g*)

a) *Franc. Maria* MANCURTIUS in Vita Flaminii p. XXXI. apud SCHELHORN. in Amoen. Hiſt. Eccl. T. II. p. 87.
b) In dictionario, voce *Flaminius*, quodammodo Thuani veſtigiis inſiſtens.
c) SCHELHORN. lib. cit. à pag. 1—179. incl.
d) SCHELHORN. l. c. p. 43—47.
e) Vid. SCULTET Annal. Evangel.
f) Conf. præfat. ejus in Pſalmorum explanationem, apud SCHELHORN. l. c. p. 46.
g) Patet id ex Sylveſtri Lilii exemplo, ad quem hæc in literis ſuis

Digitized by Google

Id saltem certum est, Flaminii nostri Paraphrases, & commentarios in Psalmos, Liceras & carmina omnia in catalogo *Librorum hæreticorum*, jussu Pauli IV. A. 1559 Romæ conflato, inter *opera damnata a)* recenseri, licet Tridentini tamen deinde in repetito illorum Indice, uti & reliqui Judicum Editores eum totum silentio præterierint.

Quid? quod videamus Flaminium à *Jacobo de Laderchio*, Faventino, recentissimo Annalium Baronii continuatore, disertim *inter hæreticos* reputari, atque inter causas cur *P. Carnesecca* extremo supplico à Pio V. fuit affectus, etiam connumerari *b)*, quod cum *Flaminio*, aliisque, *Valdesio*, *Ochino*, *Martyre*, *Caracciolo*, *Vergerio* & sim. amicitiam & consuetudinem habuerit & hæreticorum librorum lectione fuerit oblectatus, uti inter hæreticos libros idem *Apologeticum M. A. Flaminii c)* refert pro libro, cui tit. *Beneficium Christi*.

Accedit quod *Aug. Calmetus* ea propter etiam in *Bibliotheca sacra*, dictionario ejus Historico Critico præmissa, *Flaminium* inter Protestantes Psalmorum Interpretes recenserit, licet sibi eodem velut halitu, (si fides est Cardinali *Quirinio*) *d)* contradicat, eum nobis describendo, ceu *Catholicum optimum*. Και ταυτα μεν δη ταυτα.

Qui

suis PALEARIUS usurpavit verba: *In iisdem literis vidi, te Pauli epistolas legisse. Nam Flaminius tuus & idem noster ad theologiam cohortatus est. Dii bene homini faciant, qui ut te bearet deduxit ad magistram veræ vitæ, ad disciplinarum principem & reginam* &c.

a) Vid. VERGER. Operum adv. Papatum Tom. I. p. 297. sq.

b) LADERCHIO in Annal. Ecclesiast. Tom. XXII. fol. 325. sq.

c) LADERCH. l. c. Tom. XXIII. fol. 35. apud SCHELHORN. l. c. p. 38.

d) QUIRINII diatriba ad Epistolas Reg. Poli Tom. II. pag. CXVI.

Digitized by Google

Qui igitur in ipſa Italia, Veritati Evangelicæ inimica, & in medio pravi perverſique generis hominum, micabat tanquam ſplendidum luminare, atque plenus divinæ lucis radiis ita ſentiebat ac vivebat, ut purioris Religionis veræque pietatis ſtudioſis & aſſeclis addictus eſſet ac maneret, quis eum dubitaret inter Reformatæ doctrinæ aſſeclas recenſere?

Sed, Ejus *carmina* tenerrimum erga Deum & Chriſtum affectum ſpirantia; *a*) Ejus *Expoſitio metrica Pſalmorum*; *b*) Ejus paraphraſis & *Explanatio proſaica*, *c*) hanc cauſam ita evincunt, ut, qui non amant vitilitigationes, hic hærere ferme non poſſint; Eſt autem cumprimis elegans carmen ejus Euchariſticum *ad Chriſtum Soſpitatorem*, *d*) quod ejus beneficio ex priſtinis erroribus & maximis animæ periculis ereptus eſſet, ac Spiritus S. lumine colluſtratus ad Veritatis Evangelicæ agnitionem viamque ſalutis pervenerit.

O Lux beata cælitum,
Mortalium fidiſſima
Tutela, quas agam tibi
Jeſu benigne, gratias;
Ut olim aberrans aggere
Ovis miſella, ſaltibus
Formidoloſis delitet,
Voranda mox rapacibus
Feris; miſerrimus omnium

Sic

a) Vid. SCHELHORN. l. c. pag. 80—83.

b) SCHELHORN. p. 55—59. Quanquam enim non omnes abſolverit Pſalmos, ſed quosdam uti reliquos addidit *Franc. Spinula*, tamen quos abſolvit, eos eximios eſſe; nemo facilè diffitebitur.

c) SCHELH. l. c. p. 58—80. ubi varia eaque egregia prorſus excerpta ejus *de dogmatibus fidei & pietatis praxi*, leguntur, qua hic repetere licet pulcherrima lectuque digniſſima, ſuperſedemus.

d) SCHELH. l. c. p. 34. 35.

Digitized by Google

Sic ipſe per mala omnia
Coecus ruebam; candida
Cum lux beati Spiritus
Tui refulſit, & viam
Quæ ducit ad felicium
Æterna regna coelitum
Monſtravit. Iſta lux meæ
Mentis tenebras diſpulit:
Cordi meo dulciſſimi
Faces amoris iſta lux
Infixit. Illo ex tempore
Te, ſancte, totus ardeo,
Te quæro amore faucius:
Videre vultum candidum
Tuis frui complexibus
Mens ardet: ipſa jam nihil
Te præter unum cogitat.
Non ſic decentem virginem
Furens amator deperit;
Non ſic tenellum filium
Parens uterque diligit;
Amoris æſtu liquitur
Cor molle, ut olim ſervidis
Percuſſa cera ſolibus.
O flamma mentem frigerans
Omnesque labes excoquens,
Me ſemper indies magis
Incende, perge adurere;
Conſume, totum verteris
Me donec in facies tuas.

Ceterum is *Foro Cornelii* (vulgo Imolæ) *) natus, A. 1498.

*) Ita dicta, quod in provincia Æmilia ſita eſt; Ceterum, notari debet, inde *Flaminium* noſtrum, in Epiſtolis clarorum vi-

Digitized by Google

1498. Romæ deceſſit A. 1550. ibique quod jam diximus juſſu Cardinalis Poli ſepultus eſt; Cui Polo, Paulus IV. *Flaminii* ceu hæretici *conſuetudinem*, *a*) cum in eo fere eſſet, ut papa eligeretur, exprobravit, ac hinc hæreſeos illum *b*) ſuſpectum reddidit.

JOHANNES BAPTISTA FOLENGIUS.

Plurimum ſanè *Mantuanæ* civitati debet Eccleſia & Doctrina Reformata, ab ea enim plures viros accepit præſtantiſſimos, quos ad ſui decus & ornamentum poſſit oſtendere, ſive jam, inter diſciplinæ ſacræ emendatores & doctrinæ ſacræ reſtauratores numerentur, ſive, ore, calamo, & actione, ſuam proderent animi mentem, ac de puriori doctrina ſua teſtimonium proferrent irrefragabile, licet alioquin ab Eccleſiæ, cui innutriti erant Romanæ, communione, apertum non facerent ſeceſſum.

Inter hos quoque fuit *Joannes Baptiſta* FOLENGIUS, à quo doctrina religionis purior multum adepta eſt claritatis atque roboris, uti omnia *ſcripta ejus*, hodie propemodum incognita, illuſtri THUANO *c*) dicuntur *politiſſima*, *quæque neminem legiſſe unquam poeniteat.*

Erat is circa A. C. 1490. natus Mantuæ ex parentibus integerrimis, *d*) atque à puero ſacris literis eruditus, peneque

 de-

virorum ſelectis, p. m. 185. (Ubi de ejus morte loquitur Polus ad P. Victorium) ne internoſceretur, appellari *Æmilium*. Eſt vero tota illa Epiſtola in laudem Flaminii conſcripta, Cf. SCHELHORN. Ergetzlichk. T. I. p. 202. 203.

a) SCHELHORN. l. c. p. 30.

b) Conf. POLI Epiſt. ad Pontif. Paulum IV. Epiſtol. Tom. V. n.

c) THUANUS in Elogiis doctor. viror. p. m. 72.

d) De parentibus ſuis ipſe FOLENGIUS in Comm. in Pſ. 92. fol. 321. b. quædam habet memorabilia: itemque ad Pſ. 148. fol. 445. a. ubi teſtatur ſe hæc ſcribere A. 1542. atque agere annum ætatis 52. atque annos triginta ſex jam habitu lugubri, uti loquitur, h .e. monachali fuiſſe indutum.

Digitized by Google

detritus, uti infit *Anaſtaſius Cæſenas* monachus in præfatione Commentarii Folengiani in Pſalmos; Deinde, cum ſedecim annorum Juvenis eſſet, conſecrarunt eum parentes, pro more illorum temporum, religioni, quam dicunt Ordinis Benedictini, quippe cum parentes corruptiſſimum viderent Orbis & Eccleſiæ ſtatum, nec extra ejusmodi familias religioſas, quenquam à ſeculi labe conſervari poſſe immunem aut ad perfectionem vitæ Chriſtianæ evehi poſſe, benene, an minus, incertum, opinarentur.

Erat igitur inde ab eo tempore *Monachus Benedictinus* in *monte Caſini*, quo fere celebrius *a*) inter *Benedictinos* non datur Coenobium.

Varias vitæ ejus abinde ductæ circumſtantias ipſe alicubi enarrat, *b*) ac inter alia, *ſe, ſerò quidem virtutem crucis cognoviſſe* profitetur, *cujus ductu etiam tum pacatiorem quærens vitæ ſtatum, ad ſolitudinem ſe receperit, una cum uno ex fratribus c*) *ſuis.*

Deinde verò ita pergit: „ Quid tum inſidiarum contume-
„ liarumque in ſolitudine etiam illa moliti fuerint nonnulli,
„ quidve injuriarum ſubierim, non vacat modo, neque opus
„ eſt recenſere, atque adeò id magis, quod querelas illas om-
„ nes jam pridem ad Deum æquiſſimum omnium Judicem
„ retuli, ... Illic enim innocuorum cauſæ aurificis ſta-
„ tera, non populari trutina, ut nunc fit examinabuntur, ſed
„ divina h. e. optima expendentur æquitate absque dolo, quæ
„ in præſentia plerisque à tribunalibus inauditæ rejiciuntur. Ab
„ eodem porro ſpiritu à ſolitariis locis retracto, rurſus nova mi-
„ hi ſubeunda fuit ob valetudinem crucis neceſſitas. . . . . .

Scrip-

a) Vid. MABILLON. Annal. Benedict. Lib. III. n. V. & VI. Vol. I. fol. 55.

b) In comment. ad Pſ. 148. fol. 445. a.

c) Per eum verò, num *Iſidorum Clarium* intelligat Brixienſem, Epiſcopum Fulginatem, qui una cum Folengio de emendatione eccleſiæ & ſciſſura tollenda ſerio cogitaſſe dicitur THUANO

Scripſit autem, cum in eodem ſeceſſu Caſini verſaretur, *Commentarium quendam in Pſalmos*, Baſileæ 1549. in fol. *a*) impreſſum, apud Michaëlem Iſingrinium, bona fruge, multisque egregiis obſervatis pleniſſimum. *b*)

Deinde etiam *Expoſitionem in Epiſtolas canonicas* Lugduni A. 1555. apud Gryphium in 8. impreſſam, & in *Epiſtolam divi Johannis*, *c*) cum dedicatione ad *Reginaldum Polum*, Cardinalem, directa. Venetiis 1546. 8.

Quale illuſtris THUANI de his Folengii ſcriptis fuerit judicium, jam quoque verbo monuimus; ſed cum de Emendatione Eccleſiæ, imò etiam, de ſciſſura tollenda, maximè eſſet ſollicitus, facile conjecturam facere licet, quam ſibi aliorum iram, odium, invidiam, concitaverit, quæ eousque progreſſa ſunt, ut & ejus Libri in Indicem librorum prohibitorum fuerint relati. Certè in Epiſtola ad Nicodemum fratrem Albanetæ Idib. Decembr. 1542. data, de adverſariis ſuis ita. *d*) *Hæc*, (ſcribit) *eſt crux vitæ, hæ proborum deliciæ, id duri cum mundo certaminis theatrum, forſan & tropbæum: cujus tu etiam labores mecum experiris, Nicodeme, experitur & Theophilus noſter, cujus ingenium noſtro ævo rarum atque inſolens, ſemper infenſum fuit ranis; Sed, cum edentulæ ſint, nihil aliud quam coaxant: qua quidem re non tam iram quam riſum viatoribus excitare ſolitæ ſunt.*

Sed clarius adhuc in Ep. dedicatoria, commentario in Pſal-

 mum

ANO l. c. an vero quendam *ex propriis fratribus*, ignoramus.

a) Id colligimus ex *Catalogo Bibliothecæ Thuaneæ* pag. 16.

b) Notari verò de *Ejus in Pſalmos commentariis* id quoque juvat, quod *Aretii Felini: i. e. M. Buceri* commentarium innumeris vicibus ſub nomine *Felini* vel *Fel.* adducat, ſeque cum eo conformet, ſuaque ex eo arva non ſemel irriget.

c) *Catal. Bibl. Thuan.* pag. 20. Conf. H. v. d. HARDT in Autographis Lutheri Tom. III. p. 357.

d) Vid. COLOMES Ital. oriental. p. 535.

Digitized by Google

mum præmiſſa ad *Herculem Gonzagam a*), is hunc in modum: *Mucidos enim*, ſcribit, *meis à ſcriptis ſane quam procul arceri tam cupio, quam quivis à ſuis. Nam cum pituita ægrotent, in ſecernendis odoramentis falluntur; ut falluntur, de more oblocutores, invidi, atque otioſa iſta omentataque inertium fucorum lues, quibus ut plurimum alveoli magis uſui ſunt quam libri, quique more pecudum, ſine literis, ſine Deo, ſine ulla unquam rectè actæ vitæ ſignificatione, perire ſoliti ſunt. Obſecro quid tutum cogitas, cum portenta ejusmodi religionis, tuos graviſſimos appetere congreſſus audis? Faſtidis, credo, nondum introductos. Quid, cum loqui occoeperint, mera ſomnia, gerras, patinas, riſus gnathonicos, plauſus, & demum inſulſa omnia, & fucata &c.*

Enimverò quod ad Indicem adtinet librorum prohibitorum; Quanta ſit ſeveritas, qua libros, in iſthoc catalogo commemoratos, prohibitos voluit Papa Romanus, vel ipſa, Indici primo præmiſſa arguit Præfatio, quam cum exhibuerit Cl. SCHELHORNIUS *b*), hic minime repetimus. Sed, quod ſcripta FOLENGII noſtri, inprimis verò ejus *Commentaria ſuper Epiſtolas Canonicas S. Petri & S. Jacobi*, & ſuper *primam Epiſtolam S. Joannis*, ſint prohibita, ex ipſo conſtat Catalogo *c*), ubi tamen ea adduntur verba: *donec prodeat expurgatio.*

Ut ſe res habeat, FOLENGIUM, Virum pientiſſimum, in præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus, de gratia, de prædeſtinatione, de lege & Evangelio, de libero arbitrio, de fide, de

a) Vid. Dedicat. præmiſſ. *Commentar. Folengii* in Pſalmos.
b) Vid. SCHELHORN.
c) Vid. Vid. *Index librorum probibitor. & expurgandor.* Edit Madrit. 1667 fol. pag. 698. b & *Ind. libr. ſub Alex. VII.* ex purg. Rom. 667 fol. pag. 72. ubi hæc ipſa repetuntur.
Ceterum ejus commentarium in I. Ep. Joh. videmus recenſeri in Collect. German. *von alten und neuen.* A. 1734. pag. 14 ſq.

Digitized by Google

de operum meritis, de juſtificatione gratuita, de externorum rituum vanitate, de purgatorio &ſim. nobiscum amicè conſpiraſſe, evidentiſſimè comprobant loca, ex ejus *Commentario in Pſalmos* excerpta prorſus egregia, quorum nonnulla, bona cum Lectoris venia, hic exhibemus.

IN IPSA PSALMORUM EXPOSITIONE.

Ad Pſ. I. fol. 2. a. „ Quis modo ambigat omnia, etiam „ peccata ipſa, diligentibus Deum in bonum cooperari, cum „ legimus cuncta beato viro feliciter obventura? Peccata in- „ quis. Durum profecto, ſed tamen ea ratio videtur eſſe, quam „ D. affert Auguſtinus, quod cognito caſu, conſiderataque „ lapſus foeditate, vir ſanctus mox ſibi iraſcitur, ſe exactius „ cognoſcit, libratque & cautius ſe in poſterum habens, pro „ condonata venia eum qui donavit ardentius amat, nam cui „ plus dimittitur, plus diligit.

Ad Pſ. III. fol. 6. Ajunt enim à Sp. S. edocti, tentationes à dæmone diverſis artibus exerceri. Aut enim *à fronte* eum ferire aſſerunt, cum ſpem felicis exitus in rebus maximè nefariis pollicetur & ſuggerit: aut *à tergo*, quando ob memoriam male anteactæ vitæ oblectat, ſeu nimium terret incautos. *A dextris* etiam ab arte ſua non ceſſat eſſe perfidus, nobis abblandiens, ac vim atque opem ad aſſequendas virtutes, quo nos ad Κενοδοξιαν impellat, addens. *A ſiniſtris* tandem nos impetit, cum abjecta ſimulatione, nobis & cæſim & punctim cominus aperto jam Marte vim infert manifeſtam.

Ad eund. fol. 9. a. *Benedictio ſuperioris* apud homines quoque pro bona imprecatione, felicique omine accipitur: non ſane excogitata ad demonſtrandam quorundam animi levitatem & tumorem, qui ſibi adeò fere ſemper abblandiuntur, ac placent, cum cernunt ſubditos incurvari & preſſo poplite petere benedictionem, ut cum ſuam illam, protenſis

Digitized by Google

digitis, crucem diſſecare occeperint, mimos eos dicas, aut perſonatas ſimias: adeo & genu & brachio & collo & limis (ut ſic dicam) oculis benedictionem porrigunt. Eàne animi vanitate proferenda eſt ſalutis nota? Veſtræne ſunt hujuscemodi benedictiones, ò mortales! &c.

Ad Pſ. V. fol. 13. b *Equidem hoc in loco impudentes quorundam orationes reprehendi arbitror, qui ſimul atque perfractas quasdam ſuas preculas, in templo publico faucibus magis, quam corde, manſas obtulerunt, putant ſibi Deum vel multis nominibus deberi: qua quidem parum conſiderata ſui ratione turgidiores facti, licentius quodammodo, propter familiaritatem, ut ſibi videtur, cum Deo initam, peccare audent. Errant profectò, ignorantes vim totam orationis in animo ſitam eſſe, non in faucibus & palato.*

Ad Pſ. XVI. fol. 45. a Licet enim (Chriſtus) mortuus ac tumulo mandatus fuerit, non tamen in morte ac tumulo manſit, ſed in tridui ſpatio redivivus, immortalem beatamque vitam, etiam cum corpore eſt adeptus; adeò ut non injuria, eum ipſum inferos nunquam adiiſſe aut foveam vidiſſe, fas ſit fateri. . . . . Summa igitur hæc erit, Dominum Jeſum adeò celeritur reſurrecturum, ut neque illius anima ad umbras tartareas conceſſiſſe, neque corpus in ſepulcro manſiſſe, multò minus corruptionis labem contraxiſſe appareat . . . . . Quod ſi (igitur & nos) non ſtatim, poſtquam è vita demigravimus, à tumulo revocamur, vivimus tamen interim animo beati cum Deo, certi quoque corporum reſurrectionis ac reviviſcentiæ.

Ad Pſ. XX. fol. 67. a Tantùm vir ſolidæ juſtitiæ ſtudens, in propriæ virtutis curſu, aut operationum ſuarum audacia, veluti equo effreni haudquaquam ſpem ponat; ſed in Dei miſericordia ſuam omnem vincendi facultatem poſitam eſſe certò ſciat. Alioqui noſtrorum jejuniorum, orationumque & eleemoſynarum numerum & turbam, hoſtibus in pugna ſpiritus ob-

Digitized by Google

objicere, hominis est supra modum in Dei bonitatem ingrati, & digni sane, qui ob superbiam in reprobam tradatur mentem, cadatque in turpissimos errores, ut quotidie in hac Domini area fieri conspicimus.

Ad Ps. XXI. fol. 70. a *Spem reponendam esse in misericordia altissimi, non in actionibus propriis & orationum numero & multitudine*, præcipit, addens „ Errant enim admodum nonnulli, qui plus quam par est, suæ illi obstinatæ, in offerendo quotidie altaris sacrificio, aut exsequenda corporea aliqua operâ, in qua pietas inesse censetur, consuetudini tribuunt, absque vera in Deo fiducia ac fide ..... Etsi de meritis disputandum erit, non ad suas sanctitatis operationes, tanquam ad promtuarium quoddam mercium recurrit, omnibus divulgans, quot horas nocte una vigilaverit, quot Missas in tota vita sua celebraverit, quot lacrymas, quot verbera, quot visiones quoque & afflatus spirituales perpessus fuerit; sed divinam bonitatem potius, Christique cruorem ac mortem, summa cum reverentia & timore commemorat.

Ad Ps. XXV. fol. 91. a

Hincque exortum illum morem detestandum arbitror in promovendis sacrarum ædium custodibus & prælatis: ut crebrius in pertractandis seculi rebus acuti, sagacesque deligi soleant, quam illi, qui semel à mundo secreti, hasce mundi tricas, veluti ad capessenda cœlestia, impedimenta quædam abjiciunt, eò animum viresque ingenii dirigentes, unde regendarum animarum lumen suppeditat Deus. Alia enim res est, homines in optimis vitæ institutis enutrire, alia nummos eosdem centies in supputatoriis abacis & partiri & colligere. Illa enim ad animarum præsules atque episcopos adtinet, hæc ad institores.

Ad Ps. LXVII. fol. 246. a

Non crede mihi crebræ solummodo te mundant confessiones, sed veræ, sed puræ, sed nudæ, sed à consternato animo suapte sponte quæ enascantur, & quæ non minus à futuris

Digitized by Google

turis quam à tranſactis abhorreant ſceleribus. Sic candor fidei, ſic mores, ſic caſti ritus & cerimoniæ in Dei eccleſia ſervari poterunt.

Ad Pſ. XCVII. fol. 330. a *Fuitne unquam vel inter ipſos ſuperſtitionum altores ægyptios, tam turpe deorum ſimulacrum, ut eſt homo impurus, qui tamen pro Deo coli expetit; Fuitne aliquando monſtrum tam horrendum atque immane, ut nunc ſunt hi (ſi qui ſunt) qui cum vita hac ut vocant ſeculari defuncti appareant, ambitioſiores tamen ſunt illis qui in medio ipſo mundi luto ſuam ponunt felicitatem, peneque cito deſiturum faciunt animum, portionem utique divinam ac mortalitatis expertem omnino. En igitur ſculptilia illa execranda & ſimulacra* &c.

Ad Pſ. CVII. fol. 358. a *Sine me*, inquit Dominus, *nihil poteſtis facere; Quod ſi tamen noſtrum nonnihil quoque poſſe in re ſalutis arbitrium per gratiam ſanatum contendunt homines, illudne negabunt, vim illam à Deo eſſe, atque ut aliquid valeat, ab ipſo juvari;*

Ergo per gratiam & ſumus, & ad ſalutem, quæ in Chriſto eſt, eripimur, nanciſcimurque tandem per ipſum illud, ad quod aſſequendum noſtra omnino tarda eſt voluntas, in qua tota vis arbitrii eſt collocata, vel potius relicta: qua qui plus quam par eſt nituntur, Dei verbum conſiliumque parvi pendunt, atque ita in coeco errant labyrintho, ſemper vagi, inſtabiles atque ad lapſus proclivissimi.

Ad Pſ. CXIII. fol. 369. b Quod ſane à me dictum eſſe propterea velim, quod multi hujuscemodi ſervitutis imagine decepti, ſe Dei tum ſervos appellari meritò debere exiſtimant, cum ſemiraſum circumferunt verticem aut mitra obtegunt. Ab animo quidem primum metiri iſtud ſervitutis genus ſolet altiſſimus, à candore poſtea vitæ & religione. Ignavum porrò id genus hominum, quod ſibi hoc nomen, ullo absque bonorum morum aut ſanctæ mentis indicio, impudentis-

Digitized by Google

tiſſimè arrogat, mallem à proborum contubernio eliminari, frænoque diſciplinæ arceri, quam illam paſſim cernere ſacroſanctam ab omnibus uſurpari appellationem, hincque illorum culpa fieri, quod & veri Dei ſervi & ſubreptitii, uno velut facto volumine ludibrio habentur, ac vulgi irriſioni.

Ad Pſ. CXIX. fol. 348a. Proinde id neceſſariò contingere cernimus, noſtraque ætate admirando intuemur ſpectaculo, tam alta affici interdum ſecretorum coeleſtium cognitione vel mulieres, ſexum nimirum ad vanitatem magis quam ad eruditionem natum, vel idiotas prorſus viros, aut milites, ut, ſi quid jam quod perfectionem vitæ referat auditur, ab ipſis audiatur. O certò ſeculum aureum! *In Campania*, in qua nunc hæc meditor, non eſt tam impenſe doctus concionator, quin ex unica cum mulieribus quibusdam confabulatione, peritiſſimoque congreſſu, tum doctior tum ſanctior evadat. In mea quoque patria, (*Mantua* ſcil.) quod ego aliquando maxima animi voluptate expertus ſum, & niſi aliud agerem, poſſem effari, quanta, Deus bone, vidi afflatam ſpiritus immenſitate: quanto in ſororum ſodalitio conflagraſſe incendio, quod vix inter eruditiſſimos meæ profeſſionis homines mihi videre contigit, coronam illam auream, gemmeam, Chriſtique manibus contextam, & ſenſi & fructum inde non mediocrem adtuli, &c:

* * * * *

Certè, quod de paraphraſi & explanatione Pſalmorum M. Ant. Flaminii dicebat Cl. Schelhornius, *a*) id non minus de Folengii noſtri commentariis dici poteſt, adeò ne volam quidem atque veſtigium inibi reperias, de piaculari illo animorum corporis vinculis exutorum carcere, de ſuperſtitioſo virginis Deiparæ aliorumque coelitum cultu, de miſſæ ſacrificio, de ullis hominis ſibi relicti in ſalutis æternæ negotio viribus, de bonorum operum meritis, aliisque erroribus, qui in eccleſia pontificia regnant. Contra paſſim luculentiſ-

a) SCHELHORN. Amoenit. Hiſt. Eccl. liter. Tom. II. p. 60.

Digitized by Google

sima occurrunt testimonia, de nostra in rebus spiritualibus ἀδυναμια, de gratia Dei & justificatione hominis peccatoris per solum meritum Christi, vera fide apprehensum. Ubivis etiam elucet eximia in Deum pietas, ardensque Numini optimo inserviendi placendique studium, & animus divino spiritu plenus.

Ceterum, Folengius A. 1559. Mantuæ, sicque in patria decessisse refertur, quando mors placida, uti Thuanus infit, in eodem in quo professus fuerat coenobio eundem ad meliorem vitam transtulit, III. Nonar. Octobris.

BALTHASAR FONTANA.

De eo jam in ipso Opere §. XXI. pag. 33, 34. quædam præmonuimus, atque breviter ejus imaginem nobis exhibet de MURALTO in Oratione *a*).

„ BALTHASAR FONTANA ex Carmelitarum secta verè religiosus. Quam hic vellem virum hunc in accurata icone ob oculos vestros ponere, & curatius, ceu dignissimus videtur, vobis contemplandum exhibere possem; ni injuria temporis eam delevisset. Ne memoria ejus, quæ merito in benedictione est, omnino tolli posset, monimentum ipse sibi, quanquam nihil minus cogitans, posuit in familiari epistola, *b*) quæ propria ejus manu exarata in instructissimo Ecclesiæ nostræ archivo, ut adamas inter innumeras gemmas nitens, conditur: ex qua imaginem quandam mentis qua pollebat generosissimæ, & (quæ præcipua nobilitas est) pientissimæ intueri licet.

FRIDERICUS FREGOSUS.

Ligures, ac Genuenses inprimis, Liguriæ totius principes, nullis Italicarum regionum atque urbium hominibus in-

a) Est ea in HOTTING. Hist. Eccl. T. VI. pag. 618. reperiunda &c: & cujus excerptum quoddam dedimus in ipso opere, loc. cit.

b) Vid. *Tempe Helvet.* T. IV. pag. 140. sq.

Digitized by Google

ingenii præſtantia judiciique acumine cedere, jam dudum eſt obſervatum, *a*) ut operæ pretium fecerit *Ubertus Folieta*, Ligur ipſe, *de claris Liguribus* tractatum edendo literatiſſimum. Præclara autem, quæ inde provenerunt, ingenia inter præcipue connumerari meretur illud *Friderici Fregoſi*, cui vel ea propter *Fulgoſi* nomen tributum eſt, uti ſub tit. *Friderici Fulgoſi Cardinalis*, ejus Elogium nobis dedit idem ille *Folieta b*).

Hunc verò Eccleſiæ Ro. Cardinalem, atque Archiepiscopum Salernitanum, merito inter Reformatæ doctrinæ Fautores recenſemus.

Fuit is ex ampliſſima *Fregoſiorum* familia, patria Januenſis, Vir egregius, quique in *Italia Orientali* inter Hebrææ linguæ cultores celebratur à COLOMESIO *c*), unde & eidem *Inſtitutiones* ſuas *Hebraicas* dedicavit *Sanctes* PAGNINUS.

Claruit A. 1520. ac ſupremum diem obiit A. 1541. d. 22 Julii.

Inter reliqua autem quæ in eo laudantur mirifice ejus pietatem & in obſervando munere epiſcopali candorem & fervorem concelebrat Folieta, atque inter alia, ita de eo: *Ejus virtus & religio ita eluxit, ut non Italiæ tantum finibus contineretur, ſed toto orbe pervagata ſit, adverſariique ipſi noſtri d*) *hunc virum in perpaucis illis numerarent, quos ſolos Epiſcoporum nomine dignos ducerent, quæ laus ab invitis præſertim & ſacerdotalis ordinis perpetuis obtrectatoribus & inſectatoribus expreſſa, quanta ſit*

a) Vid. *J. Nic.* ERYTHRÆI Pinacotheca Imag. III. n. XXX. p. m. 132.

b) FOLIETA lib. cit. de *Liguribus Togæ art. claris* p. m. 169. ſq.

c) COLOMES Italia Orient. pag. 30.

d) Intelligit Proteſtantes, ſive Evangelicos, emendatorum ſacrorum aſſeclas.

Digitized by Google

intelliget, ſi quis cogitaverit, quantum ſit epiſcopis impoſitum onus, cujusque muneris colendi cauſa ſit inſtitutus Epiſcopus.

Ita enim non obſcurè indigitatur Proteſtantium erga Fulgoſum favor, prouti non minus notari meretur, quod deinde addit Folieta „ Verum, cum multa Romæ offendiſſet, quæ „ minus illum delectarent, ipſeque libertatem ſuam in dicen„ da ſententia cum officio ac pietate conjunctam non ſatis „ placere, intelligeret, iterum, relicta aula, ad privatam „ eccleſiam regendam reverſus ante actæ vitæ curſum digno„ exitu concluſit.

Extat vero etiam hujus Fregoſii libellus, *a*) *de modo orandi*, *b*) & alia quædam, quæ ſub ejus nomine venditantur, habent notam raritatis, atque ita non ſuerunt ad palatum Eccleſiæ Ro. ut in catalogum libr. hæreticorum relata legantur.

Et, quod Reformatæ doctrinæ faverit, teſtatur *P. P.* VERGERIUS, *c*) cujus verba ſunt notatu digna:

„ Fre-

a) Vid. Florileg. noſtr. libr. rar. pag. 130. edit. ult.

b) Scripſit *Federicus* libellum *de modo orandi*, lingua vernacula Venet. 1542. cum animadvertiſſet errare in Papatu fere omnes in hoc genere quoque, ut revera errant turpiſſimè, modo enim, ut conceptis verbis orent neceſſe putant, modo ut certis horis & certo loco & certis etiam geſticulationibus, modo orationem dominicam lingua Latina ut plurimum ipſis incognita, modo ſalutationem angelicam, aut Pſalmos recitant, in honorem alicujus ſancti, aut vero etiam pro mortuis. Ut has igitur ineptas impietates corrigeret libellum eum ſcribebat Fregoſus, ſed qui dein à Paulo IV. itidem inter hæreticos relatus eſt, niſi quod retinuerit Cardinalis nomen, cujus tamen omiſſionis rationem facile odorantur, qui χριτικην μυσ habent.

c) VERGERIUS in annotationibus in catalogum hæreticorum Pauli IV. auſpiciis Romæ 1559. concinnatum p. 261. ſq. Tomi I. Operum adverſus Papatum. Conf. SCHELHORN. Amoenit Hiſt. Eccl. Liter. T. II. p. 91. 92.

Digitized by Google

„ Federicus, ex ampliſſima Fregoſiorum familia, patria „ Januenſis, ex Archiepiſcopo Salernitano Cardinalis crea„ tus, & quidem invitus, cum magna moderatione animi, „ magna virtute fuerit, acceſſit proximè ad cognitionem no„ ſtræ doctrinæ, & initia quædam ita hauſit, ut cum Papæ „ coeperit eo nomine eſſe ſuſpectus, frequens fama ſit, fuis„ ſe veneno ſublatum, ut Contarenum etiam, ... „ Ambo hi fuerunt in numero eorum, qui unà cum Cardi„ nale Theatino, qui nunc Papa eſt, & cum Reg. Polo, „ etiam Cardinale, concinnarunt conſilium de emendanda „ eccleſia, quod antichriſtus nunc impudentiſſimè negat ſe „ concinnaſſe.

Quamvis autem & alii duo novi libelli illi adſcribantur de *Juſtificatione*, *fide*, & *operibus*, & *Præfatio in Epiſtolam ad Romanos*, neutrum tamen eorum bonum Fregoſum *a)*, auctorem habere, jam comperum eſt.

PAULUS GADIUS.

PAULI GADII licet obſcurius aliquanto ſit nomen, tamen inter Italos Reformatos recenſeri debet. Fuit is

a) Quomodo ſe res habeat exponit l. c. Vergerius p. 261. hunc in modum: „ *Mart. Lutherus* Epiſtolæ ad Rom. præfixit „ valde piam (ut ſolitus erat) & ſolidam præfationem, qua „ pulchre ad totius Epiſtolæ, quæ nonnihil difficilis eſt, in„ telligentiam ſternit viam. Hanc quiſpiam in Italicam lin„ guam non indiligenter converſam ſub nomine Fregoſii edi„ dit, & ſimul tractatum de Juſtificatione fide & operibus. „ Quare hi duo optimi libelli, veluti perſonati, peragrarunt „ aliquandiu magnam Italiæ partem & propter Fregoſiani no„ minis authoritatem libenter hoſpitio ſuſcipiebantur & ma„ gna aviditate legebantur, non ſine ingenti fructu. Tandem „ cum Satan olfeciſſet, ſibi impoſitum, excitavit ſuos mi„ niſtros, nempe Inquiſitores, qui coeperunt latrare atque „ indicare, Lutheri ſcripta latere ſub larva Fregoſii. Sic res „ habet.

Digitized by Google

Cremona oriundus ac inter Theologos Rhætos deinceps nomen habuit, ſiquidem, A. 1555. V. D. Miniſter vocabatur Pesclavienſis, ut ejus in Epiſtola ad Henr. Bullingerum Theologum Tigurinum *a*), collega ejus, JULIUS *Mediolanenſis*, itidem inter *Italos Reformatos* connumerandus, mentionem injicit, eumque Fratris & ſummyſtæ nomine condecorat.

Fuit autem Vir pius & doctus, de quo id præcipue refert H. ZANCHIUS *b*), quod à *Coelio ſecundo Curione* ſuerit excitatus, ut Zanchio perſuaderet, ne *Profeſſionem Argentinenſem*, quæ ipſi tum deferebatur, non acciperet.

Enimverò quod tum Genevæ adhuc fuerit commoratus, novimus, qui poſtmodum *Tellienſis* Eccleſiæ, in valle quam Latini ſcriptores *Volturrenam*, vulgo *Valtellinam* vocant, quæque ex Italis Chriſto colligebatur, Paſtor eſt conſtitutus; uti ultimo loco, *Peſclavienſi* quod inſervierit eccleſiæ, conſtat,

HIERONYMUS GALATÆUS.

Erat is Venetus, neque fermè notus, niſi quod H. MASSARIUS in *Euſebio captivo*, ſive, Modo procedendi in curia Rom. contra Lutheranos *c*), eum commemoret inter Martyres Italos, *qui regnante nefandiſſimo Julio* III. *martyrium paſſi ſunt.*

Hieronymus GALATÆUS *Venetus*, *Venetiis perpetuo ac foediſſimo carceri mancipatus*, *anno XI. ſuæ captivitatis obiit*, quod & Coel. Sec. CURIO in Pasquillo ecſtatico p. 34. qui ejus concelebrat conſtantiam, teſtificatur.

MER-

a) Vid. FUESSE Collect. Epiſt. Reform. n. 81. p. 359.
b) Vid. ZANC. in Ep. ad Philippum Haſſiæ in *Scrinio noſtro antiquar.* T. V. P. II. p. 231. Conf. ANHORN. in palingeneſia Eccleſiæ Rhaticæ p. 46.
c) Vid. *Hi. Marii* Euſeb. captiv. ex edit. Chriſt. Pezelii Tig. 1597. 8. pag. 105. b.

Digitized by Google

MERCURINUS DE GATTINARIA.

Virum hunc illuſtriſſimum, quem *Gattinara* Pedemontii oppidulum ab inde in Comitatus vel Marchionatus dignitatem evectum *a*) nobis dedit, timide licet, non temere tamen, & duplici quidem nomine, huc referimus; & quod ipſe de Eccleſiæ Aulæque Romanæ ſui temporis ſtatu corruptiſſimo eſſet perſuaſiſſimus, idque palam agnocceret, profiteretur, ac emendare ſatageret, & quod Conſilia ejus Veritati Evangelicæ, quæ tum lacertos movere incipiebat, ejusque Confeſſoribus, eſſent ſalutaria, maximeque profutura, niſi per inopinam mortem, cum ea quam maximè parturirent, irrita fuiſſent facta.

Fuit, dum florebat ſub Imperii Caroli V. primordiis, quæ in primordia Reformationis incidebant, primarius Imperatoris adminiſter, & ſupremus ejus Cancellarius, Jureconſultus ſuo ſeculo facile princeps, ad quem in difficillimis ac pæne deſperatis cauſis, tanquam ad oraculum *b*) homines ex longinquis provinciis non ſolum confluebant, ſed & absque cujus maturo conſilio nihil fere quod arduum erat ſuſcipiebat Imperator.

Et, quamquam non diffitemur, eum ſacra repurgata publicè nunquam fuiſſe amplexum, ſed ad finem vitæ in Eccleſiæ Romanæ communione externa permanſiſſe, tamen, illum Papæ Romani hominem fuiſſe, prorſus inficiamur. Neque nobis obeſt, quod tamen demum ſub finem vitæ, purpura quoque cardinalitia illi eſt oblata; factum enim id aſtu magis eſt papali, quam propriis erga eccleſiam Ro. meritis, quippe cum

a) Proprio nomine *Mercurinus* appellabatur ac nomen ejus gentilitium erat *Arborei* ſive *Herboreſi* Vid. HANE in Memoria Mercur. Gattinaræ & *Hiſtor. noſtr. Ref.* T. I. p. 203. &ſq. ubi late de eo diſſeruimus.

b) Vid CIACCON in Vitis & reb. geſtis Pontif. & Cardinalium Eccl. Ro. ubi hoc ejus elogium legitur.

Digitized by Google

cum Papa hac ratione ſibi conciliandum cenſeret, primarium hunc Cæſaris adminiſtrum & conſiliorum ejus arbitrum *a*), quem ſibi ſuoque faſtui potiſſimum adverſum, perſenſerat, uti nec quod unquam ad Pontificis nutum ſua direxerit conſilia, conſtat *b*);

Qualis verò ejus in aulam Romanam & infandam Papæ & Cardinalium ambitionem fuerit animus non melius quam Scriptis illis *c*) amoebeis inter Clementem VII. & Carolum V. reciprocatis, quæ Mercurinum noſtrum habent auctorem, cognoſci poteſt. Uti non minus in celebri illo congreſſu Carolum inter & Clementem Bononienſi A. 1529. Pontifici masculè indicabat Eccleſiæ corruptionem, & emendationem in moribus & doctrina ſumme neceſſariam eſſe inſinuabat, omnique opera teſtatum faciebat, quam deberet Cæſar vel non adtenta Pontificis renitentia concilium urgere, & ſe Dominum eſſe cogitare, quod ex us, quæ à SECKENDORFIO *d*) ſunt relata, cognoſcitur.

Quid? quod, jam antea quoque Imperatori ſuaſor exiſteret,

a) Conf. Cl. HANE in loc. cit. § IX. p. 207.

b) Atque hic P. SARPII in Hiſt. Conc. Trid. p. 45. edit. Lat. agnoſcimus ſphalma cum judicat. „ quod Gattinaræ „ ſuaſiones Papæ fuerint proficuæ, quod ei Papa multa pro„ miſerat, ſingulatim vero uni ex conſanguineis aut clienti„ bus ejus in proxima candinalium electione purpureum „ pileum. „

c) Vid. in opere noſtro §. XI. pag. 18. Sunt verò illa documenta à Mercurino noſtro conſignata, ac Antverpiæ 1527. edita, ſubtitulo *Apologeticus lib. Caroli V. Imp. contra Pontif. Rom. Clementem*; ac dein A. 1588. recuſa in Cauſa Colonienſi, quam editionem præ manibus habeo. Ceterum *Operis* hujus *apologetici* contenta breviter nobis quoque in *Amoenit. Hiſt. Eccl. T. II.* p. 378. ſq. ſubminiſtrat Celeb. SCHELHORNIUS.

d) SECKEND. l. II. § XLIX. p. 143. Conf. HANE in Memor. Mercur. Gattin. §. VIII. p. 205. 206.

Digitized by Google

ret, ut Majeſtatem ſuam adverſus Papales uſurpationes tueretur, atque, cum leniora omnia remedia fruſtra eſſent adhibita, vim vi repelleret, ac ipſam civitatem Romanam potius occuparet, quam ut injuriam Divino Numini ſibique à Pontifice impactam non vindicaret ac dimitteret inultam.

Sunt memorabilia eam in rem ipſius verba, quæ nomine Cæſaris ad Pontif. ſcribebat: A. 1526.

„ Conſideret (Sanctitas veſtra), an hæc paſtorali congruant
„ officio; an hic ſit gladius per veſtram Sanctitatem evagi-
„ nandus exercendusve, quem Chriſtus potius in vaginam
„ recondendum cenſuit, & qui etiam in hoſtes fidei ab ipſo
„ Chriſtiani gregis Paſtore regulariter exerceri prohibetur.

Itemque: „ Hæc enim, beatiſſime Pater, (conſilia ac geſta)
„ contrarios plane habent effectus, non pro ſede Apoſtolica
„ armis & exercitu munienda, quæ illis non indiget, ubi
„ nullus adeſt offenſor, ſed potius, pro ipſius Apoſtolicæ ſedis
„ munitionibus profundendis, eccleſiæque theſauro exhauri-
„ endo & effundendo, contra ipſummet Chriſtum ac in Chri-
„ ſtianæ Reipublicæ detrimentum inventa ſunt, non ad ju-
„ ſtitiæ & pacis viam, inter omnes æquis conditionibus
„ parandam, ſed potius ad omnem juſtitiam deturbandam,
„ pacemque jam partam infringendam, ac quaſi deſperan-
„ dam &c.

Imo, pergit deinceps:

„ Nos enim, cum ex his & aliis ſatis notoriis cauſis turbari
„ videremus univerſum Eccleſiæ & Chriſtianæ religionis ſta-
„ tum, ut nobis ac ipſius Reip. ſaluti conſulatur, pro his
„ omnibus ad ipſum ſacrum univerſale concilium per præ-
„ ſentes recurrimus, ac à futuris quibuscunque gravamini-
„ bus eorumve comminationibus provocamus, appellamus,
„ & ſupplicamus à veſtra ſanctitate ad dictum ſacrum Con-
„ cilium, cujus etiam officium per viam querelæ his de
„ cauſis implorandum cenſemus; petentes cum ea qua decet
„ inſtantia Apoſtolos, & literas dimiſſorias, ſemel, bis,

Digitized by Google

„ ter, & pluries, nobis concedi, & de harum præsentatione „ testimoniales literas fieri, ac expediri in ea qua decet „ forma &c. &c.

Uti non minus notabilia sunt, quæ ad Collegium Cardinalium ita scribit: *Agite igitur, Patres reverendissimi, & tanti mali causam cognoscite, Romanum Pontificem à tam impio averiite consilio, vestrisque monitis tantum apud eum efficite, ut meminerit se à Deo Opt. maximo non ad perniciem, sed ad salutem sui populi, non ad arma sed ad patientiam & humilitatem, in Romani pontificatus solio constitutum, recordeturque nos eadem ratione in Romani principatus apicem evectos, unde peculiari quodam affectu Christianæ Reip. rebus consulere præ ceteris tenemur, ni à Principe nostro Christo degenerare velimus.*

Eundem verò hunc Gattinariam Evangelicis faviſſe, ac ut moderata Cæſar ſequereur conſilia, auctorem extitiſſe, alibi jam *a*) annotavimus.

In Comitiis Wormatienſibus, uti in comitatu & conſilio Cæſaris erat, ita diſertè teſtatus eſt, *quod violenta conſilia nihil proficerent.* Edictum illud, non tam Gattinariæ, quam Principibus & Imperii ſtatibus, erat imputandum. *Erasmus* ejus amicus erat ſingularis. *b*) Spalatinus ad Lutherum *c*) cum maximopere laudat, tanquam *qui præſentibus & audientibus multis nobiliſſimis & clariſſimis viris dixerit & confirmaverit*, ſe nihil magis habere in votis, aut amplius *à Deo petere, quam* ut Dux Saxoniæ Elector, Sociique conjuncti conſtanter in Evangelii profeſſione pergant, ac perſiſtant, & *concilium pium & liberum flagitent atque urgeant.*

Le-

a) Vid. *Hiſtor. noſtr. Ref.* T. I. p. 201. 2. 3.
b) Id ex commercio literario ERASMI cum *Gattinaria* colluceſcit vid. HANE l. c.
c) SPALATIN ad Luth. apud Cœleſtin. in Hiſtor. Comitior. Auguſt. p. 36. b.

Digitized by Google

Legatos Principum Proteſtantium ad Cæſarem A. 1519. ita excepiſſe dicitur liberaliter, ut niſi morbo fuiſſet præpeditus facilem ipſis apud Cæſarem procuraſſet audientiam. *a*)

Quid, quod conſtet, eundem jam morti proximum adhuc moderata Cæſari inſpiraſſe conſilia in Auguſtanis Comitiis *b*) obſervanda, quamvis etiam horum conſiliorum exitum adſpicere non potuerit, morte placida extinctus, antequam ipſa comitia celebrarentur: Και ταυτα μεν δη ταυτα.

ALBERICUS GENTILIS.

Erat MATHÆUS GENTILIS, Italus ex Marchia Anconitana oriundus, Mediçinæ Doctor ex nobili apud Italos familia prognatus, ſed qui, quod Reformatarum partium eſſet, ceteros omnes humanos reſpectus præ religionis ſtudio leves ducere, patriam & familiam relinquere, ſeque Carniolam recipere, cogebatur, una cum duobus filiis *Alberico*, natu majore, & *Scipione*, natu minore, quorum uterque cum parente Reformatam religionem amplexi, deinde pereximiam nominis celebritatem aſſecuti, ſcripcis & doctrina ſua ſe ab oblivione hominum vindicarunt.

Et quod ad *Albericum* adtinet, eum, equidem in Academia Italiæ Peruſina *c*), jam quoque Juris utriusque do-

a) Vid. MULLER Hiſtor. proteſtationis &c. p. 181. ubi ipſæ Principum literæ Commendatitiæ ad Mercurinum directæ leguntur. Conf. ibid. p. 187. & 190. & SECKENDORF. L. III. §. XLVI.

b) Huc faciunt MELANCHT. verba ad Luth. *Feruntur duæ ſententiæ conſilii Cæſareani. In poſteriore* (ſc. ne vi agatur) *dicitur eſſe Mercurinus* ὁ Αρχιγραμματευς, *Vir ſummus & moderatiſſimus: quem ajunt dicere: ſe in adverſa valetudine hac ſpe ſecutum Cæſarem eſſe, quod arbitraretur, fore ut res Eccleſiaſticæ rite conſtituerentur, nulla ſe violentis conſiliis intereſſe &c.*

c) Vid. STRUV. Biblioth. Antiq. 1705. p. 218.

Digitized by Google

ctorem fuiſſe creatum novimus. At verò, cum Patre exul, ſtatim poſt aliquam temporis in Tubingenſi & Heidelbergenſi Academiis moram, commigravit in Angliam, ubi per plurimos annos ſub Eliſabethæ Reginæ Imperio Jureconſultus Celeberrimus & Legum Profeſſor fuit, inde ab A. 1582. in Academia *Oxonienſi*, ſubditorumque Hiſpanorum advocatus in Anglia perpetuus, uti ſingularem *de Advocatia Hiſpanica a)* ea propter conſignavit tractatum libris duobus. Hanov. 1613. 4. editum.

Tum verò is varios alios elucubrare tractatus, atque cumprimis etiam, *de Jure Belli* commentarios tres Lugd. Bat. 1588. & Lond. 1588. & 1589. editos, de quibus H. GROTIUS fatetur, ſe ejus induſtria adjutum fuiſſe in componendo Opere ſuo de *Jure belli & Pacis:* Porro etiam, librum *de Legationibus*, *de mixtura linguarum*, *de Verborum ſignificatione*, *in Virgilium* &ſim. Quinimò etiam in *librum Maccabæorum*, cujus contenta nobis enarrat FABRICIUS Hiſtoria biblioth. T. I. p. 279. 280. aliaque ejus generis ſimilia. Sed & eundem ſub ficto nomine *Mercurii Britannici* edidiſſe libellum rariſſimum, cui tit. *Mundus alter et idem*, ſive *Terra auſtralis*, *ante hac ſemper incognita*, *longis itineribus peregrini Academici nuperrime luſtrata*, Hanoviæ editum 1607. annotavit ac evicit *Jac. Wil.* BLAUFIUS in vermiſchte beytrage. Tom. II. p. 328–356. qui & breve ejus argumentum nobis enarrat, indeque quam nullius elegantioris eruditionis fuerit expers meritò quoque colligit. Obiit annos natus quinquaginta & octo, A. 1608. Oxoniis, annotante *Antonio* WOOD in Athenis Oxonienſibus.

SCI-

a) Vid. BAYLE in Lex. V. Gentilis & cumprim Ant. WOOD in *Athenis Oxoniens.* fol. 367. 368. ubi omnes ejus tractatus enarrantur.

Digitized by Google

SCIPIO GENTILIS.

Hunc eundem Jureconsultum *Alberici* fratrem, Italiâ, & quidem Ancona, optimorum ingeniorum genitrix nobis protulit ubi in castello Sangenesiano A. 1563. natus refertur Patre *Mathæo*. Et quanquam, cum pater ob religionem patriam relinquere deberet, is tenellæ adhuc ætatis puer esset, ac maternæ curæ deberet relinqui; tamen brevi & ipse à matre abductus relicta patria exsul factus, ac in religionis doctrina emendatiore institutus, tantos in Academiis *Tubingensi*, *Witebergensi* & *Leidensi*, in Jure civili progressus fecisse dicitur, ut quoque, cum nondum ex ephebis excesserat, tamen jam censeretur doctissimus, eaque quæ à magistris acceperat doctrinæ semina non solum (ut in præcocibus ingeniis sæpe contingit,) exierint in herbulas, quæ spicas imitatæ ante messem flavescunt, sed penitus immissis radicibus in solidas ac perductas ad maturitatem fruges evaserint. Posteaquam igitur Pater *Mathæus* Archiater provinciæ Carniolensis factus esset, ac iis se dotatum videret beneficiis, ut ad omnem eruditionem sumtus huic suppeditare posset filio natu minori, primo (Albericum enim jam dimiserat in Angliam) ad Tubingensem accessit Academiam, ibidemque & Græcæ Linguæ & Poëseos studium ita tractavit diligenter, ut *P.* MELISSUS eximius poeta ejus quoque genium poëticum *a*) admiraretur suamque lauream illi veluti submitteret, Scipionem se ipso venustiorem Poëtam esse asserendo. Porro Witebergam adiit, & Leidam, quo parenti tantò esset propinquior, qui interea temporis quod apud Carinthios vereretur, se minus tutum esse in professione religionis Evangelicæ, inde secesserat, seque in Angliam receperat. Leidæ igitur, sub *Hugone Donello* & *Justo Lipsio* in scientiæ Juridicæ latifundia inmissus, tantos in Jure profectus cepit, ut *Basileæ* lauream

a) Exstant Ejus *varia Poëmata*, à Corn. Rittershusio & aliis edita in 8.

doctoralem maximo cum elogio reciperet, atque brevi post ad *Academiam Altorfinam* Professor Juris vocaretur, & Hugoni Donello, tum Altorfi quoque doctorem publicum agenti, socius daretur & collega, quod magnum ad illius gloriam adjecit cumulum: uti deinde consiliarius Reip. *Noribergensis*, quæ dignitas erat Jureconsultorum consummatorum, factus est, ubi nominis celebritatem editis variis ingenii monimentis *a*) adauxit, ac tandem A. 1625. fato suo functus est.

GULIELMUS GRATALORUS.

Is erat Bergomas ex dictione Venetorum, natus A. 1516. denatus anno ætatis quinquagesimo secundo, uti ad ann. 1568. annotat THUANUS *b*), qui simul, eum artis medicæ peritia fuisse clarum, asserit, quam & scriptis pererudite illustraverit.

Fuit is ob religionem exsul atque adeo inter *Italos Reformatos recensendus*; sed qui Basileæ tutum habuit receptaculum, licet cum doctis Italis, etiam cum patriam reliquisset, non desugerit antea cultam fovere amicitiam, ac commercium excolere literarium. Eum verò jam A. 1549. patria exivisse, colligimus ex Epitaphio uxori ejus *Barbaræ c*) *Nicolai*, posito, ubi dicitur, quod illa, quæ A. 1569. diem supremum obiit, *per viginti annos* patria sponte caruerit.

Ceterum, cum interea per aliquod temporis interstitium ad Academiam *Marburgensem* vocatum, ibique Professionem Me-

a) Quo jure verò, quave injuria, *Thom.* CRENIUS in *animadverf. Philol.* P. XVI. f. 310. eundem nescio cujus erroris, & forte ipsius Photinianæ impietatis, suspectum reddere allaboraverit, ignoramus, beneque se habet, quod eam calumniam jam indicaverit, & refutaverit Cel. ZELTNERUS in *Histor. Crypto-Socinieni Altorfini.* Tom. I. p. 71. & p. 357.

b) THUANUS in Elogiis ad anno 1568. p. 131. 132.

c) Vid. TONJOLA Monum. Basileens. p. m. 86.

Digitized by Google

Medicam habuisse docemur: quanquam, quod vel aërem Hassiacum ferre nequiret, vel, quod Basileensium conversatio ipsi haud parum videretur amoenior, non ultra annum ei stationi invigilaverit, Basileam redux factus, atque in collegium Medicorum Basileensium receptus. Quò facit illud Petri Nigidii: *a*).

Nobilis hunc misit Cartis Basilea, sed anno
Vix semel exuto rursus eò rediit.
Sive quod Hassiaco non posset vivere coelo,
Sive quod in votis urbs Basilea foret.

Apud Basileenses saltem multis scriptis editis nominis famam propagavit, inter quæ & tractatus, *de Memoria reparanda, augenda, conservanda*, itemque *de Reminicentia*; Porro: *De Literatorum & eorum qui magistratibus funguntur conservanda præservandaque Valetudine*, atque alia: Extant duæ ad ipsum Literæ à *Theodoro* BEZA conscriptæ, quæ leguntur inter reliquas Bezæ Epistolas num. XLII. & num. XLVI.

Annum ejus emortualem collegimus ex Epitaphio *b*), quod ipsi ab uxore Barbara erectum est, quodque ita se habet.

D. O. M.
Gulielmo Grataloro
Bergomensi
Artium ac medicinæ doctori
Medicique filio
In Medicorum Basil. colleg. cooptato
Ob Religionem exuli
Conjugi carissimo
Barbara Nicolai
F. C.
Obiit ætatis suæ anno LII.
Christi MDLXVIII.
A. 16. April.

De

a) Vid. FREHER Theatr. p. 1252. & BAYLE in Lex. T. II. p. 594.
b) GROSS. Epitaph. p. 40. TONJOLA l. c. p. 25.

Digitized by Google

De hac enim Barbara Nicolai, in ejus Epitaphio quod illi posuit *Elisabetha Gratalora* neptis Gratalori, hoc fertur testimonium, quod *illa foeminà fuerit pudicissima, quæ Guil. Gratalorum M. D. Christi causa exsulem, conjugali fide fuerit comitata, atque patriâ Bergamo annis* 20 *sponte caruerit, quodque nunc, eundem coelesti donatum civitate fuerit secuta, æternæque patriæ restituta*, A. 1569.

MATHÆUS GRIBALDUS.

Fuit Jureconsultus Patavinus natus in loco Pedemontii qui vocatur *Quiers*. Quod verò eundem *Italorum Reformatorum* numero inserimus, quanquam mirum permultis videri posset, tamen id non aliam facimus ob rationem, quam quod revera, cum ad huc in Italia versaretur, veritatis luce fuerit irradiatus *a*), atque, ne in Francisci Spiræ, qui veritatem abnegaverat, ac in summa desperatione vitam finiverat, exemplum ac judicium prolaberetur, se inde receperit, relicta sua, quam in Italia & quidem in Academia Patavina obierat, Professione Juridica, in Germaniam, & quidem primo, in Rhætiam, dein P. P. Vergerii suasu ductus & exemplo Tubingam, ac tandem iterum in Helvetiam. Vix autem reliquerat Italiam, quin Historiam *Francisci Spiræ* luctuosissimam singulari scripto consignare sit annisus, quippe quem coram fuerat intuitus, ac cum eo collocutus *b*) sicque rem omnem, quam præsens ipse vidit & audivit, scripto complexus in lucem edidit.

Neque tamen vel in Rhætia, vel in Tubingensi quoque Academia diu subsistere potuit, quod vereretur, ne ab Augu-

a) Id verò patet ex propriis ejus verbis, quibus *Fr. Spiram* cum desperatione colluctantem affatus est, & quibus ejus nobis delineat statum, in libro deinceps citando pag. 34. 39. 40. 44.

b) SLEIDAN.

Digitized by Google

guſtanæ Confeſſionis Theologis ob paradoxas quasdam, imò & heterodoxas ſententias, quod permultorum Italorum vitium erat, impeteretur, atque hæreſeos accuſaretur.

Tum igitur relicta ſtatione ſua Genevam petere & cum *Jo. Calvino* ſibi quandam expetere videbatur familiaritatem, ſaltem ut ad amicum cum ipſo colloquium admitteretur. Ille verò, quod jam heterodoxarum ejus de S. S. Trinitate opinionum ſuſpicionem haberet, ejus familiaritatem refugere, atque colloquium illud declinare; Ad quod tamen non ita multo poſt quod fuerit admiſſus, refertur: quando, erroris convictus, atque ne in Michaëlis Serveti judicium ac ſupplicium incideret, inde quoque recedere eſt coactus, ſeque Bernam contulit, ibique dominium quoddam Vargiarum ſibi coëmiſſe dicitur, non procul à Geneva ſitum, privatæ vitæ receptaculum; niſi ad delationem *a*) Ducis Wurtembergenſis Senatui Bernenſi à Senatu in judicium fuiſſet vocatus, quando errorem ſuum retractaſſe, non ſincera tamen aut integra fide, refertur; quæ & ratio fuit, quod inde non minus ſe proripere debuerit, uti non ita multo poſt A. 1564. menſe Septembri peregrinationum pertæſus è vita ſublatus eſt.

Inter ſcripta ejus, etiam ſunt *Commentarii in Pandectas Juris.*

Itemque, Libri tres *de methodo & ratione ſtudendi.*

Porrò, Commentarii in *legem de rerum miſtura & de Jure fiſci.*

Sunt quoque Ejusdem, *recentiores Jureconſulti ſingulis diſtichis comprehenſi*, excuſi ab Oporino Baſil. in 4.

Et denique *Hiſtoria de Francisco Spiera, qui hominum metu pulſus, Chriſtum & cognitam veritatem abnegavit, & in ſummam deinceps deſperationem incidit*, excuſa Baſileæ cum doctorum aliquot virorum præfationibus 1550. 8.

Cælius Secundus CURIO in præfat. ad illam Hiſtoriam Franc. Spiræ, ita de Gribaldo: *Quis enim* (inquit) *Ma-*

a) Vid. HALLERI relat. in Tempe Helvet. Part. V. p. 114. 115.

Digitized by Google

thæum Gribaldum non agnoſcit; Virum inprimis nobilem & clarum, deinde etiam juris civilis ſcientia & profeſſione celeberrimum; Illius gravitatem, conſtantiam, fidem, prudentiam agnovit Germania, ſenſit Gallia, experitur Italia. Nec verò ſiletur admirabilis quædam & incredibilis in legibus interpretandis, & ex æquitate explicandis, peritia. Neque enim magis Juris conſultus eſt quam juſtitiæ. Itaque quæ proficiſcuntur à legibus & jure civili, ſemper ad facilitatem æquitatemque referre ſolet.

FRANCISCUS DE INSULA.

FRANCISCUM DE INSULA, Nobilem Ligurem, quod inter Italos Reformatos referimus, facit ejus Epitaphium quod ipſi anno 1581. Baſileæ in æde S. Petri *a*) erectum eſt.

C. S.

Sub hoc conditur lapide
Franciscus de Inſula, Nobilis Ligur,
qui poſtquam ſub Patruo ſuo
Jo. Baptiſta de Inſula, Archiſtratego,
militaris ſcientiæ fundamenta
Aquilifer in Italia jeciſſet:
in Germaniam demum
Caroli. V. Imp. invictiſſimi
bellorum commiſſarium
Supremumque annonæ militaris Præfecturam
egiſſet:
veræ tandem religionis lumine
accenſus;
Chriſto militare,
Ejusque nomine exulare,
quam patriis bonis & honoribus
in ſuperſtitione perfrui,
maluit.
Obiit XVI. Decemb. A. MDLXXXI.
Vixit an. LVI. m. V.

JU-

a) Vid. TONJOLÆ Monimenta Baſileenſia p. 131.

Digitized by Google

JULIUS TERENTIANUS.

Fuit natione Mediolanenſis, quem Cæl. Sec. CURIO, *a*) vocat *virum acutiſſimum.* Is verò, cum apud Venetos ageret, à Nuncio Papali, ob religionem, quam à Valdeſio repurgatam hauſerat, etiam in vincula conjectus eſt, monente Zach. BOVERIO in Annalib. Ordinis Capucinorum *b*): In vinculis, & libellum & epiſtolas quasdam ſpirituales equidem conſcripſit, ſed, metu Phariſæorum ejus vitæ & fortunis inſidiantium, nequidem, verum nomen ut ſcriptis ſuis præfigeret, auſus eſt, uſus tum nomine *Girolamo Savoneſe*, *c*).

Ut ſe res habeat, ex captivitate liberatus, quod in Rhætiam ſe contulerit, certum eſt, ubi Pesclavienſis eccleſiæ fuit miniſter; Quod verò etiam cum Petro Martyre in Anglia fuerit A. 1553. & cum eo, cui filii loco conſtanter ac fideliter ad obitum usque adhæſit, *d*) ſe receperit Argentoratum, diſcimus ex propria ejus Epiſtola, *e*) Argentorati, ad Johannem quendam, forte Utenhovium, ſcripta d. 20 Novemb. 1553. Uti Martyr ejus meminit in Ep. ad Utenhovium *f*). *).

a) In *Pasquillo Ecſtatico.* p. 166.
b) Apud Cl. SCHELHORN. in tractatu de *Mino Celſo Senenſi*, p. 23. & 36.
c) Vid. SCHELHORN. in *Recreat. eccleſ.* T. V. p. 11. ſq.
d) Vid. SIMLER in Vita Martyris in *Scrin. noſtr. Antiq.* T. III. P. I. p. 20.
e) In *collectione Fueſſliniana* n. LXXVI. p. 304. ſq.
f) Vid. *Scrin. noſtr. Antiq.* T. IV. p. 664.
*) Certè, in exilio omnibusque peregrinationibus nunquam ab eo divelli potuit, ut largam quoque doctiſſimo J. SIMLERO materiam ſuppeditare potuerit conſcribendi *Petri Martyris Vitam*, teſte ipſo SIMLERO, Prouti quod eidem huic *Julio* quoque *Martyris* Bibliotheca poſt obitum ceſſerit, idem teſtatur *Simlerus* in Præfat. ad Comment. in Geneſin, ad Joh. Juellum Epiſcopum Sarisburienſem directa.

Digitized by Google

Ceterum, quod is abinde fuerit *Ecclesiæ Clavennensis* minister, atque collegam habuerit *Scipionem Lentulum*, docemur *a*). Uti singularis ejus laudatur zelus, ac strenuitas in defendenda orthodoxia ecclesiastica, in *Actis Synodi Curiensis*, *b*) ubi *Tob.* EGLINUS, *sed quibus verbis*, scribit, *zelum D. Julii Mediolanensis, hominis facundissimi, piissimi, doctissimi, celebrem, non reperio. Salutat is vos omnes, teque inprimis, Reverendissime Pater. Sat ei factum in hac Synodo. Triumphat certè Clavennensis Ecclesia cum Lentulo viro doctissimo, qui egregiam quoque operam navavit conventui huic nostro.*

Quo anno fato suo functus fuerit, non est compertum, certum tamen, quod A. 1571. adhuc in vivis fuerit.

Extat ejus de Lælio Socino relatio ad H. Bullingerum, ex Pesclavio data *c*) d. 4 Nov. 1555. responsoria ad Epistolam ejus *d*), ubi inter alia ita: *Cæterum Ecclesiæ nostræ vallis Telinæ, quæ sunt Pesclavii, Tirani, Tilii & Sondrii, pergunt concordes in veteri & sanctissima doctrina, quæ ab ætate Apostolorum apud omnes ecclesias recepta fuit, & hodie Dei gratia sine controversia docetur in vestræ Helvetiæ & nostræ Rhætiæ ecclesiis.*

PAULUS LACISIUS.

Hunc nobis protulit *Verona*, civitas in progignendis elegantissimis hominum ingeniis semper felix habita.

Erat verò, cum Romana adhuc sacra profiteretur, Canonicus

a) In Ep. statim citanda.

b) Vid. Ep. Tob. EGLINI ad Henr. Bulling. A. 1571. apud *Schelhorn.* de Mino Celso Sen. p. 36. conf. pag. 46. & p. 49. & quæ deinde circa *Scip. Lentulum* monebuntur.

c) Vid. FUESEL collect. Epist. Reform. n. 81. p. 354. sq.

d) Hanc HOTTINGERUS inseruit Histor. Eccles. Sec. XV. P. V. p. 417-425.

Digitized by Google

nicus Regularis congregationis Lateranenſis: & docebat apud *Luccenſes* Latinam linguam, cum Petrus Martyr ibidem Prioratum S. Fridiani (quæ ampla ſatis apud eos eſt dignitas, ſiquidem Prior ille in mediam urbis partem episcopalia Jura exercebat;) teneret, ſuaque doctrina & exemplo multos erudiret. *P. Martyr* igitur, quocum ipſi conſuetudo erat ac familiaritas, cum miſſis Pontificiorum næniis Proteſtantium dogmata recepiſſet, Laciſius quoque noſter, non diſſimili ratione Martyris exemplum ſecutus, una cum ipſo ſeceſſit in Germaniam, ubi A. 1542. ad publicam Papiſticæ doctrinæ *a*) revocationem acceſſerunt utrique.

Cum verò aliquantisper apud Tigurinos primùm, dein & apud Baſileenſes, hæſiſſent: tandem *Argentoratum* (procurante Martino Bucero) ambo ſunt vocati, quando P. *Martyri* Profeſſio ſacrarum literarum, Laciſio autem Græcæ linguæ demandata eſt.

Quod verò etiam Hebraicè doctus fuerit, teſtatur Franciscus Robortellus, *b*) his verbis: *Magnum mihi adjumentum præbuit perantiquus liber in membranis deſcriptus, de quō mihi libentiſſime, ſicuti de aliis multis, accommodavit Paulus Laciſius Veronenſis, Vir Græcarum Latinarumque literarum, etiam Hebræarum, peritiſſimus.*

Claruit A. 1546. & Argentorati diem clauſit, ſed quo anno incertum.

Extat ejus *Verſio Chiliadum Jo. Tzetzæ*, una cum textu Græco impreſſa Baſileæ apud Jo. Oporinum A. 1546.

SCIPIO LENTULUS.

LENTULUS ille, in cujus jam incurro memoriam, fuit inſignis Neapolitanus, qui cum ad Veritatis Evangelicæ

a) Vid. SIMLER. Vita P. Martyris in *Scrin. noſtr. Antiq.* T. III. p. 17. & BAYLE in Lexic.

b) ROBORTELLUS in præfat. ad Lectorem in Ariſtotelis Poeticam Baſil 1555. apud COLOMES. in Italia orientali p. 67.

Digitized by Google

pleniorem cognitionem devenisset, ante omnia *Valdensium*; in vallibus *Lucernæ*, *Angruniæ* & *Perusiæ*, Ecclesiis inserviit, atque, cum eorum Pastor esset, eorum quoque admodum masculè in se, in gravissimis quibus tentabantur persecutionibus, susceptit causam. Cum igitur hi, A. 1560 & 1561. funestam subirent persecutionem, ac *Emanuel Philibertus* Sabaudiæ Dux, ad nutum & ferociam L. Costæ Comitis Trinitensis, in eos immisisset exercitum, qui depopulaturus esset omnia, sed, qui tamen post multa immanis truculentiæ *a*) ac feritatis exhibita specimina, tandem non sine mirabili providentia divina succumbere debuit, ac pacem convallensibus concedere; Tum, *Scipio* noster, mirabilem hanc liberationem singulari ad Illustrem quendam Genevensem exponere Epistola non dubitavit, quam lingua Gallica nobis conservavit *b*) doctissimus LEGERUS in Ecclesiaram Convallensium Historia: quæque ut in Latinum sermonem transferretur, est dignissima. Cæterum, quod A. 1565. abinde se in Rhætiam recipere debuerit docemur *c*), quippe qui A. 1567. in Ecclesiæ CLAVENNENSIS ministerio sacro, *Hieronymo Zanchio* tum ad Professionem Theologicam Heidelbergensem evocato, successit, eique ecclesiæ usque ad vitæ finem inserviit.

Qualem verò se in illo tum gesserit ministerio, & quam solerter invigilaverit cum collegis suis, ne per aliquos, qui à veritate Evangelica deviabant, atque in Arianorum & Antitrinitariorum castra secedere videbantur, detrimenti quid caperet doctrina nostra, colligi poterit ex epistola *Tobiæ Egli-*

a) Omnem hanc persecutionem nobis pandit THUANUS lib. XXVII. c. VIII--XIV. Vol. II. fol. 84-96.

b) Vid. LEGER Histoire generale des Eglises Vaudoises Tom. II. fol. 34. 35. 6.

c) Vid. GILLES Hist. Eccles. des vallees de Piemont p. 207. ap. BÆLIUM T. III. fol. 78.

Digitized by Google

Eglinii ſive *Iconii* ad Henr. Bullingerum *a*), menſe Junio 1571. exarata, ubi ita: *Triumphat certe Clavennenſis eccleſia cum Lentulo viro doctiſſimo, qui egregiam quoque operam navavit huic conventui noſtro:* Intelligit vero Eglinus *Conventum Curienſem*, *b*) in quo *de ſupplicio hæreticorum* agebatur:

Nimirum eo tempore in Rhætia acris de hæreticorum ſupplicio erat concertatio, aliis pro eo ſtantibus, aliis eidem repugnantibus; Illorum coryphæus erat *Tobias Eglinus*, horum fax & tuba *Joannes Gantnerus*, uterque Curienſis Eccleſiæ miniſter. Tandem vero A. 1571. menſe Junio, *Curiæ*, ad componendas haſce lites domeſticas, aliisque de cauſis, fuit celebrata Synodus *c*). In ea LXX. Miniſtri ex Italis & Germanis confluxerant, ac cum multa ultro citroque eſſent ventilata, tandem concluſum eſt, *eſſe magiſtratus etiam gladio coërcere hæreticos:* Quæ ſententia licet permultis videretur durior, poſtmodum *à tribus foederibus* ita dictis, confirmata fuit, ut legibus ipſorum eccleſiaſticis fuerit inſerta ac defenſa, neminemque inde pro Synodi membro habendum eſſe ſciſcerent, aut pro Miniſtro orthodoxo, qui hæc improbaturus eſſet.

Enimverò ex authenticis documentis hujus cauſæ originem & progreſſum expoſuit Vener. BREITINGERUS in *Muſeo Helvetico* Part. XVI. n. V. poſtquam Cl. SCHELHORNIUS eandem, ab Hottingero & Anhornio prudenti conſilio prætermiſſam, in lucem, non plene tamen inſtructus, revocaverat.

Ut

a) Vid. SCHELHORN. diſſ. de Mino Celſo Senenſi. p. 56.
b) Ibid.
c) Acta hujus Synodi, cum nec ab J. H. HOTTINGERO in ejus *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, nec à *Barthol.* ANHORNIO in ejus *palingeneſia Rhætica* fuiſſent commemorata ex Mſſ. primus edidit, ſuæque diatribæ de *Mino Celſo Senenſi* à p. 30—56. incl. inſeruit Celeb. SCHELHORNIUS.

Digitized by Google

Ut enim, quales quove ingenio fuerint illi homines, quos tandem quoque *Synodus* illa *Curienſis* tanquam hæreticos condemnavit, atque Edicto publico ampliſſimum *trium Foederum* Senatus proſcripſit, cognoſcatur, inſpici debet *Joſ.* SIMLERI *a*) præfatio ad ſcripta Veterum Latina *de una perſona & duabus naturis in Chriſto.* Fuit autem in ea Synodo, *Julii Mediolanenſis* æque ac hujus *Lentuli* noſtri, zelus ita conſpicuus, ut Lentulus deinde, cum non deeſſent, qui concluſum illud publico ſcripto fugillarent ac impugnarent, ejus in ſe ſuſceperit defenſionem, edito, qui Genevæ A. 1592. 8. prodiit, libello, ſub tit. *Scipionis b*) *Lentuli Neapolitani Reſponſio orthodoxa, pro Edicto illuſtriſſimorum Dominorum trium foederum Rhætiæ, adverſus hæreticos & alios eccleſiarum Rhæticarum perturbatores promulgato: in qua de Magiſtratus authoritate & officio in coërcendis hæreticis ex verbo Dei diſputatur.*

FRANCISCUS LISMANINUS.

Eum equidem inter *Italos Reformatos* ita recenſemus, ut minimè tamen diffiteamur, eum à vehementi quodam flatu erroris Unitariorum ſe abripi, atque ad varios ſcopulos abſtrahi & deferri, ſiviſſe.

Memoriam ejus præ reliquis inſtauravit *Staniſlaus* LUBIENIECIUS in *Hiſtoria Reformationis Polonicæ* L. II. cap. II. pag. 40. &ſeq.

Erat Corcyra *c*) oriundus, ac inter Pontificios educatus & inſtructus, Theologiæ doctor, Monachus Franciscanus *d*,) atque

a) Vid. *Muſeum Helvet.* P. XVI. n. V. p. 618. 619.

b) BAYLE in Lex. & Schelh. l. c. p. 56.

c) Equidem *Corcyræ* ejus patria Græciæ accenſeri ſolet, ſed cum tamen ditionis ſit *Venetorum*, noſterque Lismaninus Italicè cumprimis doctus fuerit, eundem Italorum numero inſeri tuto poſſe, claret.

d) SAND. in Biblioth. antitrinitar. p. m. 34.

Digitized by Google

atque circiter A. 1546. Bonæ Reginæ (Matri Sigismundi Auguſti Poloniæ Regis) à Concionibus Italicis & Confeſſionibus ſacris, nec non Franciſcanorum ſeu Minoritarum in Polonia Provincialis & omnium coenobiorum monialium regulæ Claræ Ephorus, qui vulgo dicitur *Commiſſarius*.

At verò, cum ita in Polonia verſaretur, atque amicitia inſuper uteretur *Joh. Friceſii*, Viri docti ac nobilis, qui jam tum apud Cracovienſes Reformationis ſemina ſpargebat, factum eſt, ut lectione concionum Ochini, & librorum Evangelicorum, Witebergæ, Lipſiæ, Baſileæ ac alibi, impreſſorum ad veritatis Evangelicæ cognitionem deveniret, eamque jam tum non minus ad alios proferre ſtuderet: uti ante omnia Sigismundi Regis gratia ac familiaritate gaviſus nullam non operam impendit, quò & animus Regius veritatis amore imbueretur, atque lectione *Inſtitutionis Relig. Chriſtianæ Joh. Calvini* ad pleniorem doctrinæ ac fidei emendatæ notitiam deveniret.

Quæ res, &, quod inter Sigismundum & Reginam Matrem, nuptiis regiis cum Barba Radzivilia contractis irritatam, conciliationem tentaret, eum excitavit favorem, ut Sigismundus eum ſibi Miniſtrum Regium aſſumeret, qui ad locupletandam *a)* bibliothecam regiam varias Europæ peragraret regiones, ſicque optimorum librorum undiquaque copiam ſibi acquireret; ſimul verò etiam amicitiam ac familiaritatem cum Theologis Helvetiis & Eccleſia Genevenſi contraheret, atque ad earum Eccleſiarum inſtituta, ritus, & regendi formas, adtenderet, deque his omnibus à reditu ſuo Regem inſtrueret, ad conſtituendam pleniorem quandam regiminis eccleſiaſtici formam. Enimverò, Lismaninus, poſt variarum regionum perluſtrationem apud Genevenſes deliteſcens, ac cum Jo. Calvino notitiam contrahens, coelibatus monachalis pertæſus, uxorem duxerat, eoque ipſo Regis ſui indignationem incurrerat: atque eo non maturo ſatis conſilio, ut Rex ab

a) LUBIENIEC. loc. cit. p. 41.

Digitized by Google

incepto de exploranda *a*) vel etiam reformanda apud Polonos ſuos religione, reſiliret, anſam dederat.

Ut ſe res habeat, officii tamen erga Regem memor, non ceſſabat identidem ſuæ peregrinationis, imò & facti ſui, rationem Regi reddere, libros juſſu & impenſis regiis coëmtos ad eum ſubinde transmittere, nec non literas, ne de neglecto, quod ſibi demandatum erat negotio, Rex conqueri poſſet, quas celeberrimi in Helvetia *) viri de rebus ad eccleſiam pertinentibus ad eum ſcripſerunt.

Sed, uti ſæpenumero contingit, ut optima ſeges, quæque uberem pollicebatur meſſem, ab interveniente zizanio in medio curſu frangatur atque corruat, ita cum Lismanino fere habuit. Is enim cum *Lælio Socino*, inter Helvetios verſante, ac hæreſin ſuam clanculum diſpergente, arctiorem ſive contraxerat, ſive ulterius excoluerat amicitiam, ac circa doctrinam de Deo Triuno orthodoxam vacillare coeperat: nimiopere ſaltem illis, qui aperte Deum Triunum negabant, faviſſe ac indulſiſſe viſus eſt *b*), eaque propter mandato regio ex *Poloniæ regno* proſcriptus dicitur.

Veluti, cum deinceps ſubinde clanculum Poloniam repeteret, ac cum his illisve ex noſtris etiam, licet non aperte, conferens

a) LUBIENIEC. l. c. p. 43.

*) Erat enim magna ejus exiſtimatio, uti vel ex *Bullingeri* Ep. ad fratres Polonos data 1556. quæ in *collectione Fueſſlini* n. 82. p. 360 legitur, colluceſcit.

b) Dicitur enim mediam quoque tentaſſe viam inter orthodoxos & unitarios, ſi poſſe, inter ſe conciliari poſſent, tum, cum illa inprimis controverſia *Stancariana* Eccleſiam Polonicam diſcindebat. Compoſuiſſe enim refertur *Centonem quendam*, i. e. loca collecta *ex quatuor Seculi IV. Patribus*, *Ambroſio*, *Hieronimo*, *Auguſtino* & *Chryſoſtomo*, quæ pro ſua interpretatione facerent ac diſſidentes componere poſſent. vid. *Florilegium noſtr. lib. rar.* pag. 234. 235. &c. LUBIENIEC. l. c. p. 168.

Digitized by Google

ferret tamen, se *Regiomontum* recipere debuit, ubi tristissimum vitæ circa ann. 1563. habuit exitum. *a)*

BENEDICTUS LOCARNUS.

Et hic BENEDICTUS cognomento LOCARNUS ex ordine Monachorum, qui Patres Minores nuncupantur, non solum ipse *Reformatus Italus*, sed & inter eos, quos Insubrum oræ produxerunt, qui non tantùm communi patriæ Locarnensi, sed & universæ Italiæ sanctora, dictare aggressi sunt; Eorumque adeò, qui Evangelium purè annunciarunt, in Italia, anteſignanus.

Is lucem eandem Siciliæ quoque fertur intulisse, neque ullum fere illustrem Italiæ *b)* locum fuisse, quem non doctrina sua collustrarit.

Neque tamen, quantum nobis per documentorum penuriam constat, plura de eo jam cognoscuntur.

Pier. Angelo *Manzolli*,
vid. Palingenius.

ANTONIUS MARIUS.

ANTONIUM MARIUM Italum ac Evangelii ministrum commemorari, videmus in Epistolis *Joh.* BECCARIÆ ad *Pollicinum* in *Templ. Helv.* T. IV. p. 187. 185. ceu qui A. 1546. Tiguri sit versatus.

Ceteroquin nihil de eo mihi innotuit, nisi quod *Aug.* quoque MAYNARDUS V. D. M. Clavennensis in Ep. ad *Bul-*

„ *lin-*

a) SAND. in Bibl. antitrinit. l. c. p. 35. apud BÆLIUM Tom. III. vid. *Lismanin.* fol. 131.

b) Vid. Jo. de MURALT Oratio de persecutione Locarnensi in *Tempe Helvet.* Tom. IV. n. VI. pag. 142.

Digitized by Google

lingerum a) A. 1554. eundem de meliori nota commendet: „ Veniet igitur ad te, Eximie Bullingere, *Antonius Ma-* „ *rius*, illius Eccleſiæ (Locarnenſis) honorabile membrum, „ & quem tu noſti, veniet inquam exul Chriſti: nam dum „ inter cæteros emineret, non ſunt paſſi impii, ut Locarni „ diutius ageret, ſed cum nobili ac fideliſſima uxore exul ſit. „ Hic nunc Clavennæ habitat, audies illum pro illa eccle- „ ſia &c.

CELSUS MARTINENGUS.

Fuit inter eos Italos, qui cupiditate honorum ac divitiarum abjecta, ſe totos pietatis ac religionis, à ſcoriis Pontificiis emendatæ, ſtudiò tradiderunt: ſicque relicta patria, quod propter Evangelium, cujus annunciatione jam tum Chriſto animas lucrari ſtudebat, ſibi inſidias ſtrui apud Mediolanenſes animadverteret, conceſſit, primò, ad *Rhætos*, ac non ita multo poſt, *Genevam*, ubi Viri illuſtris, *Galeacii Caraccioli* ſuaſu ac nutu, primus *Eccleſiæ Italicæ* per aliquot annos Paſtor fuit, ſinceritate ac fidelitate conſpicuus, ibique, dum hora ejus aderat, obdormivit in Domino.

Qua ratione autem, & quo modo, ad guſtum Veritatis Evangelicæ in ipſa Italia pervenerit, ab *Hieronymo Zanchio* explicatum *a*) legimus. Is vero hunc in modum: „ Ego „ tum (loquitur de Anno 1553.) recens egreſſus eram Italia „ religionis cauſſa, idque provocatus exemplo illuſtris *Comi-* „ *tis Martinenghi*, *b*) (is erat Celſus noſter) Maximiani „ viri pii & docti, fratriſque in Domino chariſſimi, quocum „ familiariſſimè annos ferme XVI. in ſancta amicitia vixeram; „ ambo

a) Vid. ZANCHII Epiſt. ad Philippum Haſſiæ in *Scrin. noſtr. antiq.* Tom. V. P. II. p. 230. 1.

b) Conf. SIMLER in Vita P. Martyris in Scrin. antiq. Tom. III. P. I. p. 18. ubi pag. 44. is dicitur *Maximilianus Celſus Martinenghi Comes.*

Digitized by Google

„ ambo enim fueramus Canonici Lateranenſes, quos regula-
„ res vocant: ambo ejusdem ætatis & fere ejusdem ingenii
„ ac voluntatis: ambo in iisdem ſtudiis ſimul verſati, Ari-
„ ſtotelis, Linguarum & Scholaſticæ Theologiæ: ambo de-
„ nique ſimul, cum Petrum Martyrem Luccæ, Epiſtolam ad
„ Romanos publicè interpretantem, & Pſalmos privatim ſuis
„ Canonicis explicantem audiremus, coepimus animum ad-
„ jicere ad ſtudium S. Literarum; Deinde etiam ad longe
„ meliorem ipſis Scholaſticis libris atque doctoribus, Patrum,
„ atque cumprimis Auguſtini, ac demum noſtri etiam tem-
„ poris doctiſſimorum quorumque Interpretum, lectionem:
„ Ac per annos quidem aliquot Evangelium Chriſti, quam
„ potuimus puriſſimè prædicavimus &c:

Ceterùm, *Martinenghum*, ſe potiorem atque præſtantiorem, prædicat idem ille ZANCHIUS; *a*) quippe, cui etiam, cum apud Genevenſes jam ageret, prius illa *Profeſſio Argentoratenſis* eſſet oblata, quam Zanchio, ſed, qui eam, quod nollet ſuam Eccleſiam deſerere, recuſaverit.

Obiit verò diem ſupremum A. 1557. vel 1558. quod colligimus ex eo, quod in Vita P. Martyris relatum legimus, Martyrem altero anno poſteaquam ad Tigurinos venerat *b*) (venerat autem illus menſe Julio 1556.) fuiſſe vocatum in locum Viri clariſſimi *Maximiliani Celſi Martinenghi*, qui Italicæ Eccleſiæ in urbe Genevenſi præfuerat, jamque erat mortuus. Και ταυτα μεν δη ταυτα.

a) ZANCH. l. c. *Ille utpote majori ſpiritu Dei præditus quam ego* (ſcil. prædicabat Evangelium) *liberius ſemper & apertius, ac proinde etiam prior me, Italia valere juſſa, conceſſit ad Rhætos* &c.

b) Vid. SIMLER in Vita P. Martyris l. c. p. 44.

Digitized by Google

ULYSSES MARTINENGUS.
Comes Barchensis.

Eximium hunc Virum ac Patricium Venetum, *a*) nobis præ aliis notum fecit *Hieronymus* ZANCHIUS, præclarus ex nostris Theologus, quippe qui A. 1585. cum ipse septuagesimum ageret ætatis annum, Librum quendam Dogmata Evangelica complexum, sub tit. *Confessionis fidei* suæ & familiæ propriæ nomine editum, *Ulisti* huic *Martinengo*, *Comiti Barchensi & Patricio Veneto*, dedicavit, *b*) atque ita

a) Vid. THUAN. ad ann. 1596.

b) ZANCHII, inter alia hæc sunt verba, Operum Tom. VII. p. 463. Tibi verò, mi C. VL. librum hunc meum ut dicarem, multis illisque honestissimis causis, quas nec tibi, nec cuiquam alii bono viro improbatum iri confido, adductus fui.

„ Decuit bonæ doctrinæ librum non nudum, bonum habere patronum, qui & vellet ob pietatem & posset ob eruditionem, illum tueri, & id quidem constanter. . . . . Accedit, quod ut meæ erga te observantiæ, nostræque Christianæ amicitiæ, aliquod apud omnes extaret omnibus seculis monumentum, honestum ac necessarium esse judicavi. Est enim res apud Deum & apud homines omni laude dignissima, illa, quæ ex virtute est, adeoque sincera ac solida est, amicitia: . . . .

„ . . . . Nostram certè conciliavit, non caro & sanguis, sed Christus, sed pietas, sed religio, ejusdemque religionis amor; cui postea accessit similitudo animorum, studiorum, morum, suavissimaque per aliquot annos consuetudo, quibus illa fuit confirmata, atque ita confirmata, ut nullo etiam locorum per multos annos, vel maximè longo intervallo, imminui aut labefactari potuerit.

„ Quid? quod non solum firma ac constans semper huc usque permansit, sed etiam incrementa accepisse ac indies accipere videtur? Spiritu Sancto sanctam φιλαδελφίαν in cordibus nostris magis atque magis accendente. Ego certè,

„ quam-

ita dedicavit, ut non obſcuris prodat indiciis, quam idem ille, tametſi Italiam quoque non reliquiſſet, tamen Evangelicæ veritatis ac doctrinæ Confeſſor fuerit ac paraſtata.

Quin imò, uti inter Epiſtolas *Zanchianas*, quædam ipſius hujus ULYXIS legitur Epiſtola, *a*) A. 1564. cum in Eccleſia Clavennenſi Rhætorum V. D. Miniſtrum ageret Zanchius; ita exinde colligimus, quam is non ſolum commercium cum Zanchio coluerit literarium, ſed &, quam coram ipſum inviſerit, ac procul dubio eam, quam cognatus ejus *Celſus Martinengus*, jam ante ſexennium in Domino defunctus, apud Genevenſes, cum Zanchio coluerat, amicitiam inſtauraverit, atque continuaverit:

Quanquam, quò deinceps ſe contulerit, & quamnam vitæ inierit rationem, vix ex illa epiſtola, neque etiam ex illa Zanchii Dedicatione ſatis elici poſſit; Niſi quod, ex alia quadam Epiſtola *Zanchii* A. 1580. ad *Johannem Taffinum*, *b*) Gulielmi I. Arauſionenſis Theologum tum Antverpiæ verſantem, data, tutò colligatur, Ulyxem hunc tum Illuſtriſſimo Prin-

„ quantum me tui videndi, tecum colloquendi, teque in „ Domino amplectendi deſiderium teneat, ſentio, & vicis„ ſim ex tuis tum ad me literis, tum pro me officiis, quan„ tæ tibi curæ ſint res meæ, facile intelligo. Sic ſolent ve„ ræ amicitiæ, quæ ex Spiritu Dei conciliantur, perpetuo „ conſervari & augeri. .... Quid vero vel tibi gratius, „ vel tua pietate, virtute, & nobilitate dignius præſtari à „ me potuit, quam ſi libellum hunc, quo totius Chriſtianæ „ doctrinæ ſummam, qua potui brevitate & perſpicuitate com„ plexus ſum, tuo nomini conſecrarem? ..... Ego vero „ tibi à Domino precor meos C. M. quo & tuis & meis, „ imo & noſtris Eccleſiis, ut hactenus feciſti, diu prodeſſe „ queas, ſed ſine illis incommodis, ad meam usque ætatem „ & ultra pervenias precor &c.

a) Extat ſaltem una ejus ad Zanchium data A. 1564. in Volumine Epiſtolarum Zanchii lib. II. p. 366.

b) Zanchii Epiſtolar. lib. II. p. 411.

Digitized by Google

Principi, quique magnus ingeniorum æſtimator erat, ac ipſe prudentiſſimus prudentiſſimos undiquaque viros ad ſe accerſebat, fuiſſe commendatum, ut Concianatoris aulici ac conſiliarii munus obiret, eaque de re per *Taffinum*, fuiſſe conſultum *Zanchium*; Cujus præclarum in Epiſtola reſponſoria ita ſe habet teſtimonium:

„ De Comite Ulyſſe, quod petis, ego illum novi intus „ & in cute, ut dici ſolet. Itaque optima conſcientia, & „ coram Domino Jeſu, do illi teſtimonium ſinceræ & ſolidæ „ doctrinæ, atque etiam non vulgaris eruditionis, honeſtiſſi„ mæ & veræ Chriſtianæ vitæ, zeli gloriæ Dei & eximiæ erga „ fratres charitatis; ſingularis item prudentiæ & dexteritatis „ in rebus gerendis, atque tractandis, quæ certò virtus, „ quam neceſſaria ſit Eccleſiarum gubernatoribus, tu opti„ mè noſti. Illud tantùm me latet, qualem in concionando „ habeat gratiam. Nunquam enim illum docentem è ſugge„ ſtu audivi, ſed optime loquitur Italicè. Certò ſcio, illum „ eſſe egregium ſervum Dei. O! utinam mihi daretur, ut „ poſſem cum illo, quod mihi reliquum eſt vitæ, traducere. „ Vir eſt, mihi crede, præclarus, plus habens in receſſu „ quam in fronte, ſincerus, apertus, amans, officioſus, hu„ manus & ſuam nobilitatem moribus Chriſtianis exornans. „ Non dubitarim, valde gratum futurum Illuſtriſſimo Prin„ cipi veſtro. Faxit Deus, ut ad vos veniat.

PETRUS MARTYR VERMILIUS.

Hunc perinſignem Eccleſiæ Reformatæ Theologum nobis dedit *Florentia*, quæ inter reliquas Etruriæ urbes principem ferè locum habet. Eſt verò natus A. 1500. Et, quanquam admodum Juvenis annorum ſedecim, ſe quoque familiæ Canonicorum regularium D. Auguſtini, quod hi ceteris monachis ſeveriore diſciplina uterentur, atque diligentius etiam ſtudia literarum excolerent, addixiſſet; invito fere Parente, vermilio

Digitized by Google

Vermilio, cui ejus temporis vita monaſtica minime probata erat, tamen deinde, quam longùm & ipſe ab omni ſuperſtitioni monachali ſemotus eſſet, ore, vita, ſcriptis, atque ad Veritatem Evangelicam converſione, teſtatum fecit.

Enimverò, quamdiu ſive apud Neapolitanos ſive apud Luccanos verſabatur, atque etiam prius, cum in celeberrimis Italiæ & Galliæ Ciſalpinæ urbibus, Brixiæ, Romæ, Bononiæ, Firmi, Piſis, Venetiis, Mantuæ, Bergomi, Montferrati, concionandi munere fungebatur, magnam ſibi jam acquiſiverat nominis famam: ut Andreas Thevetus, *a*) Franciſcanus monachus, magnus ille peregrinator, eundem quoque maximis & doctiſſimis ſui temporis viris ex merito annumeraret.

Sed, in civitate Neapolitana gratia divinæ illuminationis *b*) illuſtrius ac clarius illi affulgere coepit, ut abinde meritò inter *Italos Reformatos* eximium nomen habuerit, atque laudem minimè perituram.

Cum autem annos natus eſſet ferè 44. Italia relicta, & ultimò civitate Luccenſi, *Argentoratum* ſeceſſit; *c*) de quo tamen ſeceſſu, ne quid ſiniſtri ſuſpicarentur Luccenſes fideles, quibus magnopere adamatus erat, ipſe effecit, ſingulari eaque piiſſima ad eos ſcripta Epiſtola; *d*) quæ certè digna eſſet ut

a) THEVET. Cosmograph. Tom. I. p. 720. De mon temps vous aviez auſſi un *Pierre Martyr*, Florentin, lequel il n' euſt embraſſé l'opinion Zwinglienne & Lutherienne, il euſt eté au rang de plus doctes de noſtre temps.

b) SIMLER in Vita P. Martyris in *ſcrin. noſtr. antiq.* Tom. III. part I. pag. 13.

c) BUCERUS in Ep. ad Calvin Argentorato d. 28 Oct. 1542. *Advenit ex Italia Vir. . . . . & in ſcripturis feliciter verſatus, annos natus 44. gravis moribus & judicio acri. Petro Martyri nomen eſt. Præfuit Canonicis regularibus Luccæ.*

d) Ea legitur inter reliquos P. MARTYRIS Epp. ſubjectas ejus *Locis communibus* fol. 564. 565. ſcripta Argentorato, octavo Kalendas Januarias 1543.

Digitized by Google

hic insereretur, nisi vereremur nos ita in Syllabi hujus brevitatem peccaturos. Clausula ejus hæc est: „ Qua propter, „ quando à tanto periculo expulsus, ærumnarum ejusmodi „ minime ignarus, Roma, à societate, à monasterio, à civi„ tate vestra, imminentis oppressionis certior factus, nullo „ cuiquam damno illato, sed concionibus & prælectionibus „ veritate manifestata, dignitatibus, opibus, commodisque „ omnibus posthabitis, superstitionum vinculis solutus, ex tot „ simulationibus ereptus, ab imminenti oppressione caput meum redemi, non est quod offendiculi causam quis arripiat. „ Annon concedit Dominus Jesus, ut persecutiones vitemus? „ Ego ingenuè dicam, quod res est, nullam hic culpam ag„ nosco. Utinam ceteræ omnes actiones meæ mihi æque „ probarentur. Si tamen peccatum est aliquid, rationi magis quam voluntati est tribuendum.

Sed, quanta ejus inde ab eo tempore, ac deinceps in Ecclesiam *Argentoratensem* primò, deinde in Ecclesiam *Anglicanam* tempore Eduardi VI. Regis Angliæ, porrò in Ecclesiam *Tigurinam*, omnemque adeò Ecclesiam *Reformatam* fuerint merita, & quanta illico fama de eo fuerit exorta, notius est, quam ut multis commonstrari indigeat. *a*)

Certè Lamb. DANÆUS in dedicatione Ethices suæ Christianæ, ita Ecclesiæ Tigurinæ antistites alloquitur. *Quantus vir P. Martyr, ille penu omnis Theologiæ, ille doctor, qui, ut ait Christus, ex suo thesauro & novas & veteres apes, tot tantasque, quot quantasque mirantur omnes in uno quodam mortali homine esse potuisse, depromsit; Quem vos, quanquam natione Italum & propter nomen Christi patria extorrem, tanta tamen benevolentia prosecuti estis, ut ille moriendo apud vos vestram civem se velle esse, testaretur.* Enimverò, unicum illud de ejus meritis in rem omnem Reformationis

a) Conferri merentur, quæ *de Vita & meritis Martyris* in doctrinam Reformatam, & ecclesias modo laudatas, proferuntur in *Dictionario* Venerandi DE CHAUFEPIE vol. III. fol. 50—56.

Digitized by Google

formatam adhuc commemorare juvat, quod cum A. 1561. nutu & auctoritate Catharinæ, Reginæ Matris Caroli IX. Regis Galliarum, *colloquium* celebraretur Poſſiacenum, Martyr quoque noſter illuc fuerit ſpeciali, cum Reginæ Matris, tum Regis Navarreni & Principis Condæi, itemque Colinii, *a*) nutu ac voluntate evocatus, ac præclarè rem geſſerit, iter illud non ſine periculis, in Galliam, juſſu & voluntate magiſtratus ſui promte ſuſcipiendo, cauſam veritatis in ipſo colloquio ſtrenuè tuendo, ac multos ſibi reformataeque doctrinæ in Gallia amicos conciliando, & cumprimis Regium favorem pro afflictis Eccleſiis impetrando. Cujus rei teſtimonium præbent Literæ, cum Reginæ Matris, tum omnium ferè Principum Regiorum ad Senatum Tigurinum datæ, ipſumque Martyrem meritis laudibus exornantes.

Cæterùm ipſe Martyr hujus *Colloquii Hiſtoriam*, cum ſcripto conſignaverit, eam ex Mſſ. edidit *Jo. Henr.* HOTTINGERUS, in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeculi XVI. Tom. III. à pag. 714—749. ex qua ſimul Martyris religio, doctrina, fides ac induſtria, luculenter colligi poterit.

Reliqua ejus ſcripta, uti multum ſapientiæ Theologicæ in ſe continent, ita ſunt varia; atque inter ea eminent:

Expoſitio Symboli Apoſtolici, lingua Italica conſcripta, ut omnibus fidei ſuæ rationem redderet.

Tractatus *de Cœna Domini*, qui in Anglia primum in lucem eſt editus.

Commentarius in *primam Pauli Epiſtolam ad Corinthios* Tiguri impreſſus, Opus ob multarum abſtruſarum & difficilium quæſtionum perſpicuam explicationem lectu dignißimum.

Commentarius *in Epiſtolam ad Romanos*, quam in Academia Oxonienſi publicè interpretatus fuerat.

Defenſio doctrinæ veteris & Apoſtolicæ de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, adverſus Stephani Gardineri li-

a) Vid. BEZA in Hiſtor. Eccleſ. Reform. T. I. p. 471. Conf. *Sim.* GOULART in Recueil des choſes &c. de 1547—1597. pag. 136. ſq.

Digitized by Google

brum. In quo universo Opere, quod inchoaverat Th. Crammerus, continuavit & absolvit Martyr, quicquid de tota Eucharistiæ causa *a*) cum in sacris literis tum in antiquorum Patrum Conciliorumque monumentis proditum est, tam copiose ac diligenter complexus est, & singula tam accurate & subtiliter excussit, ut hoc opus etiam non mediocriter doctis admirationi sit.

Defensio contra Rich. Smythæi libros duos *de coelibatu sacerdotum* & *Votis monasticis*, quæ Tiguri prodiit.

Commentarius *in Librum Judicum*, quem, cum ex Anglia Argentinam redux factus esset, interpretatus est, ac dein edidit apud Tigurinos.

Dialogus adversus Brentii doctrinam *de Ubiquitate corporis Christi.*

Commentarii in Libros *Samuelis* à Simlero & in *Libros Regum* à Wolphio Tigurino editi.

Sed & omnes complent numeros *Petri Martyris Loci Communes*, ex variis ipsius Authoris scriptis in unum volumen collecti & in quatuor classes destributi: quibus accesserunt ejus Meletemata de *Libero arbitrio*, *Providentia Dei*, *Prædestinatione* & *causa peccati* &sim. Itemque *Orationes* ejus & *Epistolæ* &c. Cum præfatione Rudolphi *Gualtheri* Theologi Tigurini, post Martyris obitum editi. Tiguri 1580. fol. Ipse enim Martyr A. 1562. d. 12 Novembris ex hac vita migravit.

Vitam ejus per Josiam SIMLERUM Tigurinum consignatam aliquando inserendam curavimus *Scrinio nostro Antiquario* Tom. III. Part. I. à pag. 1——60. incl.

HIERONYMUS MASSARIUS.

HIERONYMUM MASSARIUM, inter *Italos Reformatos* nomen habuisse constat.

Eum

a) SIMLER. in Vita Martyris in *Scrin. Antiq.* l. c. p. 54.

Digitized by Google

Eum patria Vicentinum *hominem* fuiſſe *doctum & Medicum literatum*, teſtatur *Joh.* STURMIUS lib. II. Epiſt.

Neque tamen eum minorem fuiſſe *Theologum*, colligi poteſt, ex eo, quem ſub *Euſebii captivi* titulo publicavit libro, ſtatim commemorando.

Enimverò cum in patria adhuc verſaretur, Evangelii gustu non ſolum imbutus jam erat ipſe, ſed & alios ſibi amicitiæ nexu copulatos imbuerat. Res uti latere diu non poterat, ita factum eſt, ut nullum ſibi locum *a*) in Italia à Papali tyrannide tutum eſſe conſpiceret: cumque præterea, ſæviſſima quibus fideles afficiebantur tormenta perhorreſceret, nihil ſupererat, quam ut fugeret, altisſimas totius Europæ alpes ſuperaret, ac in Helvetiorum oram & urbes tanquam in civitates perfugii ſe reciperet. Sic igitur (quod circa ann. 1552. factum eſt,) Baſileam ſe primò contulit.

Agebat autem deinceps profeſſione Medicum, apud Argentinenſes, apud quos & Phyſicam & Medicinam docuiſſe, *b*) dicitur.

Neque verò ſolùm ars medica eum ſibi vendicavit, verum etiam non poenitendos quod profectus fecerit in lingua Hebræa conſtat, ſiquidem & ejus Linguæ Inſtitutiones *c*) ſcripſerit, ſed quæ nunquam tamen prodierunt, *d*) quantum conſtat.

Imo verò etiam ſcientia ejus Theologica, ex edito, quod jam citavimus, opere eximio, quodque inter ſcripta ejus eminet ſub titulo *Euſebii captivi*, colligitur, quod Oporinus Baſileenſis edidit A. 1553. vel 1555. ſub nomine *Hieronymi*

a) Vid. PEZELII præf. ad *Marii Euſeb. captivum.*
b) Vid. *Melch.* SEBIZIUS in appendice Chronologica de Profeſſorib. acad. Argentorat. quæ cum *Jo.* SCHMIDII Concionibus Arg. 1641. 4. prodiit p. 257.
c) SIMLER in Epit. Biblioth. Gesner. pag. 77. & COLOMES Ital. Orient. p. 74. 75.
d) *Jo. Chriſt.* WOLF. not. ad Colomes. l. c.

Digitized by Google

nymi Marii, (quem Epitome tamen Gesneri *Hieronymum* hunc *Massarium* Vicentinum fuisse ait): quodque deinde repetita vice cura & studio *Christophori Pezelii*, Theologi Bremensis, est editum Tiguri A. 1597. 8. sub tit. *Eusebius captivus*, sive, *Modus procedendi in curia Romana contra Evangelicos &c.* In quo, tanquam in impressa tabula, una ex parte *a*) Antichristi crudelem tyrannidem, ex altera verò, Sanctorum Christi patientiam constantiamque ostendit: deinde & totius Christianæ doctrinæ summam breviter collectam ac firmis rationibus roboratam exhibet, neque ferè quicquam eorum omittit, quæ ad Antichristi Synagogam vividis coloribus depingendam, & denudandos adversariorum mores, ingenia & artes, facere poterant.

Forma autem tractandi à foro & judiciis curiæ Romanæ est deprompta, atque ad hos fines descripta, ut adversarii ipsi processum, quem contra fideles in religionis negotio sequebantur, contemplantes, si pote, à nequitia & crudelitate revocarentur, fideles *verò* ad patientiam tolerantiamque accenderentur: qui *denique*, veritatis lucem nondum conspiciebant, eam hic intuerentur, &, qui eam jamdudum norant, in eadem confirmarentur.

Ceterum, *Eusebii* nomen hic fictum esse unusquisque conspicit, qui dum de fide & religione coram Pontifice ejusque collegio differens introducitur, totum negotium scripturæ sacræ auctoritate peragit, adjungendo tamen primævorum Patrum scripta, Conciliorum multorum statuta, imo & Pontificum permulta decreta pro veritate militantia: atque ex his omnibus tum Christi religionem defendit, tum Papisticorum abusuum, idololatriæ & abominationis originem ac tyrannidis Romani Pontificis originem & progressum ita patefacit, ut qui hæc videre noluerit, in meridie lumen non videre dici possit.

Data

a) Vid. PEZEL. præfat. cit. Conf. *Jac. Wilh.* BLAUFUSS in notit. libr. rar. Tom. II. n. XCVIII. pag. 15. &sq.

Digitized by Google

Data vero MASSARIO ad hunc ſcribendum libellum hæc fuit occaſio, ut ipſe in *præfatione* ad illuſtrem *Senatum Bernenſem* profitetur, „ Quod diſceſſus ejus ab amicis quibus„ dam Italis incuſaretur, qui cum antea veritatem & ipſi ag„ noviſſent, mundi tamen illecebris irretiti turpiter eam & „ foede coram frequenti populo abnegaverant, eumque ad „ deſerendam ipſorum exemplo religionem puriorem, tan„ quam hæreticam, ſollicitaverant; flagitantes, ut in Italiam ſe „ recipiens, in colloquium cum ipſis veniret, quod ſi renu„ eret, id diffidentiæ cauſæ ſuæ eſſe indicium &c. His igi„ tur ut obviam iret, hunc ſe laborem ſuſcepiſſe, affirmat, ut oſtenderet, ſe congreſſum eorum vitare, non quod de fidei & confeſſionis ſuæ firmitate dubitaret, ſed quod vereretur, ne non ſincera ſecum fide ab illis ageretur, qui illum à Chriſto demum abducere ac ad Papæ Synagogam retrahere tentarent &c. Dum igitur in eo libro id agit, videmus eundem triduum Inquiſitionis effingere, in quo *Euſebius Vra„ nius captivus* fidei ſuæ rationem ita reddit, ut ſimul inde mirifica auctoris in rebus religionis ſcientia & eorum, quæ vel olim contigerant, vel jam Romæ agebantur, peritia colligi queant. *a*)

Ceterum inter ſcripta ejus Medica eminet, *in Hippocratis librum de natura hominis*, Verſio & Paraphraſis, *b*) quæ prodiit A. 1564. Argentorati in 8.

Obiit verò diem ſupremum A. 1564. d. 1. Auguſti ac inter *Profeſſores Argentinenſes c*) ita recenſetur: „ Hieron. Maſ„ ſarius, natione Italus, patria Vicentinus, profeſſus Phy„ ſicam & Medicinam. In lingua Hebraica probè verſatus. „ In collegio Thomano ſubmiſſarius, vanitatibus mundi re„ lictis tranſiit ad domicilium beatorum A. 1564. d. 1 Au„ guſti, peſte infectus.

Cete-

a) Conf. BLAUFUSS l. c. p. 17.
b) Vid. LINDEN de ſcriptis medicis p. 253.
c) SEBIZIUS l. c. Vid. WOLF. in not. ad Colomes l. c. p. 74.

Digitized by Google

Ceterùm Cl. MOSHEMIUS *) in additam. *ad Hiſt. Serveti*, mentionem facit *Marrini* cujusdam, qui fuerit vel Italus vel Hiſpanus, ac tum fuerit Medicus Baſileenſis, ſed cui Servetus A. 1552. librum ſuum *de reſtitutione Chriſtianismi* miſerit excudendum, qui verò id recuſaverit.

Fuit is procul dubio, noſter ille *Maſſarius.*

AUGUSTINUS MAYNARDUS Pedemontanus.

Eximii hujus inter Rhætos *a*) Evangelii præconis, cum jam antea quoque & in urbe *Aſtenſi b*) 1535. Evangelium docuiſſet & Monachos Auguſtinianos in urbe *Papia c*) informaſſet, memoriam haud felicius reſtaurare poſſumus, quam adducendo *Cælii Secundi* CURIONIS verba in Ep. ad Abr. Musculum, *d*) A. 1550. Ubi is ita: *Nam Auguſtinus* MAYNARDUS, *Vir ſapientiſſimus & tota Italia celebratus, & qui in ipſa Italia toties cum hoſtibus conflixit concionibus diſputationibusque acerrimis, & ſæpe à Pon-*

*) MOSHEM in append. ad part. II. der Ketzergeſchichte pag. 45. ubi de Vita ſerveti.

a) Cf. ANHORN in palingeneſia Eccleſiæ Rhæticæ pag. 46.

b) RAYNALD. ad h. ann. Tom. XXI. p. I. fol. 17. *Cum Auguſtinus Maynardus, Ordinis Heremitarum S. Auguſtini, in* Aſtenſi *civitate nonnullas propoſitiones veneno Lutherano infectas promulgaſſet, easque (facti poenitens) molliore & pia interpretatione leniret, Paullus III. eum clementer in gratiam admiſit, & infamiæ maculam quam contraxerat, abſterſit.*

c) Vid. PANTALEON rer. in eccl. geſt. Lib. VIII. p. 246. 247. & C. S. CURIO in dial. de amplit. regni Dei p. 15. ubi de Aug. Mainardo ita. *Nam cum Papiæ eſſemus, & ego in ea urbe humanas literas publicè docerem, ille verò ſacris concionibus & ſermonibus tum publicè tum privatim omnes mortales erudiret, junior ad ſeniorem ſæpe ventitabam, ut ejus excellentis doctrinæ latices haurirem.*

d) Vid. *Muſeum Heberticum.* Tom. XXVIII.

Digitized by Google

Pontifice in ipsa Italia insidiis & artibus & vi appetitus; is, inquam, jam decem annos CLAVENNÆ *docet, nec tamen unquam à quoquam ei vis illata est, nec quicquam deterius passus est, quam à falsis fratribus, qui illum in ipsa Ecclesia exagitarunt.* Quibuscum fere consonant, quæ aliquot annis post, *Hieronymus* ZANCHIUS *a*) de eodem nobis refert A. 1565. quando suam in ejus locum ad Ecclesiam Clavennensem vocationem commemorat „ Fuerat *Mai-* „ *nardus* Vir admodum pius & doctus, acutus disputator, „ & vitæ honestissimæ atque inculpatæ: primusque illam col- „ legit, instituitque Ecclesiam, & adversus multos hæreticos, „ fanaticos & turbatores homines, eam fortiter annos XXI. „ defendit, conservavit, gubernavit: scripsit lingua populari „ pium libellum *de satisfactione b*) *Christi:* & alterum *de* „ *Missa*, cui titulus est, *Anatomia Missæ c*). Annum verò cum „ ageret octuagesimum primum, sub finem mensis Julii A. „ 1563. concessit ad Dominum. De reliquo, quod Cæl. Sec. CURIO, singularis ejus fuerit amicus, patet ex ejus *libello de amplitudine regni Dei*, quippe in quo eundem collocu-

a) Vid. ZANCH. Ep. ad Philippum Hassiæ Landgrav. in *Scrin. nostr. Antiquar.* Tom. V. P. II. pag. 308.

b) Quem se possidere affirmat Cl. SCHELHORN. in Ergetzlichk. part. V. p. 16. qui & alterum ejus libellum sive sermonem, lingua Italica conscriptum, commemorat *de Gratia Dei*, in contradistinctione ad meritum humanum, cui inscriptum legitur, dictum Gal. V. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis.*

c) Sic igitur, *Mainardus* noster verus ille libelli, cui titulus est *Anatomia Missæ*, perhibetur auctor, qui sub nomine *Antonii ab Æda*, vel *Ant. ab Adam*, Gallicè & Latine quoque publicabatur, & de quo BÆLIUS in Lex. V. Vergerius. Lit. F. fol. 433. & Lit. O. fol. 436. 7. varias profert conjecturas, magis translationes Gallicas & Latinas, quam ad originalem ejus auctorem, spectantes.

Digitized by Google

torem introducit, quocum omnem illam causam tractat. *a*) Ubi inter alia Mainardus Curioni, circa amplitudinem Regni Dei quædam proferenti, adstipulatus ita infit: *Jam enim audis lætum illud Evangelii nuncium ad Scythas, Thraces, Indos, & Afros usque hoc tempore penetrare. Omitto Europæ ampliſſimas regiones & urbes. Tenet enim Rex Regum Chriſtus Rhætiam, tenet Helvetiam, tuetur Germaniam, regnavit atque iterum regnabit in Anglia, gubernat Daniam, regnaque Cimbrica, habet Pruſſiam, inſtat Poloniæ totique Sarmatiæ: urget Pannonios, ſpectat Moſcos, nutat Galliæ, noſtra parturit Italia, tandem ſequetur Hiſpania. Quin imo Judæos ipſos non tam averſos &c.*

JOHANNES MOLLIUS dictus de MONTALCINO.

Fuit ille JOH. MOLLIUS, MONTALCINO ditionis Senenſis oriundus, ac primò Profeſſor *Brixienſis* fuerat, dein *Mediolanenſis*, poſtmodum ab A. 1533. *Papienſis*, Ordinis S. Francisci Minorum.

Egreſſus his muneribus, quod Bononiam ſe contulerit, docemur; in qua civitate *b*) adeo præclara ejus novimus fuiſſe conſpicua docendi dona, ut veteris longè anteiret omnibus. Neque verò minus in civitate Neapolitana *c*) circa ann. 1540. dotes ejus eminuerant, quippe in qua *Epiſtolas Paulinas* quotidiè explicabat, ac contra Patrem Theophilum Neapolitanum diſputabat, atque ita ſtrenuè ac diligenter rem agebat, ut ea invidiam ipſi primò, hæreſeos accuſationem deinde, ac denique mortem procuraret. Ceterum, quod inter foedi carceris ſqualores luculentum & peregregium *commentarium* in

a) Conf. SCHELHORN. in Amoenit. Literar. Tom. XII. n. V. p. 595. ſq.

b) Vid. PANTALEON & ex eo SALIG. in Hiſtor. Conf. Aug. Tom. II. p. 60. ſq.

c) Vid. GIANNONI Hiſt. Civile de Naples Tom. IV. p. 113.

Digitized by Google

in Genesin concinnaverit, jam suo tempore annotavit *Lud.* RABUS *a*); est autem A. 1553. Romæ primum *b*) strangulatus, dein verò etiam combustus.

FULVIUS MORATUS PEREGRINUS.

Præstantissimi Viri MORATI, Professoris quondam Ferrariensis Memoriam nulla oblitterabit ætas, si vel nihil ab eo præclari gestum fuisset, quam quod *Olympiam Fulviam Moratam*, fœminam multis nominibus celebratissimam, progenuisset.

Enimverò, cum is eruditis & probis istis viris accenseri debeat, qui doctrinam Evangelii, tum limpidius prorumpentem & in Italicis regionibus fluitantem, avidè imbiberunt, aliisque, degustata ejus dulcedine, ceu aquam puriſſimam hauriendam dederunt, quam omnino inter *Italos Reformatos* connumerandus sit, apparet.

Produxit eum *Mantua*, sed *Ferrariæ* humaniorum literarum Professorem egit, magna certè cum laude ac Academiæ illius commodo, quæ non parvam, cum inde se recipe-ret, jacturam fecit. *c*)

At verò, quod in aula Alfonsi I. Ducis Anestini, duobus

a) Vid. RABI MARTYROL. Lib. V. c. XXXVI. fol. 765.

b) Vid. Specimen *Ital. Reform.* §. XXXV. & XLVI. Conf. *Martyrol. nov.* p. 461-464. ubi magna orationis ejus ad Cardinales & Episcopos directæ pars, non sine admiratione, legitur.

c) Sunt verba *Cæl.* CALCAGNINI in ejus Operib. p. m. 156. 157. egregia ad eundem hunc Moratum nostrum „ Boni & „ studiosi omnes te amant, teque in oculis gerunt, fatentur- „ que, omnes tuo digressu urbem nostram (Ferrariam) mag- „ nam jacturam fecisse: quando eorum adolescentium pleri- „ que, qui tibi operam in comparando animi cultu dabant, „ nunc, ceteros prope omnes primatos professores stoma- „ chantur, ingenuè asserentes, neminem esse, qui vel copia „ vel defectu rerum tecum conferri possit.

Digitized by Google

ejus filiis, Herculis H. fratribus datus sit & bene faciendi & rectè dicendi magister, quodque eorum adolescentiam optimis moribus ac disciplinis instruxerit, in comperto est. *a*)

Verùm, uti in eadem aula, multa adversa & iniqua sustinere debuit, ita non deerant qui fortunæ ejus insidiabantur, nec singularem, quo Princeps erga ipsum ferebatur, favorem nisi limis aspicere poterant oculis, & quovis modo famam calumniis, ipsum verò molestiis onerabant: unde factum est, ut earum pertæsus aliquando in exilium secedere ac Venetias demigrare debuerit.

At, ne illic quidem cum satis tutum aut incolumem se pensentiscenet ab adversariis, ad mutationem nominis accessisse refertur, illudque *Morati* in illud *Fulvii b*) transtulit, quippecum sub eo velamine se tutius aliquantisper delitescere posse existimaret.

Interea tamen post aliquot annos, ab adversariorum in aula Ferrariensi insidiis immunis, nutu & suasu Cæl. Calcagnini, qui intimus Morati amicus erat, revocatus est ad aulam Ferrariensem, *c*) atque in ea, quod reliquum erat vitæ, inde ab Ao. 1539. usque ad annum 1548. exegit. Tum enim naturæ debitum *d*) exsolvit, relictis, uxore Lucretia, filiolo Æmilio, & quatuor filiabus, quarum natu maxima fuit *Olympia Fulvia Morata*, celebratissima illa foemina, quæ non minus Italorum reformatorum diptychon exornat, & cujus vitam ante hos triginta annos expositit *G. Lud.* NOLTENIUS, *singulari edita dissertatione historica*, 4. Quod verò eum inter *Italos Reformatos* recensemus, facimus autoritate ipsius Morati, id ingenuè profitentis, ac simul, ex quonam veritatis Evangelicæ principia primum hauserit, nimirum ex Coelio Secundo Curione, indicantis.

Huc

a) Vid. Opera *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, p. m. 109.
b) Teste CALCAGNINO in Epist. pag. 189. ubi hanc Morati in Fulvium metamorphosin falsè perstringit.
c) CALCAGNIN. l. c. p. 168. 169. 199.
d) Vid. *opusc. Olympiæ* p. 105. 106.

Digitized by Google

Huc facit ejus ad Curionem Epiſtola, *a*) in qua Curionem vocat *optimum organum ac vas electum ad gloriam Dei*: & altera, *b*) in qua ita Curionem alloquitur: *Triſte mihi fuit, cum videam me privatum meo divino præceptore, à Deo ipſo ad me, ad meam eruditionem ac inſtitutionem miſſo: neque cogito, Ananiam Pauli magiſtrum plus ſanctis admonitionibus ac diſciplinis Chriſtianis illum docuiſſe cum Chriſto initiavit, quam tu me &c.* Quin imò & ipſe CURIO in Ep. ad Xyſtum Betulejum, Moratum noſtrum, *virum* vocat *doctrina & probitate præſtantem, cum quo ipſi hoſpitium antiquum & amicitia fuerit.* c)

Imo verò, ſi reliquas Moræi Epiſtolas, utut numero paucas *d*) intueamur, facilè perſuadebimur, de ejus in doctrina religionis puritate, ac morum pietate, quam utramvis illibatam conſervare, per omnem vitam eſt anniſus.

Quid! quod Filia ejus pientiſſima *Olympia Fulvia Morata* id ei præbeat teſtimonium in Epiſtola ad Curionem A. 1550. ſcripta, *e*) ubi Curioni narrat, *ante biennium patrem ſuum, multis exantlatis laboribus, ſingulari in Deum fide, ex hac turba & colluvione diſceſſiſſe.*

JOANNES LEO NARDUS.

Nardorum & Nardiorum apud Florentinos nomen quandam habere celebritatem notum eſt, iis, qui in Hiſtoria litteraria non planè ſunt hoſpites.

Certè *Jacobus* quidam *Nardus* apud Florentinos com-

a) Vid. NOLTEN. de Olympia Fulv. Mor. p. 8.
b) NOLTEN. ibid.
c) Vid. *opuscul. Olymp.* Fulv. Mor. p. 109. apud Nolten. l. c.
d) NOLTEN. l. c. p. 8.
e) Vid. *opuscula Olympiæ* p. m. 105. 106.

Digitized by Google

memoratur, qui & *Historiam Cosmi Medicis Florentinæ* a) lingua italica conscripserit A. 1582. 4.

Commemoratur quoque *Johannes Nardius*, qui Florentiæ seculo sequenti A. 1647. 4. ediderit *in Lucretium* Commentarium physicum.

Fuit verò *Joannes* ille *Leo Nardus*, itidem Florentinus, sed Reformatæ religionis assecla ac defensor, cujus extant: *Tabularum duarum legis Evangelicæ, gratiæ spiritus & vitæ, libri quinque*, editi Basileæ anno 1553. 8. In prima quidem tabula duo sunt libri; unus est *Detectis Domini* nostri *Jesu Christi demonstratio* ac declaratio; alter liber docet, quomodo necessarium sit cuilibet ad vitam æternam aditum reperire capienti, *habere Spiritum Sanctum*, & ad quæ signa quis cognoscat se habere eundem spiritum, etiam quæ via pateat ex scripturis sanctis ad ipsum petendum & obtinendum: & *de Prædestinatione*.

In secunda autem tabula tres sunt libri. Primus continet *Expositionem Apocalypseos Johannæ*, ubi (hæc sunt verba auctoris in admonitione ad Lectorem) omnia illa mysteria videbuntur à Domino luce meridiana clariore expositione aperta, in gloriam suam, in consolationem fidelium & in desolationem impiorum.

Secundus vero liber, *scutum malæ fidei Nicolai Granarii, per gladium verbi Dei versatile* impetit, ac cum Pontificiis controversias pertractat: scilicet *Nicolaus* ille *Granarius*, b) Canonicus S. Victoris apud Parisienses, sub titulo *Scuti Fidei* edi-

a) De eo Vid. BAUMGART. in relation. de libr. rar. T. III. p. 178. sq.

b) Vid. MORHOF Polyhist. Tom. II. Lib. I. c. V. n. 2. pag. 27.

c) Vid. BAYLE in dictionar. voc. *Vergerius* Lit. F. fol. 434. in principio, ubi titulus libri Avenione 1549. impressi legitur: *Le Bouclier de la Foy en forme de dialogue extraict de la saincte escriture & des saincts peres & plus anciens docteurs de l' Eglise.*

ediderat librum, in defensionem fidei ac superstitionis Pontificiæ, eumque plus una vice impressum; Huic igitur obviam ire cumprimis in hoc libro fatagit *Nardus* noster, ex Verbo Dei, scuti illius levitatem evincendo.

Tertius autem liber, *Explanationem* continet ac denudationem *Alcorani Muhamedici* ac Legis Saracenorum sivi Turcarum, ostendendo, instituta comparatione inter Evangelicam Veritatem & impostaram Muhamedicam, quantum æra lupinis distent. Plura nobis de Auctore, cujus libellus meritò inter rarò occurrentes recensetur, non innotuerunt.

FRANCISCUS NIGER BASSANENSIS.

Italum hunc, alioquin ignotum, celebrem reddidit edita ab ipso narratio, sive brevis historia, *de Fanini Faventini & Dominici Bassanensis morte, qui nuper ob Christum in Italia Rom. Pontif. jussu impie occisi sunt.* 1550. 8. quem in ipso opere §. LIV. citavimus.

Uti non minus is auctor est libri, cui titulus *Tragœdiæ di libero arbitrio.* Equidem is ipse libellus in Bibliotheca Dalmanniana Hagæ Com. 1723. divendita, p. 177. *Ochino* adscribitur, sed per incuriam, siquidem VERGERIUS *in Catalogo librorum prohibitor.* A. 1549. 4. recuso, & notis illustrato, (ap. SCHELHORN. in Ergetzlichk. Tom. II. p. 29.) diserte testetur, *Nigrum ejus esse auctorem*, atque *se id*, Nigro annuente, *quoque manifestare.*

Plura tamen de eo nobis non constant, nisi quod in Ecclesia Clavennensi circa ann. 1547. ministrum egerit, quando Camillus Renatus *a*) ad H. Bullingerum scribebat. *Franciscus Niger, qui ab hinc quatriduo ægrotat graviter, & omnes ad unum fratres &c. te salutant.*

JO.

a) Vid. FUESSLI Epp. n. 64. p. 254.

Digitized by Google

JO. MARIA NOSSENIUS.

Ex præfectura Helvetiorum Italica Luganenſi oriundus, hic nobis in cenſum venit Jo. M. NOSSENIUS, vir lectiſſimus in diptycha Italorum Evangelicorum referendus; cujus alioquin nomen & fata non adeo fuiſſent cognita, niſi Ægidius Strauchius, edita ſingulari Concione funebri in ejus exſequias cohoneſtandas, quæ A. 1620. Dresdæ ducebantur, conſervare, ac Editor collectionis veterum & novorum 1740. p. 263. ſq. ea veluti ἀναζωπυρεῖν voluiſſet.

Cum enim jam A. 1721. inter alia ab iisdem illis collectoribus p. 200. ſqq. fuiſſet commemoratum, quod Johannes Georgius Elector Saxoniæ libros quosdam hujus ipſius Noſſenii privatis uſibus & quidem pietatis exercitiis quotidianis inſervire fecerit, iidem ſe ex illa Strauchii concione hæc propiora cognoviſſe referunt, Eum A. 1544. Kalendis Maji Lugani natum, parentibus nobilibus Bernhardino Noſſenio & Lucia Veridia, ſed inter Pontificios educatum, etiam A. 1573. ſingulari zelo pro veteri religione imbutum fuiſſe, usque dum regiones Saxonicas architectionicæ peritus adiret, ibique ſub imperio Auguſti I. & II. item, Jo. Georgii ad præfecturam quandam evectus, religionis Evangelicæ veritatis cognitione imbueretur, eamque publice profiteretur, cumprimis occaſione morbi graviſſimi inductus

Enimverò cum à morbo iſto reconvaluiſſet, fidei doctrinæque conſtantiam per omnem vitam comprobavit, non ſolum fideliter munus ſibi demandatum obeundo, ſed & novos quotidie in veritate profectus capiendo, quin verò etiam ſcripta quædam ad illuſtranda loca biblica componendo.

BERNARDINUS OCHINUS.

Si quod inter Italos Reformationem amplexos celebre fuit nomen, id certè fuit *Bernardini Ocelli* ſive *Ochini* Seuen-

nenſis, quodque adeo ſine piaculo jam non poterat præteriri.

Neque autem ejus vel exponere Vitam & fata, *a*) ab a. 1487-1566. vel quænam inter Fratres Capucinos, quos ordinis ſui ſocios habebat, & in primariis Italiæ Civitatibus, priusquam Papatu ſe plane abdicaſſet, egerit, jamrecenſere volumus.

Sufficiat annotaſſe, quod jam tum quoque in Papatu ſaniora reliquis docuerit, atque ubivis ſanam illam ſanctamque inculcaverit doctrinam, *b*) *quod ex lege non ſit Juſtitia, ſed per Jeſum Chriſtum.*

Sunt duæ epiſtolæ B. OCHINI, quas, cum A. 1543. Genevam appulſet, ſcripſit, pulcherrimæ, quæque egregia nobis præſtant *cultus Pontificii* ab ipſo adhuc Pontificio *reprobati*, Veritatisque purioris ſpecimina, in linguam Gallicam ex Italica tranſlatæ, *c*) atque editæ, 1544. 8.

Prior continet *Confeſſionem Ochini* præcipue in articulo *de fide viva*, à qua omnis eccleſiæ ſalus dependet. Urget in ea *ſatisfactionem plenariam à Chriſto pro peccatis noſtris præſtitam*, bonorum operum ad ſalutem reſpectum & neceſſitatem rejicit: Unicam tantum, quæ *de Chriſto & hominibus per eundem mediatorem cum Deo reconciliatis*, religionem admittit, cetera religionum *d*) genera, quibus

a) B. OCHINI Vitam & fata ſingulari induſtria expoſuit Cl. SALIGIUS in Hiſtor. Conf. Aug. Tom. II. p. 419. 420. & ſq. Conf. STRYPE in Eccleſiaſtical Memorials Tom. II. fol. 189. & Cl. SCHELHORN. qui in Tom. III. *Recreat. Eccleſiaſticar.* eximia quædam ab aliis omiſſa vel leviter tractata nobis obtulit.

b) Vid. PALEAR. Act. in Pontifices Rom. & eorum aſſeclas. *Integerrima vita & admirabili vir Bern. Ocellus Senenſis, cum ex Lege non eſſe Juſtitiam, ſed per J. C. ſuperioribus annis Evangelice & Apoſtolice doceret, & vos ob id ipſum Italia expuliſſetis, appellavit Pontifices Romanos Antichriſtos.*

c) Vid. Aug. BEYERI Memor. Libror. rarior. n. LXXXIX. p. 259. ſq.

d) Notum eſt, quam omnes diverſi apud Pontificios *Ordines Monaſtici* ſub *religionum* nomine venire ſoleant.

Digitized by Google

semet ipsos homines ipsi purgare & justificare cupiant, sceleratissima pronunciat: Credit, *omnes electos per Christum ex gratia* & non ex operum merito *salvari*: Unicum tantum Evangelium à Prophetis promissum, à Christo ejusque Apostolis prædicatum asserit. Quæ quidem omnia non modo tantum mihi affirmantur, sed & argumentis & dictis scripturæ S. confirmantur. Hæc verò ad Magnificos *Proceres Senenses* est directa.

Altera, ad *Mutium* Justinopolitanum, *conversionem Ochini* recenset: „ Se scil. adhuc juvenem sæpius deliberasse, quo„ modo Paradisus cœlestis, qui gratiæ divinæ debetur, je„ junis, orationibus, abstinentia, vigiliis &c. (id quod Ro„ manenses tradunt) acquiri possit, nihilominus salutis suæ „ cupidissimum Ordini S. Francisci (quem scil. religiosis„ mum sibi persuasisset) se addixisse, non ita multò post, „ de salute sua anxium, sed Dei gratia per scripturam S. „ illuminatum, sequentia tria dogmata verissima esse per„ spexisse; 1. Quod Christus plenarie satisfecerit pro elec„ tis, iisque paradisum fuerit meritus, isque solus nostra „ sit justitia & salus: 2. Quod Vota religionum humana„ rum sint non solum nullius valoris sed etiam mala ac „ facinorosa: 3. Quod Ecclesia Romana, tametsi externe „ sit lucida, ac quendam oculis carnalibus fundat splendo„ rem, tamen apud Deum sit abominabilis.

Hæc aliaque Italos, superstitione tantum non excæcatos, Ochinus docere incepit. Cum verò populorum animi commoveri viderentur, in primis cum & apud *Veronenses* in prælectionibus in *Epp. Paulinas* alia dogmata, à placitis Ro. Ecclesiæ aliena, *x*) traderet; Papa, de fide Ochini cer-

x) GRATIANUS in Vita Commendoni p. 157. *Il lieba fort adroitement dans ses sermons quelques paroles & quelques sentimens, qui tendoient à décrier, ou à diminuer l'autorité du saint siége.*

carior factus, septem Cardinales constituit, eorum quibus ille appareret, & fidei suæ rationem redderet. Ochinus autem, qui Papæ mandata hactenus invita habuerat, nec etiam nunc parvit, sed insidias vitæ suæ paratas sentiens, pridie aufugit, quam duodecim equites Monasterium Capucinorum Senense cingebant, & Ochinum inde elapsum Florentiam usque persequebantur.

Sed hic, relicto ita monasterio habituque monachali, in Italia apud Florentinos ita delituit, ut VII. Iduum Aprilis 1543. GENEVAM appulerit, seque ibidem ad apertam Reformatæ doctrinæ communionem convertit *a*): ac primo Genevæ, deinceps Augustæ Rhæticæ commoratus, Italicæque Ecclesiæ in utrisque locis inserviens, conciones aliquot suas evulgavit, unctionem spirantes.

Neque hic negligi debet, quod discedenti in Angliam *Petro Martyri* ceu fidus Achates comes adhæserit Ochinus, ad Academiam Oxoniensem ablegatus, ibique multa ad promovendum puriorem doctrinam & pietatem minimè fucata peregerit, ac inter alia Opus ediderit *Adversus Pontificem Romanum b*) novem dialogis lingua latina conscriptum, atque Eduardo Regi dedicatum, quod tanti tum fuit habitum, ut à *Joh. Ponete* in Anglicum Sermonem converteretur, A. 1549. avidéque legeretur ab omnibus.

Nam & illud negari non potest, quod posteaquam ex Anglia ecclesiarum doctorumque præcellentibus testimoniis exornatus rediisset, *Tigurinam c*) Ecclesiam ex *Italis Reformatis*

a) SLEIDAN. Hist. Lib. XIX. fol. 353. NATAL. ALEX. Secul. XVI. p. 805.

b) Vid. STRYPE Ecclesiastical Memoirs Tom. II. fol. 189. & *Histor. nostr. Reform. Anglic.* T. IV. pag. 364.

c) BULLINGERUS apud Boxhorn. in Histor. Univers. p. 1144. Certè Jo. BALÆUS in Præf. ad Acta Pontificum Rom.

matis collectam multis modis ædificaverit, veræque & piæ eruditionis laudem obtinuerit, fueritque magni habitus ab omnibus, usque dum duos *dialogorum libros* edidisset, à Seb. Castellione in Latinum Sermonem translatos, in quibus præter alia, etiam Polygamiæ causam egisse, visus fuit: quando simul collusionis cum unitariis à nostris accusatus, ac à Magistratu Tigurino dimissus, in Poloniam ac deinde in Moraviam, se recepit, A. 1564. ibique post non longi temporis moram, diem obiit supremum.

Scripta ejus quam plurima sermone Italico exarata, atque in Bibliotheca Guelpherbytana obvia, recensentur à SALIGIO in Hist. Aug. Conf. l. c. p. 419. 420. Ex quibus Auctor *Observationis Halensis* Tom. IV. p. 408. sq. & Tom. V. Obs. I. & II. eum ab heterodoxias crimine liberare satagit: in quem campum jam non ingredimur, *a*) nisi quod unicum illud ὡς ἐν παροδῷ tantùm observemus, quod jam ante ipsum sub ficto *Neobuli* nomine editus legatur dialogus *de Polygamia* 1541. 4. lingua Germanica editus, in quo itidem in defensionem Philippi Hassiæ Landgravii polygamia defenditur;

Quem

Rom. lit. 6. 1. ita Bullingerum & Tigurinos alloquitur: „Deum immortalem, quales illi duo senes peregrini, quos „in urbem vestram recepistis, Petrus Martyr, & Bernar„dinus Ochinus? quæ duo lumina? Quorum alterutrum si „aliæ haberent ecclesiæ, magno thesauro & ornamento di„tatæ & beatæ viderentur. Felix Anglia, dum hæc paria „habuit, misera quæ amisit.

a) Si quis tum è re sua esse judicet ulteriora de Ochini Doctrina vitaque cognoscere adeat HOTT. in *Helv. Kirch geschichte* T. III. p. 868-884. Uti notabile est quod ZELTNERUS in Crypto Socinismo p. 1162. in not. 4. ex Smalcii diario commemorat, *Voidovium*, *Smalcium* &sim. *Ochini Dialogos* primo loco ad seducendum proposuisse. Cl. WOLFIUS in Thes. Epistol. La Crozianо T. III. p. 132. *Quando Ochinus*, scribit, *contra Judæos & Papistas disputat, eum prorsus incomparabilem agnosco.*

Digitized by Google

Quem libellum Cl. BAUMGARTEN ſuſpicatur auctorem habuiſſe M. Bucerum, ſed refragante ipſo Bucero, uti obſervat. Cl. SCHELHORN. Recreat. Eccleſ. T. I. p. 634.

Ill. SECKENDORFIUS in Hiſtor. Lutheranismi in ſupplemento, n. LVI. obſervat, quod Conciones Ochini breves in Italia habitæ jam Neoburgi A. 1545. 4. fuerint excuſæ, ubi in præloquio memoret, *notum eſſe, quo ſtatu in Italia vixerit, & ut eam veritatis Evangelicæ cauſa, cum ſe ad mortem ſponte obeundam non ſatis firmum eſſe deprehenderet, reliquerit, non diſſimulans, manere ſe voluiſſe, modo Chriſtum occultius & veluti obvelatum prædicare ſibi licuiſſet.*

In his concionibus (ita SECKEND. l. c.) *doctrina de Juſtificatione, bonis operibus, confeſſione, ſatisfactione, indulgentiis, reſervatis Pontificiis, Purgatorio, aliaque fidei capita ita proponuntur, ut parum in iis deſiderari poſſit & pleraque cum Lutheri aliorumque Evangelicorum ſententia conveniant.*

Laudatur verò etiam ejus dialogus *de Purgatorio*, *a*) quanti autem l. P. *Caraffa* Cardin. Theatinus, ac C. *Contarenus*, Ochinum in Italia fecerint, diſcimus ex QUIRINI Præf. ad Poli Epiſt. Tom. III. p. 86. &ſq.

Ceterùm Epiſtolæ Ejus ad Illuſtr. Magiſtratum Senenſem & ad Mutium Juſtinopolitanum, quæ ex Italico in Gallicum tranſlatæ ſunt, hunc habent titulum *b*), *Epitre aux magnifiques ſeigneurs de Sienne, aux quels il rend raiſon de ſa Foi & doctrine, avec une Epitre à Mutio Juſtinopolitain, par laquelle il rend auſſi raiſon de ſon departement d'Italie.*

a) Is *dialogus* unà cum *Sermonibus ejus de Fide* 1544. editis recenſentur à Cl. BAUMG. in Biblioth. Hal. T. V. p. 363-365.

b) Vid. ENGEL Catal. libr. rar. p. 47. Hæ ſunt eædem illæ Epiſtolæ, quarum modò dedimus argumentum prorſus notabile.

Digitized by Google

d' Italie & du changement de ſon etat : tranſlatée de la langue Italienne. Super omnia vincit veritas. 1544. 8.

M. OFFREDI.

De eo cum præter nomen, quod in Bibliotheca S. nobis conſervavit J. LE LONG, in *Bibliotheca Sacra* Tom. II. pag. 884. nobis nihil ſit cognitum, dicere ſupersedemus. Verba le Long hæc ſunt. M. OFFREDI, *Italus, Calviniſta. Pſalmi octoginta rythmis Etruſcis expreſſi in* 16. *Genevæ* 1617.

JULIUS PACIUS.

Natione Italus, Jureconſultus Heidelbergenſis, cujus extant de Honore Orationes duæ Spir. 1591. 8. Sed qui ultimò ad Pontificias ſordes rediiſſe dicitur, adeoque hoc numero eximendus.

AONIUS PALEARIUS.

Fa fuit AONII PALEARII, Viri inter Humaniorum literarum cultores celeberrimi, virtus atque præſtantia, ea diſerti oris facundia ac orationis ſuavitas, ut nemini non elegantiores Muſas colenti ſit fueritque admirationi. Quæ virtutes in hoc Veritatis Evangelicæ Confeſſore ac demum Martyre, tantò erant illuſtriores, quod à pietate, ſine qua nulla eſt Virtus vitæque innocentia, regebantur & tanquam illuminabantur.

Nativum ejus nomen erat *Anton de gli Pagliarici*; Parentes ejus erant *Mathæus Palearius* & *Clara Janarilla*, ex quibus ſub initium Seculi XVI. prognatus eſt Verulis, quæ urbs episcopalis eſt Latii, ſive Campaniæ Romanæ, in Herniciis ad Coſam fluvium ſita.

Ce-

Digitized by Google

Ceterùm, is absolutis literarum ac philosophiæ studiis, cumprimis SENAS, florentissimam urbem, fortunarum suarum sedem elegit, atque, apud Senenses Latinarum & Græcarum literarum Doctor publicus est declaratus, suoque adeò præclarè functus est munere, ut maximum inde Senensis civitas habuerit commodum. Interea tamen post integrum decennium & quod supereſt ad urbem *Luccensem* vocatus, ibi quoque munus Interpretis & Oratoris magna cum laude ac nominis celebritate gessit per integrum quinquennium. Eo autem exacto, ad stationem *Mediolanensem* traductus, non minus summa fide ac diligentia, per ultimum vitæ sexennium officio suo defunctus est; dum schola ejus nobilitate floreret discipulorum, qui latinè græceque scribere possent, ac humaniorum literarum studiis eximios facerent progressus.

Quod verò eundem inter *Veritatis Evang. Confessores* referimus, inde est, quod ex ejus Vitæ descriptione & præcipuè ex ejus scriptis colligitur, quam eandem penitissime cognoverit, constanter adamaverit & libere professus fuerit, quin imo & ad ejus cognitionem alios manuduxerit, fideique suæ rationem non una vice palam exhibuerit.

Inter quæ, ne de elegantissimis ejus *Orationibus* quid dicamus, aut de ejus immortali *de Immortalitate animæ* opere, quo Lucretiana virtute *a*) Lucretianos errores vincit, ante omnia referimus ejus, cum Senis adhuc versaretur, editum lingua Etrusca libellum, *de Meritis mortis Christi*, qui Papæ satellites in eum armavit, ac deinde, tametsi ἀνώνυμος editus esset, in librorum prohibitorum numerum *b*) à Pontificiis relatus est. Est is idem liber qui & sub tit. *Beneficium Christi* lingua Etrusca prodiit. Vid. SCHELH. Ergötzl. pars V. p. 27. qui semel licet in Gallicum & Hisp. idioma translatus, ita tamen se oculis subduxit, ut nullibi compareat.

Ac-

a) Quod judicium est *Vincentii* GRAVINÆ in libris *de Ratione Poëtica*. Vid. Act. Erud. 1709. p. 509.

b) Vid. SCHELHORN in amoenit. Hist. Eccl. & lit. T. I. p. 155 sq. it in diatr. de *Mino Celso Senensi* p. 24. 25.

Digitized by Google

Acceſſit ejus, *Actio in Pontifices Romanos & eorum aſſeclas, ad Imperatorem Romanum, Reges & Principes Chriſtianæ a) Reip. ſummos Oecumenici Concilii Præſides.*

Sed &, cum Senis adhuc verſaretur, memorabilem illam Palearius conſignavit *Epiſtolam* A. 1542. ſcriptam, ſub nomine *Servi Jeſu Chriſti, ad Lutherum, Calvinum, aliosque de Concilio* à Paulo III. Po. Ro. *Tridentum indicto*, quam ex Mſſ. Gulepherbytano nobis communicavit Cl. SCHELHORNIUS *b*,) quæque irrefragabile continet teſtimonium ejus in Veritatem Evangelicam ſtudii, ſimul verò etiam, quantopere mutuam inter Reformatores deſideraverit concordiam, ad quam *Calvinum, Lutherum, Bucerum* & *Melanchthonem* firmiſſimis cohortatur argumentis, ejusque neceſſitatem urget: *Hem, fratres*, (hæc inter alia ejus ſunt verba *c*,) *date hoc Chriſto noſtro ſaltem pro tempore, ut una concurratur, ne impetum ſuſtinere poſſint adverſarii. Si tot tantosque abuſus Romanæ Babyloniæ una rejeciſtis; ſi pro Apoſtolicis inſtitutis ſervandis, defendendoque Evangelio una mens eſt, idemque animi veſtri ſenſus, quid unum aut ad ſummum alterum caput vos tantopere diſtrahit ac disjungit? Adverſarii inſtructiſſimi, potentes atque unanimes in vos feruntur. Colligite vos per Jeſum Chriſtum, ne, ſi illi vicerint, cum poſtea volueritis, non ſit Chriſti respublica, quam juvare ac tueri poſſitis ..... ſi qua interpretationis varietas in aliquo eſt capite ſcriptorum divinorum, ne confodite vos. Unusquisque in ſuo ſenſu abundet. Dabit, dabit poſtea Deus Pater Domini noſtri J. C. ut in iis quoque, in quibus nunc contentio eſt, idem aliquando ſentiatis &c.*

Qui

a) Vid. Opp. PALEARII edit. noviſſ. ab Hallbauero procuratæ pag.

b) In *Amoenit. Hiſtor. Eccleſ. & Literar.* Tom. I. p. 425 ſq. Conf. SALIG. in Hiſt. Aug. Conf. Tom. II. qui eam ἀνανυμως recenſet.

c) Apud Cl. SCHELH. l. c. p. 459.

Digitized by Google

Qui igitur, (licet ne crabrones irritaret nomen celaſſet,) ita pro emandata decertabat religione, is deinde etiam, cum ad mortis Martyrium vocaretur, duabus epiſtolis *a*) ad conjugem, & liberos, datis, non minus ad necem usque pro Chriſto decertavit; atque eodem die, quo ſanguine dogmatum ſuorum veritatem firmavit, impavida mente, ſuis ultimum vale dixit, ſicque A. 1569 Romæ ſupremo affectus eſt ſupplicio.

MARCELLUS PALINGENIUS.

De MARCELLO equidem PALINGENIO circa tempora Reformationis florente ac vigente cum non multa nobis conſtent, ut ejus imaginem quandam nobis adumbremus, fieri vix poteſt, niſi, quod eum tamen inter *Italos Poëtas* & *Reformationis fautores*, eoque nomine inter *Italos Reformatos* jure merito referamus.

Nomen verò illud *Palingenii* non proprium eſſe, ſed adſcititium, uno fere teſtantur ore, qui ejus memoriam recentioribus temporibus fecerunt, eumque adeo in *Placciano Pſeudonymorum theatro* collocandum ſciſcunt. Neque tamen, quisnam ſub eo deliteſcat, ſine formidine oppoſiti definire potuerunt; ſitque de eo difficilis inter viros doctos ſuſcepta dimicatio, cum alii *Marſilium Ficinum*, nonnulli *M. A. Flaminium*, *b*) quidam verò etiam *F. Peregrinum Moratum* ſub eo nomine latuiſſe, ſuſpicati ſint.

Sed bene ſe habet, quod ante paucos annos *Jac. Facciolatus*, Profeſſor Patavinus, hic facem nobis prætulerit, *c*) obſervando, quod nomen *Marcelli Palingenii*, ſive, uti

a) Et has Epiſtolas lingua Italica ſcriptas ex *Novellis Literariis Hetruriæ* A. 1745. p. 328 ſq. nobis conſervavit SCHELHORN. in diatr. de *Mino Celſo Senenſi* p. 25. ſq.

b) Vid. HEUM. Poecil. Tom. I. p. 261 ſeq.

c) Vid. FACCIOLAT. Epiſt. ad *Jo. Fabric.* Helmeſt. Abbatem, in *Heumanni Poecil.* Tom. II. pag. 175.

Digitized by Google

Etruſce ſcribitur, *Marzello Palingenio*, per anagramma ſit formatum ex nomine, quod ipſi proprium fuit, *Pier Angelo Manzolli*: qui *Manzollus*, ſive *Manzollius*, ex celebri Manzolliorum apud Italos ſtirpe, fuerit Archiater Herculis II. Eſtenſis, Ducis Ferrariæ &c. atque nomen ſuum *Manzolli* transmutaverit in illud *Palingenii*; ſive, quod in aula *Renatæ* Duciſſæ Ferrarienſis verſaretur, atque inter Renatæ clientes & alumnos haberetur, illuſtriſſimæque familiæ archiatrum ageret; *a)* ſive, quod judicaret, ſe tutius ita ſub nomine ficto deliteſcere poſſe, in ea temporum calamitate, ubi verum dicere vix licebat, & quæ ſentiebas, in apricum proferre nefas reputabatur, quæ verò improba erant, ſatyrico ſale perfricare, plane lethale erat. Quæ & ratio forte fuit, quod nequidem in dedicatione Operis ſui, ſtatim commemorandi, ad *Herculem Eſtenſem;* ſuum cum Principe nexum, ſuamve ad illum relationem indicare, ſatis opportunum judicaverit, uti ex ipſa inſpectione illius colligitur.

Enim-

a) Quanquam enim BÆLIUS ex præfatione ſtatim citanda concludere velit, quod *Palingenius* non videatur eſſe cognitus Herculi Duci, quippe qui aliorum verbis ſolùm de Hercule ſit informatus, ac tantùm fidei adtribuerit *Antonio Muſæ Braſavolo*, qui in aula Principis verſabatur; Tamen id minimè ſequitur, nec quicquam exinde elici debet, quam quod celare nomen & perſonam, turius judicaverit, quam propalare. Conf. *Scævola de Sainte Marthe* apud BÆLIUM l. c. p. 577. not. B. Cæterum hujus, cujus *Palingenius* meminit, *Braſavolæ* quoque injicitur mentio in *Lil. Gyraldi* dialogismis n. V. apud *Gruter.* in Theſauro Crit. Tom. II. p. 392. ubi commemoratur *Irenæus Brasovola*, *Antonii Muſæ Brasavolæ* Medici excellentiſſimi filius, qui ab illuſtriſſ. Principe (Ferrarienſi) ad Profeſſionem dialecticam interpretandi erat vocatus, veluti dialogus ille inſcribitur *Lilius & Irenæus.* Dubitari autem nequit, hunc *Irenæum* quoque ita fuiſſe appellatum in memoriam *Irenææ*, ſive *Renatæ* Principis &c. in cujus aula cum Patre verſabatur ac educatus erat.

Digitized by Google

Enimverò, is circa ann. 1530. notiſſimum illum ac cultiſſimum ſub tit. *Zodiaci Vitæ*, verſibus hexametris conſcripſit Tractatum, *de Vita ſtudio ac moribus hominum optime inſtituendis*, toties totiesque editum, & fere nemini non notum. In quo, erudito certe Opere, uti multos defectus Romanæ Eccleſiæ taxavit, ita non minus ſe Evangelii Reformati comprobavit amicum, ut inter ceteros quoque *Evangelii amicos* qui in aula Renatæ verſabantur fuerit recenſitus à SCULTETO. *a*)

Appellat ſe verò *Stellatum* Poëtam, in ipſo Opere L. IX. vs. 29. Certe non aliam ob rationem, quam quod *Stellada* in Ducatu Ferrarienſi eſſet oriundus: licet etiam non defuerint, qui eum ſe *Stellatum* appellaviſſe contendunt, reſpiciendo titulum libri *Zodiacum*, &, quod unusquisque liber nomen gereret ſignorum Zodiaci.

Ut ſe res habeat, Carmina ejus à Pontificiis, & in concilio Tridentino, in Indicem Librorum prohibitorum ceu hæretica & Lutherana fuerunt relata, licet alioquin ipſum auctorem aperte ad noſtra caſtra tranſiiſſe, non conſtet.

Poſt obitum autem ejus cadaver *propter pietatis doctrinam* (i. e. ob Lutheranismi profeſſionem) exhumatum, & concrematum eſſe, tradit *Melchior Adami*, in Vitis philoſophorum, *b*) uti Lil. Greg. Gyraldus in dialogo II. de Poetis ſui ævi *c*) eum docet, poſt mortem fuiſſe male habitum & *in ejus cineres ſævitum*, *ob impietatis*, (ſcil. quod malos cleri mores aceto perfuderat) *crimen*. Eſt præ ceteris commemoratione dignus in illo *Zodiaco Palingenii* locus in lib. X. cui titulum *Capricorni* fecit, ubi circa finem vs. 818. ita:

a) SCULTET. Annal. Evang. renov. ad a. 1528. p. 146. Eſt autem *Chriſtoph. Wirſungus* qui in illud Palingenii Poëma commentatus eſt; vid. FREHERI Theatrum p. 224. & *Melch. Adami* in Vitis philoſophorum.

b) ADAMI in *Vita Wirſungi*. p. 117.

c) Vid. GYRALDI opera p. 569. & apud BÆLIUM p. 577.

Digitized by Google

Atque rogant, quidnam Romana ageretur in urbe?
Cuncti luxuriæ atque gulæ, furtisque dolisque
Certatim incumbunt, noſterque eſt ſexus uterque,
Reſpondit: Sed, nunc ſummus parat arma ſacerdos
Clemens Martinum cupiens abolere *Lutherum*,
Atque ideò Hiſpanas retinet nutritque cohortes:
Non diſceptando, aut ſubtilibus argumentis
Vincere, ſed ferro mavult ſua jura tueri.
Concilium valeat, valeant commenta Lutheri,
Pontifices nunc bella juvant, ſunt cætera nugæ:
Nec præcepta Patrum, nec Chriſti dogmata curant,
Jactant ſe Dominos rerum, & ſibi cuncta licere
Cui vis eſt, jus non metuit, jus obruitur vi.

Eſt autem ultimo loco notabile, quod Operis illius Auctor, nomen ſuum, initialibus literis verſuum 29. priorum, inſcribere voluerit Illæ enim literæ initiales nobis ſiſtunt nomen ejus: *Marcellus Palingenius Stellatus;* quo obſervato, & quod ipſe jam in opere ſuo L. IX. ſe *Stellatum* appellat, nervus inciditur illi quorundam conjecturæ, qui eum fuiſſe appellatum tradunt *Stellatum*, quod Opus ejus nomen gereret ſignorum Zodiaci.

JOH. ALOYSIUS S. LUDOVICUS PASCALI.

Celebrem hunc Pedemontanum Genevenſes & Lauſannenſes, jam cum prius arma geſſiſſet, ac dein ad literarum ſtudia, atque cumprimis ad rerum Theologicarum ſcientiam ſe convertiſſet, informarunt, ac Veritatis Evangelicæ guſtu imbuerunt: eo cum ſucceſſu quoad Evangelii promotionem proſpero, ut, cum Neapolitani ſibi quendam expeterent V. D. Miniſtrum Evangelicum, Eccleſia quoque Genevenſis Italica hunc unum ad eos ablegare non fuerit verita, idoneum qui Evangelii odorem, & per illam civitatem, & per varia Calabriæ loca, longè latéque diffunderet.

Ne-

Digitized by Google

Neque ſanè ipſe tum in mora erat, quin potius magna cum alacritate (disrupto omni nexu, qui ipſi cum amicis erat, quin imò etiam, cum lectiſſima ac piiſſima virgine *Camilla Guarina*, quam ſibi ante paucos dies deſponſaverat) munus illud aggrediebatur, magnoque cum fructu obibat, usque dum à Pontificiis in vincula datus, ac Coſentiam, Neapolim, ac denique Romam deductus veritatem mortis martyrio obſignaret, quod A. 1560. factum fuiſſe, relatum eſt.

Extant ejus Epiſtolæ melle ac dulcedine Evangelico refertiſſimæ ac unctionem ſpirantes, quas ex idiomate Italico in Gallicum tranſtulit Auctor *Martyrologii Magni Gallici* à fol. 506. usque ad 515. b, ex quibus in Opere ipſo quædam excerpſimus.

Eundem hunc *Jo. Lud.* PASCHALEM quandam *Novi Teſtamenti Editionem Italicam* procuraſſe, A. 1555. 8. ſine mentione loci, unà cum adjecta verſione Gallica, quam ſe poſſidere affirmat, teſtatur Cl. SCHELHORN. in Recreat. Eccleſiaſt. Tom. I. p. 419.

JULIUS CÆSAR PASCALI.

Et hunc præclarum inter Italos, ſed qui Italiam religionis ergo reliquerunt, Virum huc recenſere licebit. Præterquam enim quod is ſingulari ſtudio ac induſtria *Joh. Calvini Inſtitutionem Religionis Chriſtianæ* in Italicum idioma transferre non eſt veritus, *a*) quæ Genevæ 1558. 4. prodiit, ac dedicata eſt Viro Illuſtri *Galeacio Caracciolæ*, Marchioni Vici; extant ejus quoque *Sexaginta Pſalmi* verſibus Italicis redditi *b*) ac editi Genevæ 1592, quando ſexaginta quinque annos ſe natum eſſe in præfatione illis præmiſſa teſtabatur.

a) Vid. BAYLE in Dictionar. Tom. III. p. 610

b) BAYLE l. c. conf. BAUMGART. in relationib. de libris me-

Sed & integra extat ejus collectio carminum ſpiritualium, ſub titulo *Univerſi* edita: quæ inter alia, Hiſtoriam Moſaicam complectitur, inde à tempore creationis hujus univerſi, usque ad introductionem Israëlitarum in Caanæam.

PETRUS PERNA.

Præclari hujus Typographi, quem civitas *Luccenſis* nobis protulit, Baſilea verò exulem recepit atque fovit, donec apud Baſileenſes mortalitatem ſexagenario major exueret, Epitaphium ita nobis exhibent *Monumenta Baſileenſia. a)*

Luminum datori æterno
PETRUS PERNA, Luccenſis,
cujus lucernam typographicam
S. S. Religionis Lucerna
accendit
Anno Salutis MDXXCII.
XIV. Aug.
pie defunctus
heic
cum Johanna Verzaſchia
uxore biennio ante
defuncta,
& Laura filia,
quæ dies eheu ſolos XIX. patri ſupervixit,
ſexagenario major
conditur.

Ceterum *Franc.* HOTOMANNUS in Epiſt. 99. p. 139. dicit quod PERNA ſæpenumero *à Magiſtratu Baſileenſi car-*

memorabil. T. III. pag. 194 ſeq qui incertus fere hæret, num *Paſchali* noſter, an verò *M. Offredi* horum verſuum, qui & A. 1607. 12. editi ſunt cum additamentis quibusdam, anthor ſit.

a) TONJOLÆ Monum. Baſil. p. 132. & Groſſ. p. 151.

Digitized by Google

carceri fuerit mancipatus, quod libros profanos & malæ notæ planeque impios imprimeret Est Ep. scripta d. 25 Dec. 1580. Adeò diversa sunt hominum de meritis aliorum judicia!

FRANCISCUS PERROLTUS.

Hunc, tametsi natione Italus non esset, quippe qui Gallus erat, & quidem Parisiensis, *a*) Dominus *de Mezieres*, tamen inter *Italos Reformatos* recensemus, quod multa Reformatis Italis inservientia ingenii monumenta in lucem protulit, eorumque commodis mirificè invigilavit. Accedit, quod quam diutissimè in Italia & quidem apud Venetos fuerit commoratus, *b*) Pauli Sarpii nobilissimi illius Theologi Veneti familiaritate ac amicitia usus. Nam & simul ut Italiam adierat, eam sibi Italicæ *c*) linguæ peritiam assiduo usu loquendi ac scriptione contraxit, ut scripta ejus Italica ab Italis pro genuinis Italicis agnoscantur.

Inter ea verò, quæ publicavit, ante omnia eminet ejus *Translatio d*) *Psalmorum Davidicorum poëtica* in linguam Italicam, quæ dedicata est *Elisabethæ* Reginæ Angliæ d. 21 Febr. 1584. uti habet subscriptio prior, atque altera vice, d. 23 April 1599. uti habet suscriptio repetita. Post dedicationem, duas ad Italos admonitiones legi, ac carmen quoddam epicum ad Ecclesiam directum, ex Th. Beza transsumtum & d. 23 April 1573. Venetiis signatum, observat idem BAUMGARTENIUS. *e*)

Enimverò, scripsit idem ille Italico sermone *librum declara-*

a) Vid. la Vie de *Mornay du Plessis* p. 13. & p. 356.
b) Vid. COLOMES Biblioth. choisie p. m. 402. 403.
c) THUAN. Histor. Lib. LXXX. II Tom. IV. fol. 305.
d) Ejus titulum ac brevem recensionem habemus in Cl. BAUMGARTENII Relation. de libr. memorabil. Tom. XI. p. 194.
e) BAUMG. l. c. p. 195.

Digitized by Google

claratorium ad pulcram, *uti appellat*, *Italiam*, ſub tit. *Aviſo piacevole dato alla bella Italia*, in quo Bullam Sixti V. Pontif. Ro. adverſus Henricum Navarrenum refellit, ac non ſolum impuros Pontificum & Eccleſiaſticorum mores amarulente *a)* carpit, ſed & illorum conatus in conſcientiam hominum injurios debellat.

Edidit præterea quoque *Verſionem Italicam* duorum tractatuum præſtantiſſimorum Phil. *Mornæi* Domini de Pleſſis, *b)* quorum alter *Veritatem religionis Chriſtianæ* adſtruit, alter naturam & indolem *Eccleſiæ* exponit.

FRANCISCUS PERRUCELLUS.

De eo fere nihil nobis conſtat, niſi quod inter Epiſtolas *Johannis Calvini*, extet ejus, qui inter Exules tempore Mariæ Reginæ Angliæ ſe Veſaliam contulerant, ibique apud Veſalienſes verbi divini miniſtrum egebat, quædam Epiſtola, data Anno 1557. Francofordia. *c)* In qua de conturbato per *Ubiquitiſtas* & cumprimis per *Herm. Hamelmannum* Eccleſiæ Reformatæ *Veſalienſis* ſtatu, conqueritur; & quod ſe inde, cum aliis quibusdam Viris piis ac doctis, præcipiente Senatu, recipere debuerit *d)*, ac Francofurtum ſecedere, teſtatur.

ANDREAS PETRI.

Hunc Peruſia oriundum, atque propter Veritatis Evangelicæ profeſſionem exulem apud Baſileenſes, apud quos A. 1575.

a) Vid. THUAN. Hiſtor. Tom. IV. fol. 304. 305.

b) Vid. *Vit. Mornæi* l. c. p. 13. & p. 376. Conf. BAYLE dictionair. T. III. fol. 681.

c) Vid. *Joh. Calvini* Epiſtol. p. m. 119. 120.

d) Vid. SALIG. Hiſtor. Aug. Confeſſ. Vol. II. p. 1119. 1120.

Digitized by Google

A. 1575. ſupremum diem obiit, nobis cognoſcendum dedit monumentum ſepulcrale *a*) ipſi erectum cum hac Inſcriptione.

D. J. S.
Qui
Roma altrice, Italia genitrice,
ſponte excedere,
quam Chriſtum negare maluit
&c. Andreas Petri
heic
Peruſinus,
erga pauperes, vivens ſimul
atque moriens, liberaliſſimus,
Obiit ann. M. D. LXXV.

ALOYSIUS PRIULUS.

Præclarum hunc Patricium Venetum LUDOVICUM PRIULUM, ejusque Memoriam huc merito referimus, quippe quem inter Veritatis Evangelicæ aſſeclas, quos immoderato ſemper odio inſectati ſunt Pontificii, nomen habere, ex variis colligi poteſt argumentis.

Præterquam enim quod arctiſſimo amicitiæ nexu conjunctus fuerit cum Viris optimis, inter quos & *Marc. Ant. Flaminius* & Cardinalis *Moronus* & Ludov. *Beccatellus* & *Regin.* POLUS *b*) erant, quorum plerique in hæreſeos ſuſpicionem à ſuis non ſolùm adducti ſunt, verùm etiam hæreſeos ab inquiſitoribus fidei leguntur accuſati.

a) Vid. TONJOLÆ Monum. Baſil. p. 126. & GROSSII Epitaph. p. 124.

b) Conf. *Regin.* POLI Epiſt. ad Paulum IV. Po. Ro in Epiſt. Poli Tom. V. pag. 31-36. quæ tota pro *Aloyſio Priulo*, atque in ejus defenſionem eſt compoſita, quæque ſimul de Card. *Moroni*, quod hæreſeos accuſaretur, incarceratione teſtatur, & de propria ſua, licet ejusdem criminis ſuſpectus eſſet, innocentia, perorat.

Digitized by Google

Ipſe etiam, quod ad hæreticæ pravitatis inquiſitores fuerit delatus, eaque propter à Paulo IV. magno illo hæretifico ab officio, quod ipſi à Julio III. Po. Ro. Pauli deceſſore jam erat collatum, remotus, docemur.

Certè, in materia, quæ minimè tamen levis eſt, quæque maximam cum Pontificiis controverſiæ partem conſtituit, *de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo*, quod ſanam foverit doctrinam, nemo facile iverit inficias, qui norit, quam FLAMINIUS etiam diſertè ſcribat, ſibi *Aloyſium Priolum*, cui Elegiam quandam perlegendam transmiſerat, auctorem fuiſſe, ut ea ipſa ſcribendi ratione, qua Elegiam illam finxerat, Davidis hymnos *a*) exornaret.

Uti notabile quoque eſt, quod FLAMINIUS ad eum dedit Carmen, *b*) ubi inter alia.

Unà viximus arcto amore juncti,
Qualem ſol radians ab ultimo Indo
Vix cernebat ad ultimum Britannum.
Nos unum ſtudium, una nos voluntas
Fecit unanimes, nihil placebat
Uni, quin idem amaret alter, una
Nos domus tenuit, alebat una
Menſa, lætitiæ, dolor, ſecunda,
Adverſa unius alterum movebant.

Neque deinceps incaſſum LADERCHIUS, *c*) in ſuis annalibus eundem in hæreticorum numero recenſuit. Num verò etiam quædam ingenii monumenta, ex quibus plenius de ejus circa religionem mente queamus informari, protulerit, nobis eſt incognitum: niſi quod tres ejus legantur *Epiſtolæ ad Ludovi-*

a) QUIRINUS in Prolegom. ad Ep. Poli Tom. I. c. V. pag. 305.
b) Vid. FLAMINII Carmina L. VI. n. 36. p. 182. & L. V. n. 13. p. 139.
c) LADERCHIUS in Annalib. Eccleſ. T. XXII. fol. 325.

Digitized by Google

dovicum Beccatellum Italico idiomate ſcriptæ, inter Epiſtolas Poli ab Eminentiſſ. Quirinio editas. *a*)

Ceterum tanta inter hunc *Priulum* & *Regin. Polum* fuit amicitia ac familiaritas, ut poſterior hic eum unum inſtituerit in Teſtamento ſuo bonorum ex aſſe hæredem. *b*)

LACTANTIUS RAGNONI.

Nobilis Senenſis, qui Italiam religionis ergo reliquerat ac circa Ann. 1551. ſemet Genevam receperat, ibi veterem cum Galeacio Caracciolo amicitiam, quam Neapoli jam erexerat, inſtauravit, ac non ita multo poſt Italicæ Eccleſiæ eſt præfectus, quod in ipſo Opere §. LI. monuimus.

JOH. BAPTISTA ROTAN.

Tametſi jam fere ignotum nomen viri hujus, inter Italos Reformatos recenſendi, eundem tamen, eo quo florebat Seculo XVI. magnam nominis celebritatem habuiſſe, certum eſt.

Italum eum fuiſſe ex Pedemontio oriundum, RIVETUS, *c*) ZANCHIUS *d*) atque alii tradunt, apud Bælium. *e*) Et, quanquam in re lauta conſtitutus eſſet, eundem tamen A. 1558. patriam Italiam reliquiſſe ac ſua ſponte ſibi indixiſſe exilium, idque cauſa religionis, addiſcimus ex verbis Hieron. ZANCHII, *f*) qui de eo: „ Profecto (inquit) exilium, quod

 „ prop-

a) Vid. Epp. POLI Tom. V. p. 345.
b) Vid. Teſtamentum *Card.* POLI l. c. in Epp. T. V. p. 183. 184.
c) Vid. Meurs Athen. Batav. pag. 316. qui *Andr.* RIVETI verba citat.
d) Vid. *Melch.* ADAMI in Vita Bezæ p. 229. ZANCH. Epiſtolar. Lib. II. p. 492. ſq.
e) Vid. BAYLE dict. Vol. IV. fol. 93.
f) Vid. Zanchii Oratio Solennis, in promotione doctorali ipſius hujus Rotani noſtri A. 1573. in Zanchii Operib Tom. VII. p. 492. ſq.

Digitized by Google

„ propter Domini noſtri Jeſu Chriſti cauſam, annos jam to-
„ tos quindecim, cum non parva ſuorum bonorum eorumque
„ non tenuium jactura conjunctum, æquiſſimo ſemper animo
„ tulit &c: Quid verò abinde egerit, & quibus modis do-
ctoris officium obierit, ſuamque doctrinam ad plures exten-
derit, vix reſcire nobis datum eſt, niſi quod *Academiæ Ge-
nevenſis* Diptycha ſive matricula eundem inter primarios ce-
lebrioresque ejus temporis Theologos referat *a*) ſicque hono-
rificam ejus injiciat mentionem.

Uti non minus ex *Vita Bezæ b*) colligitur, quod *Jo. Bap-
tiſta Rotan* A. 1588. Miniſtrum egerit Genevenſem, quip-
pe qui tum quoque cum *Theod. Beza* & *Ant. Fayo*, aliisque
Theologis Helvetiis, ad Eccleſiam *Bernenſem* miſſus legi-
tur, ad litem ibi à *Sam. Hubero* & *Claudio Albero* ſuſcita-
tam, ſi pote, componendam.

Interea tamen eundem non ita multo poſt ad Eccleſiam
Scholamque Rupellenſem ſeceſſiſſe, ibique publici doctoris
munere functum fuiſſe, diſcimus ex relatione MEURSII *c*),
qui ita de Andrea Riveto: *Cum Rupellam, inquit rediiſſet,
publice profitentem audivit Joannem Baptiſtam Rotanum,
Italum, doctiſſimum & eloquentiſſimum doctorem, qui ſcho-
lam Theologicam aperuerat.*

Quale judicium de eo tulerint Viri quidem eximii, ex
iis quæ jam quoque ſunt monita colligimus. Certe Zanchius
l. c. ejus *Eruditionem omnibus perſpectam, ſtudium ve-
ro pietatis nemini ignotum*, dicit; *eum æquiſſimo animo
tuliſſe exilium, bonorum jacturam &c. imo magnæ gloriæ
loco habuiſſe*, addit, *gloriam Chriſti & ſalutem proximi,
quam ſibi in ſtudiis Theologicis proſequendis propoſuit, effe-
ciſſe, ut ad dignitatem Theologicam eligeretur &c.*

Ri-

a) Vid. BAYLE Tom. IV. fol. 93.
b) Vid. *Anton.* FAJI vita Theod. Bezæ p. m. 55. conf. ADA-
MI in Vitis Theolog.
c) MEURS Athen. Batav. l. c.

Digitized by Google

Rivetus *eum doctiſſimum & eloquentiſſimum doctorem appellat.*

Matricula Genevenſis idem teſtatur. Quin imò, extat Ejus, nomine licet non expreſſo, liber ſub tit. de l'Euchariſtie 1596. 8. Cui quædam oppoſuit Bulengerus.

Sed manum de tabula; Quæ enim de ejus prævaricatione, cum Pontificiis & inprimis cum Cardinale Perronio conſpiratione putatitia ac moliminibus circa Henrici IV. abjurationem religionis Evangelicæ promovendam, denique de ejus cum Jo. Serrano colluſione ad prodendam religionem reformatam venditantur, ac ab Illuſtri Galliæ Hiſtorico Dn. *d'Aubigné* proferuntur, tanquam quæ nimis incertis nituntur conjecturis, ſuo loco relinquimus: inprimis cum Serrani ingenuum circa illam incuſationem animum jam defenderit *Proſp.* MARCHAND. in Lex V. Serres.

PHILIPPUS RUSTICIUS.

PHILIPPUM RUSTICIUM inter Italos Reformatos recenſendum eſſe, colligimus præcipuè ex iis, quæ à J. LE LONG in ejus *Bibliotheca Sacra* Tom. I. p. 358 ſq. ſunt annotata circa Editionem Bibliorum Lingua Italica vulgatorum apud Franciscum Duronem A. 1562. fol. cujus plenum titulum nobis ſuppeditavit Cl. BAUMGARTEN. *a*)

Eſt enim hæc Bibliorum Italicorum editio, quam inter editiones à Proteſtantibus procuratas refert LE LONG, quæque in uſum ſaltem Italorum Proteſtantium ad Genevenſes profugorum confecta eſt, non accepta ferenda *Ant. Brucciolo*, de cujus verſione in ſuperioribus egimus, licet *Nic.* HAYMIUS in *notitia rar. libr. b*) id innuat.

Certè Præfatio edocet contrarium, „ quod, ſc. cum Bruc-

 „ cioli

a) Vid. BAUMG. Hall. Biblioth. Tom. V. p. 98.

b) HAYM. notitia de libri rari pag. 286.

Digitized by Google

„ cioli verſio variis in locis ſit obſcura, hæc ipſa planior „ facta ſit & clarior, intertextis quibusdam vocibus, alio „ charactere exaratis, quæ quidem adjunctæ ſint ex Viris „ eruditis & linguæ Hebraicæ peritis &c. „ Quid? quod revera hæc verſio multo purior ſit ac elegantior, ſatente eodem LE LONG *a*), quam illa *Ant. Bruccioli*, ſitque Novum Teſtamentum non ex mera ejus translatione exſcriptum, ſed potius ex editione Fabii Tudeſchi A. 1560. 8. adjectis iisdem ac paulo auctioribus notis.

Cum igitur, porro, in Indice librorum Expurgatorio inter Translatores Italos ſacri Codicis poſt Antonium Bruccioli, recenſeatur *Philippus Ruſticius*, inde meritò conjicit LE LONG *b*), quod Philippus ille hujus verſionis, vel recognitionis ſorte ſit auctor: atque idem confirmat Cl. BAUMGARTEN *c*), qui & ex Præfatione, *A i principi e republiche d'Italia*, *ad Principes & respublicas Italiæ* directa, ejus in doctrinam Evangelicam ſtudium colligit, vel ex eo ipſo quod Verſiones in linguas vernaculas maximopere defendat, adverſus quasvis prohibitiones papales, & quod ibidem luculenter inculcet, quod unicuivis Chriſti nomen profeſſo, ſive Laicus ille dicatur, ſive clericus, ſcripturarum lectio competat.

Ceterum, quis & qualis ille *Ruſticius* fuerit, indagare non potuimus.

JULIUS CÆSAR SCALIGER.

Hunc Virum, ob præclara ingenii dona inter eruditos principe loco connumerandum, nobis terra dedit Veronenſis, ubi genus ſuum à *Principibus Veronæ d*) quod duxerit, ſatis eſt notum ac inter omnes conſtat.

In-

a) Vid. LE LONG l. c. p. 359.
b) LE LONG l. c. p. 359.
c) BAUMGART. l. c. p. 100.
d) Conf. Ej. Ep. de ſumma familiæ ſuæ nobilitate.

Digitized by Google

Interea tamen eum plurimum vitæ tempus, cum votis ejus non reſponderent Italorum artes, in Gallia contriviſſe, ac vel ea propter inter illuſtres Galliæ Viros à SAMMARTHANO *a*) relatum eſſe, ex *Sammarthani Elogiis Gallorum* comprobatur, qui recte tamen obſervat, quod ejus ortum Itali, educationem Germani, fortunarum autem ſedem ac tumulum Galli ſibi arrogent.

Sed eundem puriori religioni, cum jam prius inter fratres Franciscanos nomen ſuum profeſſus fuiſſet, animum ſuum addixiſſe, atque etiam apud Toloſates, ut Chriſtus propius innoteſceret, curaviſſe, jam alibi *b*) à nobis eſt annotatum: ſiquidem ei non *Aginni* modo civitas ad Garumnam, quam vitæ ac ſtudiorum ſuorum ſedem elegerat, ſed & *Aquitania* pæne ipſa, veræ pietatis inſtaurationem magna ex parte debeat.

Quid? quod *Theodorus* BEZA *c*) diſertis verbis referat, quod, „ dum Agenni habitabat Scaliger, pii ipſius domo „ tanquam hospitio fuerint uſi, dum ille viciſſim, ſua illos au„ ctoritate pro viribus, quantumvis aſperis temporibus, ad„ juvaret.

Ne dicamus de maximo illo dono, quo cum rempublicam literariam, tum eccleſiam reformatam, beavit, in filio ſuo *Joſepho Juſto* SCALIGERO, quem, *poſteritatis memoria digniſſimum*, *ingrata Gallia* (ſunt verba Sammarthani *d*) *paſſa eſt ſibi eripi*, *Batavia melior non excipit modo*, *ſed & viventem benigne fovit*, *& mortuum honeſtiſſimo tumulo decoravit*, cujusque, tanta in omnem eruditionem atque etiam in veritatem Evangelicum fuerunt merita, ut ea nullis obliterari queant Seculis.

CLAU-

a) SAMMARTH. Elog. Gallor. L. I. n. XXVII. p. 53. &ſqq.
b) Conf. *Hiſt. noſtr. Reform. Gall.* §. XXVIII. p. 80. 81.
c) BEZA in Iconibus lit. X. 1.
d) SAMMARTH. l. c. p. 56.

Digitized by Google

CLAUDIUS SENARCLÆUS.

Nobilis Sabaudus, qui Hiſtoriam *Jo.* DIAZII nobilis Hiſpani ſcripto conſignavit Argentor 1546. 8. eamque Martino Bucero dedicavit. *a)*

Vocatur in Epiſtola, quam *M.* BUCERUS libello præfixit, *Cl. Senarclæus, Juvenis eruditione ac virtute præſtans, qui ceteris pietatis officiis generis ſui nobilitatem ſtudet exornare;* ac de *hac* edita *hiſtoria* teſtatur „ Hiſtoriam „ enim vitæ illius & mortis breviter quidem, ſed verè, re„ ligioſe, atque eleganter perſcripſit; eamque ut propaga„ retur latius, & plus haberet ponderis, viſum eſt teſtimo„ nio & quaſi ſententia alicujus viri Principis (innuit *Otto„ nem Henricum* Palatinum Rheni &c: cui Bucerus eam „ dedicat) confirmatam in lucem emittere.

SIMON SIMONIUS.

Philoſophum hunc atque Medicum haud infimi nominis præclara nobis protulit civitas Luccenſis; quanquam, quo anno & quibus parentibus ſit editus, itemque qua in ſchola fuerit informatus, ignoremus. Et primò quidem is, poſtquam miſſo papatu ad Reformatæ religionis communionem acceſſerat, apud *Genevenſes*, deinde apud *Heidelbergenſes*, denique apud *Lipſienſes* Medicam artem & philoſophiam non ſine encomio ac nominis celebritate *b)* profeſſus eſt,

a) Hanc hiſtoriam ob eximiam ejus raritatem, nuper admodum *Scrinio* noſtro *antiquario* Tom. VIII. P. I. num. I. inſeruimus, atque, ne ſitu periret elegantiſſimus liber, efficere voluimus.

b) Certè *Academia Lipſienſis* eum apud WITTEN in Memoriis philoſoph. T. I. p. 57. vocat „ exquiſiti judicii & ob „ philoſophicarum & medicarum rerum cognitionem celebratiſſimum. Conf. Laſitii Ep. ad *Jo. Wolfium* in Scrin. Antiq. T. VI. p. II. p. 654.

Digitized by Google

eſt, donec ultimo loco variis jactatus fatis ſe in Poloniam reciperet, ubi circa Ann. 1603. quod in vivis adhuc fuerit, docemur.

Interea tamen, cum non in philoſophicis ſolùm ſed & medicis, à ſui temporis philoſophis libere diſſentiret, ac contentionis ferram cum iis reciprocaret, factum eſt, ut profeſſionis ſuæ finibus non contentus in Theologiæ limites quoque excurreret: uti jam apud Genevenſes cum verſaretur, & publico munere fungeretur, non modo librum ſcripſit *contra Jacobi Schegkii* Philoſophi Tubingenſis tractatum *a*) *de Unione naturali & duabus naturis in Chriſto*, ſed &, ob ſententias heterodoxas & ſtudium convellendi Eccleſiæ tranquillitatem, ibidem bis carceri mancipatus *b*) eſt, ac cenſuræ eccleſiaſticæ rigorem ſubire debuit. Sed à Genevenſibus, ſive profugus ſive fugatus, ad Heidelbergenſes cum acceſſiſſet, non minus, ſuam in religione ſinceritatem ſuſpectam fecit, ac inter alia ſatis impiè profeſſus dicitur „ Poſſe ſe multas rationes afferre, quibus ne Paulus quidem „ ipſe, ſi viveret reſpondere poſſet. *c*) Nam & certum eſt, quod in explicatione illius principii *ex nihilo nihil fit*, ſæpenumero à via recti aberraverit, ac in primis in explicatione myſterii trinitatis in antitrinitariorum caſtra tranſire viſus fuerit; ſaltem aſſeruerit, eſſentiationem paſſivam naturæ Chriſti divinæ adſcribi debere, *d*) cum tamen eſſentiatio nihil

a) Vid. SCHEGKII dedicationem Anti-Simonii, quam citat Cel. Bruckerus in Hiſt. Crit. Philoſ. Vol. IV. p. 287.

b) Vid. BEZÆ Epiſtol. ad N. Num. LIV. & Num. LVI. quæ utraque ad Simonium noſtrum. Heidelbergæ tum agentem, ſcripta eſt.

c) Id in ead. Ep. p. m. 242. BEZA ipſi ex probrat.

d) Ita certe BEZA in Ep. 56. p. 241. Quod Filium dicis à Patre eſſentiarum reſpectu perſonæ, duriſſimum eſt atque etiam impropriè dictum. Nam Eſſentiatio nihil aliud propriè ſignificare

hil aliud sit quam essentiæ creatio vel propagatio, ac proin multiplicationem propriè significet, qua significatione Valentinus Gentilis atque alii eam acceperant, ad Tritheismum delapsi.

Neque autem apud *Genevenses* solum ac *Heidelbergenses*, verum etiam apud *Lipsienses*, deinde tametsi magna floreret auctoritate ac reliquis fere excelleret, adeo ut *Augustus* Saxoniæ Elector eum quoque visitationi & reformationi universitatis adhiberet, sententias suas heterodoxas celare non potuit, eoque ipso reliquorum professorum indignationem in se excitavit, ut tandem quoque ab officio dimitti debuerit. *a*)

Tum verò is in aulam *Ferdinandi* Imperatoris concessit, Pragæque aliquandiu hæsit, tandem in aulam Regis Poloniæ *Stephani Batori* delatus, ibique magno in pretio habitus *b*) est.

Ceterùm, extat Liber, sub tit. *Simonis religio* Cracov. 1588. 4. qui inter Atheisticos vulgo recenseri solet; sed eum, cum paucis admodum visus esset atque cognitus, Cl. Aug. BAJERUS *c*) ex ἀυτοψια descripsit. Titulus ita se habet: *Simonis Simonii, Luccensis, primum Romani, tum Calviniani, deinde Lutherani, denuò Romani, semper autem Athei, summa Religio*, Authore D. M. S. P. Cracoviæ typis Alexii Rodecii 1588. 4.

Equidem non defuerunt, qui non peritè satis ipsum Simonium

nificare potest, quam Essentiæ generationem ex propagatione, quæ in divinis absque deitatis ipsius multiplicatione dari non potest. Deinde, quum essentia & persona sint diversa, quomodo Essentiata dicetur persona, nisi impropria admodum locutione, &c.

a) Vid. VOGEL. in Annal. Lipsi. apud BRUCKERUM l. c. p. 288.

b) Vid. BRUCKER. l. c. qui multam historiæ hujus Simonii lucem intulit, sed à nobis in florilegio libror. rariorum notatus.

c) Vid. BAYER Memoriæ Libr. rar. p. 254. sq.

Digitized by Google

nium ejus ſcriptorem fuiſſe prodiderunt, ſed quos ipſe titulus jam reſellit.

Conſtat enim in Simonii potius odium eum fuiſſe conſcriptum, & quidem, quod nuper admodum detexit Cl. SAMUELFIS in Diſſ. *de Vita & Scriptis Duditbii*, Orationibus ejus præmiſſa pag. 81. &ſqq. à quodam *Squarcialupo*, qui ut Simonium pro gravi, quam ſibi fecit, injuria ulciſceretur, nequam illo ſcripto, quod pasquillis potius quam ſcriptis atheiſticis eſt conſociandum, publico impoſuit.

Et, quis dubitet *a*) quin literæ D. M. S. P. explicandæ ſint, *Doctore Marcello Squarcialupo Plumbinenſi.*

FRANCISCUS SPINULA.

Fuit is ex familia SPINULARUM apud Genuenſes celebratiſſima, uti inter clarorum Ligurum elogia *Auguſtinus Spinula* recenſetur atque etiam *Argentina*, deinde *Franciscus*, *Gaſpar*, *Gerhardus*, *Nicolaus*, *Petrus*, *Thomas*, *Ubertus* atque alii, quorum mentionem fecit *Ubertus* FOLIETA in libro cui titulum fecit *Elogia Clarorum Ligurum* Genuæ 1588. 4. impreſſo.

Neque tamen inter eos, ſive ſago ſive toga illuſtres Ligures, à Folieta noſter ille commemoratur Franciscus, ſiquidem alter quem collaudat *b*), à noſtro planè ſit diverſus; atque de noſtro ne verbum quidem faciat. Præterquam enim, quod Italorum ita ferat ingenium, ut quos hæreticos opinantur, etiam ex hominum numero ac memoria velut eximere ſoleant, accedit quoque, quod noſter non præciſe Genuenſis fuerit, ſed *Brixienſis*, ex ſtirpe licet Spinularum Genuenſium.

Ut ſe res habeat, noſter ille *P. Franciscus Spinula*, uti purgatam à ſuperſtitionibus papiſticis mentem, ac veritatis

a) Vid. Cl. VOGT in Catalog. libr. rar. p. 628.
b) FOLIETA Elog. claror. Ligur. pag. 125-127.

Digitized by Google

Evangelicæ ſtudium ubivis prodit, ita auctor eſt Operum quorundam poëticorum, ſed cumprimis *Psalmorum Davidicorum* carmine Latino Baſileæ 1558. 8. unà cum Flaminii verſione editorum, quæ luculenta fidei ejus ſpecimina exhibent.

Sed juvat, eam, quæ inter *Aonium Palearium* & *Spinulam* noſtrum interceſſit, ſtudiorum paritatem, ac amicitiam cognoſcere ex duplici illo carmine, quod Editioni laudatæ Pſalmorum ſubjunctum legitur.

AONIUS PALEARIUS Verulanus, ad P. Franciscum Spinulam.

Carmina mirantur qui tot, mi Spinula, pangas
Oraque ſemper ſint irrequieta tua.
Nam ſeu jam clauſo componat veſper Olympo
Seu referat roſeo Lucifer ore diem.
Cœleſtum pſallis Regi, nec deſinis unquam,
More chori magnum qui canit ante Deum.
Scilicet omnipotens mortales fuſa per artus
Mens agitat mentem, Spinula docte, tuam.
Scilicet & ſperas bene, nam quos ſpes alit iſta
Et veniente canunt atque abeunte die.

P. Franciscus SPINULA ad Aonium Palearium Verulanum.

Non mea, ſed Tulli numeros unáque Lucreti
In te mirentur Secula cuncta modos.
Seu ſtudeas animos orando flectere, cantu
Seu vates ſummos æquiparare velis.
Non ſera perpetuos tibi mors ſubducet honores,
Semper enim venies major în ora virûm.
Nam qui viſiſti Europen, Aſiamque, biformis
Penna levis vacuum te per inane feret.
Quà Maro, quà Cæſar, Critæus, Tullius, & qua
Ceſſit ab humana Flaccus in aſtra viâ.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS STANCARUS.

FRANCISCI STANCARI Mantuani nomen ac fata in Eccleſia Evangelica ſunt celebratiora, quam ut ſilentio planè præteriri queant.

Ille, poſtquam apud Italos jam Reformationem tentaſſet ac doctrinæ Evangelicæ de Sacramentis inprimis, veritatem aperte profeſſus *a*) eſſet, ſicque in hæreſeos ſuſpicionem deveniſſet, eaque propter Italiam reliquiſſet; primum in Academia *Cracovienſi* linguæ Hebrææ fuit Profeſſor, deinde, in Academia *Regiomontana* Boruſſiæ, Oſiandri collega & antagoniſta, poſtmodum inter *Polonos* ita verſatus eſt, ut initio multis modis Reformationem promoveret, *b*) at deinceps tamen eandem per opiniones heterodoxas animique tenacem *c*) obſtinationem, ultra quam credi poteſt, turbaret, adeò ut omnium fere Evangelicorum æque Lutheranorum ac Reformatorum, Calvini, Martyris, Zanchii, Bezæ & Tigurinorum, indignationem incurreret.

a) Huc ſpectat Ejus *Opus novum de Reformatione* tum doctrinæ Chriſtianæ, tum veræ intelligentiæ Sacramentorum, tum matura conſideratione & fundamento ſcripturæ ſanctæ ex conſilio Sanctorum Patrum &c. ad Illuſtriſſimum Magiſtratum Venetum, editum Baſil. 1547. 8. cujus titulum Italicum (eſt enim Italicè ſcriptum) nobis exhibet SALIG in Hiſtor. Aug. Conf. Vol. II. pag. 714.

b) Quo faciunt, Ejus *Canones Reformationis Eccleſiarum Polonicarum* per F. Stancarum Mantuanum conſcripti, quibus adjuncti ſunt libelli *contra invocationem Sanctorum. de Eccleſia* & ſignis ejus &c. quod *tota doctrina Trinitatis in Sacris literis ſit relata.* Francof. ad Viadr. 1552. 8. ad Sigismundum Poloniæ Regem.

c) Vid. *Conr.* SCHLUSSELBURG in Catal hæretic. Lib. IX. & *P.* BAYLE in Lex. Vid. *Stancarus* add. WALCH. Introd. in Controv. Eccleſ. Luther. Tom. I. p. 96. ſq. T. IV. p. 175-182.

Digitized by Google

Erat ejus opinio primaria, *Chriſtum Mediatorem noſtrum tantum ſecundum naturam humanam fuiſſe*, in quam τῆ τῆς ἀνθρωλατρείας ἁμαρτίᾳ deveniſſe dicitur, cum Oſiander ei contrariam tueretur hæreſin, quod *ſola divina Chriſti natura mediatorium officium perficeret*, nulla habita ratione humanitatis Chriſti.

Illa autem, quam Stancarus proferebat & cui mordicus inhærebat, ita magnas in Eccleſiis Polonicis jam ſub primis earum initiis turbas ſuſcitavit, ut vix potuerint conſopiri. *Stancarus Italus*, (hæc ſunt verba Th. Bezæ) *a) apud vos Chriſtum, quod ad officium ſaltem attinet, infeſte dividens, Tritheitis itidem Italis januam aperuit, ut quod de Aquilone olim ferebatur, nempe inde omne malum provenire, id de Meridie nimium verè nunc dicendum videatur.*

Tigurinorum Epiſtolam duplicem, ad Eccleſias Polonicas alteram, & alteram ad Proceres & Nobiles Eccleſiarum Polonicarum Patronos & Fautores, ea de cauſa conſcriptam libro ſuo, cui titulus *Catalogus hæreticorum*, *b)* inſeruit SCHLUSSELBURGIUS lectu digniſſimam.

Sunt verò etiam diverſæ ſynodi *c)* adverſus Stancarum congregatæ. Quid? quod Lutherani doctores in Formula Concordiæ ſerpenti ejus hæreſi obicem ponere quoque non neglexerint; Quæ tamen non niſi cum ejus Vita A. 1574. expiravit. *d)*

BAR-

a) Vid. BEZÆ Epiſt. ad A. Dudith. p. m. 12.

b) SCHLUSSELB. l. c. p. 184–225. Melanchthonis autem reſponſio de controverſiis Stancari legitur in ejus Corpore doctrinæ pag. 839. ed. argentin. 1580. 8.

c) Vid. SALIG. Hiſtor. Aug. Conf. Vol. II. p. 588. itemque pag. 653.

d) Scriptorum Stancari indicem nobis ſuppeditat idem SALIGIUS lib. cit. pag. 714. lit. (n)

Digitized by Google

BARTHOLOMÆUS SYLVIUS.

Hunc civitas *Cremonenſis* nobis dedit Theologum uti ſe profeſſus eſt Reformatum. Sic enim ipſa libri A. 1551. ab ipſo publicati *de Euchariſtia*, inſcriptio edocet, quæ hunc habet titulum *Barptolemæi Sylvii*, *Cremonenſis*, Verbi Dei apud D. Rhætos Concionatoris. *a*)

Ceterum, eundem commemorari videmus à *Tobia Eglino* in Epiſtola ad Henricum Bullingerum Theologum Tigurinum ſcripta A. 1571. apud Cl. SCHELHORNIUM loco infra hanc paginam citando.

Uti nonnulla de vario ejus circa doctrinæ puritatem ingenio, ac minime ſtabili judicio, afferuntur in *Muſeo Helvetico*, ubi faſciculus habetur Epiſtolarum *Tobiæ Iconii* ad *H. Bullingerum*. *b*)

Plura nobis de eo non conſtant.

SYLVESTER TEGLIUS.

Is eſt, qui cum *Fr. Betti* relicta Italia religionis ergo ſe Baſileam contulerat, ibique à Baſileenſibus honorificè Suſceptus, vitam tranſegit. Neque tamen quibus ingenii monimentis ſemet celebrem reddiderit aut cauſam veritatis adjuvarit, ſatis exploratum eſt: niſi quod *Petrus* RAMUS in Oratione ſua in laudem Baſileæ dicta, referat, *quod Teglius Machiavelli Principem*, *Latine loquentem fecerit*, *majoraque nominis ſui monimenta publicè moliatur*, cum de reliquo eum recenſeat inter *Italos Candidiſſimos & veræ pietatis amantiſſimos*.

MA-

a) Vid. SCHELHORN. in tract. de Mino Celſo Senenſi, pag. 34. in not. (q).

b) Vid. *Muſeum Helvetic.* T. IV. I. Partic. XVI. n. V. p. 617. ſq.

Digitized by Google

MAXIMUS THEOPHILUS.

Hujus THEOPHILI ortu Florentini, ſed inter Reformatos Italos recenſendi, nobis fere ignota foret memoria, niſi J. LE LONG *a*) ejus quandam *Verſionem Italicam Novi Teſtamenti*, quam ex Græco authentico confeciſſe dicitur, commemoraſſet, eamque inter Proteſtantium verſiones retuliſſet.

Eſt verò hæc verſio, quæ poſt Bruccioli verſionem confecta eſt, ac majorem *b*) puritatis linguæ Italicæ rationem obſervaſſe refertur, longè rariſſima, quod vel addito aſterisco quodam in *Notitia de libri rari* comprobat HAYMIUS. *c*)

Dedicatio eſt ad *Franciscum* Principem hæreditarium Florentinum, atque cumprimis de ſcopo agit, cum totius ſcripturæ, tum verò inprimis librorum Novi Teſtamenti.

Ceterum, Appendix memorabilem continet ad Lectorem Chriſtianum allocutionem, *de Chriſto Legis ſcopo*, *ac*, *de inexhauſto bonorum omnium fonte in ſcripturis ſacris cumprimis in N. T. reperiundo*, quæ ſimul ad Episcopos adhortationem habet, *ne à lectura ſcripturæ S. dimoveant populum Chriſtianum.* *d*)

Enimverò, notari debet, Ejusdem hujus Theophili extare quoddam *Dictionarium Biblicum*, ſub titulo: *L'intelligenza e*) *di alcuni vocaboli &c.* Lugd. 1565. 12. unà cum *Apologia pro Verſione ſua Novi Teſtamenti in linguam vernaculam.*

THEO-

a) LE LONG in Biblioth. S. Tom. I. pag. 359.
b) Vid. VOET. in Biblioth. Stud. Theol. p. 511.
c) HAYM. in lib. cit. p. 287.
d) Conf. BAUMGART. in Biblioth. Halens. Tom. II. p. 104.
e) Conf. BAUMGART. Relationes de libris memorabil. Vol. XI. p. 204. Conf. LE LONG Biblioth. Sacr. p. 486.

Digitized by Google

THEODORUS TREBELLIUS.

Ejus mentio injicitur in ipſo opere §. XL. tanquam qui, cum *Julio Terentiano*, *Petro Martyri* quoque adhæſerit, ac apud Tigurinos fuerit cognitus.

EMANUEL TREMELLIUS.

Hunc nobis patre Judæo natum protulit *Ferraria*, circa principium ſeculi Reformationis: ſed qui à Judaica ſuperſtitione ac pertinacia ad Chriſtum converſus eſt in familia Reginaldi Poli Cardinalis doctiſſimi, quando à Polo *a*) & Flaminio, (cujus conſuetudine ac familiaritate utebatur Polus) in Baptismo, intra parietes Poli domeſticos ſuſceptus eſt.

At verò, uti linguæ Hebrææ erat peritiſſimus, ac literarum ſtudiis excultus, ita quoque cum aliis Viris doctis in Italia quod habuerit commercium ac coluerit amicitiam certum eſt, quodque in aula, quæ tum florebat, Ferrarienſi in propiorem Virorum Doctorum ac cumprimis Evangelicæ Veritatis à Pontificiorum ſordibus emendatæ notitiam devenerit. De ejus cum *Petro Martyre* apud Luccenſes familiaritate res nota eſt ex Vita Martyris; *b*) quæ ſimul teſtatur, quam tum, per breve licet tempus, Hebræam linguam in Collegio S. Fridiani, cujus Prior erat Martyr, docuerit Emanuel noſter, qui tamen haud multò poſt unà cum Martyre atque aliis Viris doctis illud deſeruerit, atque relicto Papatu profectus fuerit ad Eccleſias Germanicas, in quibus publicè pura Evangelii doctrina prædicabatur.

a) Vid. *Joſcelinus* in Epiſcoporum Cantuarienſium Vitis p. 347. Conf. COLOMES. in Italia Orientali p. 11. & SCHELHORN. in Amoen. Hiſt. Eccl. Vol. I. p. 147. 148.

b) Vita Martyris in *Scrinio noſtro Antiquar.* Tom. III. p. 18.

Digitized by Google

Sic enim in Germaniam profectus primo *Argentinæ* domicilium fixit; deinde *a*) potiente rerum Eduardo VI. in *Britanniam* transmisit, quo mortuo Germaniam repetiit, & in Schola *Hornabachensi* sub duce Wolfgango Bipontino, aliquando docuit: unde *Heidelbergam* ad professionem Hebræam evocatus est, ubi Syriacam novi Testamenti Versionem latinitate donavit, & postea novam V. T., ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam, translationem molitus est, socio tanti laboris ascito Francisco Junio Biturige, qui post Tremellii obitum eandem editionem recensuit & additis multis auctiorem reddidit. Relicta postremò Heidelberga *Diviodurum Mediomatricum*, ubi olim, cum ex Italia veniret, uxorem duxerat, concessit, unde *Sedanum*, Bullionis Principum sedem evocatus, ut in Academia nova linguam Hebraicam profiteretur, septuagenario proximus, tandem defecit A. 1580.

Inter ejus scripta recensentur etiam *Enarrationes in Hoseam* quæ A. 1563. editæ, itemque *Grammatica Chaldæo-Syra*, atque cumprimis *Catechismus Hebraicus* sub tit. חנך בחורי יה *Initiatio electorum Domini*, per interrogationes & responsiones de fide, præceptis, precibus & sacramentis ex sententia Christianorum præcipiens, & Christophoro Duci Wurtembergensi dedicatus, Argentorati 1554. 8.

De eo, libro longè rarissimo, notamus, eundem Parisiis apud Robertum *c*) Stephanum Gallum excusum esse anno æræ minoris 314. (Christi 1554.) mense Elul, die mensis 24.

Argumentum ejus primarium, & quinque sectionum in quas divisus est, contenta breviter recensuit Cl. WOLFIUS *d*) in Bibliotheca Hebræa: qui & integram Dedicationem ad

a) Vid. THUAN. Historiar. lib. ad ann. 1580. apud COLOMES. in Ital. orient. p. m. 110.
b) Vid. WOLFII Biblioth. Hebr. Vol. I. pag. 952. 953.
c) Hujus editionis mentionem facit *Michb.* MAITAIRE in Catalogo librorum à Stephanis editorum pag. 28.
d) WOLFI. Biblioth. Hebr. Tom. III. pag. 883.

Digitized by Google

ad Christophorum Ducem Wurtembergensem & Teccensem nobis exhibuit, dignam ad genuinam Tremellii indolem fideique ejus & charitatis puritatem cognoscendam, quæ integra perlegatur; vid. Wolf. Bibl. Hebr. T. III. p. 883–886. incl.

GALEACIUS TREZIUS.

Lauda Pompeja oriundus, ex oppido, quod non longè ab urbe distat, Sanctangelum dicitur, inter Martyres Italos nomen habet, cum ob religionem regnante Julio III. igne combustus legatur. *a)*

JOHANNES VALDESIUS.

Quod hunc Virum præclarum, ac inter primarios *Lutheranismi in Italia* statores referendum, *b)* hic recensemus, tametsi non Italia sed Hispania eundem produxerat, nemini mirum videri potest: cum quod Italiam commorationis sedem elegisset, tum quod intimam cum præclaris Italis amicitiam ac familiaritatem coleret, tum quod in Italia quoque ultimum vitæ diem clauderet, multumque ad Italos nobiles æque ac ignobiles convertendos, Christoque lucrandos, operæ impenderet.

Fuit nobili genere natus *c)* in Hispania, & dignitate equestri ornatus à Carolo V. Cæsare; in cujus comitatu, cum is Germaniam peteret, quod Evangelicæ, quæ est Protestantium, doctrinæ gustum quendam acceperit, vero fit simile.

Interea tamen postquam ita ad veræ religionis agnitionem deveniisset, vitam suam in Italia ac præcipue in civitate Neapoli

a) Vid. Hier. Marii Eusebius captivus p. 105. b
b) Vid. *P.* BAYLE in dictionar. V. Valdes.
c) SIMLER. in Vita P. Martyris in Scrin. Antiq. T. pag.

Digitized by Google

poli tamen peregit, Secretarii Regii munere apud Neapolitanos *a*) functus.

Tum verò doctrina & sanctissimo vitæ exemplo, quod quamplurimos præsertim nobiles Viros ac Foeminas Christo lucri fecerit, in comperto est, puram illam cumprimis de Justificatione hominis peccatoris coram Deo doctrinam inculcando & multos ad Evangelicam Veritatem convertendo.

Elogium ejus verbis *Jacobi* BONFADII jam in hoc Syllabo adduximus, quibuscum consonant, cum quæ in Vita *Galeacii Caracciolæ*, tum quæ in Vita *P. Martyris* leguntur.

Et quanquam SANDIUS in Bibliotheca anti-Trinitariorum ipsi Socinismum impingere non fuerit veritus, quod tamen id sine idoneo factum sit testimonio, jam evicit SCHELHORNIUS. *b*)

Scripta ejus quantum constat, sunt sequentia. *Duo dialogi*, Alter inter Mercurium *c*) & Charontem, Alter inter Lactantium & Archidiaconum, Venetiis impressi ex Hispanico in Italicum sermonem translati.

Commentarius in Epistolam d) *ad Romanos* lingua Hispanica editus Venet. 1556. 8. cum præfatione dedicatoria Joh. Perezii *e*) itidem Hispani ad illustrissimam Matronam Juliam Gonzagam. *Considerationes centum & decem* piæ & doctæ, Italicè pariter atque etiam Gallicè excusæ cura & studio

a) Vid. SIMLERI Epitome Biblioth. Gesn. V. *Joann.* qui eum hoc titulo insignit.

b) SCHELHORN. in Amoenit Hist. Eccl. Liter. Tom. II. p. 52. 53.

c) Vid. BAYLE dictionar l. c. Ex iis autem se aliquando excerpta communicaturum esse pollicetur SCHELHORNIUS l. c.

d) Vid. BAUMGART. relat. de lib. memorabil. Tom. II. p. 287. sq. quem librum nostra servat bibliotheca.

e) Erat is singularis Valdesii amicus, qui & anno seq. commentarium in Psalmos Venet. 1557. 8. edidit, Mariæ Austriacæ Caroli V. Sorori & Belgii Gubernatrici dedicatum, Vid. BAUMGART. l. c. p. 292.

Digitized by Google

dio *Coel. Sec. Curionis*, qui eas per *P. P. Vergerium a)* accepiſſe referebat.

Eſt verò Valdeſius A. 1540. jam demortuus, ejusque memoria cum apud Neapolitanos tum apud alios ejus diſcipulos, numero quam plures, manſit in benedictione.

GODOFREDUS VARAGLIA.

Celebris ille Pedemontanus, quod primò Veritatis Evangelicæ perſecutor fuerit acerrimus, deinde verò Confeſſor ad mortem usque conſtantiſſimus, noſtra edocent Martyrologia *b)*, atque quæ jam in ipſo hoc Opere noſtro §. LIV ſq. de eo à nobis ſunt allata.

Johannis CALVINI ad ipſum (cum propter veritatem libere aſſertam, à Taurinenſibus in vincula conjectus eſſet) Epiſtola *c)* A. 1557. d. 17 Decembris data, hanc notabilem habet clauſulam: „ Pluribus tecum non agam, optime & „ chariſſime Frater, quia te in Ejus fide ac patrocinio re„ cumbere mihi perſuadeo, cui dum morimur, & vivimus, „ moriendo ſumus beatiores, quam terreni profanique ho„ mines vivendo.

Ipſius autem Varagliæ ultima, cum ad rogum duceretur, verba *d)* hæc erant: „ Ut autem quæ ſit mea fides intelliga-

„ tis,

a) Vid. BAYLE l. c. Hæ verò conſiderationes idem fere ſubierunt fatum, quod etiam *Strategematibus Jacobi Acontii* contigit, ut laudentur ab his culpentur ab illis: Uti enim laudantur à *Cæl. Sec. Curione* & ab aliis, ita variorum errorum accuſantur à *Th. Beza* in Epiſtolis n. IV. pag. m. 40. quippe qui ſcriptum illud (perſonam enim Valdeſii ſe non attingere dicit) impium & irreligioſum dici debere contendit, nullo tamen adducto ſpecimine.

b) Vid. cumpr. CRISPINI Martyrolog. Gall. Majus. à fol. 418—421.

c) Vid. *Jo.* CALVINI Epiſtol. pag. 116.

d) Cæl. Sec. CURIO in PANTALEON. rer. memorabil. Lib. XIX. p. 334. 335.

Digitized by Google

„ tis, ſcitote, me ſanctam eccleſiam catholicam confiteri, „ omniaque toto animo complecti, quæ libris veteris & novi „ Teſtamenti continentur; Hominum autem inventa ac de- „ creta ſine verbo Dei deteſtari, quibus ne fidem habeatis „ oro; Evertunt enim Dei doctrinam, atque præcepta & ſe „ ſequentes in exitium trahunt.

PETRUS PAULUS VERGERIUS.

De VERGERIO, licet quædam in ipſo Opere jam commemoraverimus, tamen ut ejus ſingularem, à ſuperſtitione Papiſtica ad Veritatem Evangelicam, Converſionem, paucis quoque, ſed verbis ex SLEIDANO depromtis breviter enarremus oportet: „ Cum enim is (ita SLEIDAN. lib. XXI. pag. 650.) à colloquio Wormatienſi quod fuit initio „ anni MDXLI. ſicut diximus, Romam vocatus rediiſſet, „ pontifex, creaturus novos cardinales, ipſum quoque de- „ ſignabat inter alios: erant autem qui clanculum inſuſurra- „ rent, illum multa jam conſuetudine Germanorum eſſe fa- „ ctum Lutheranum. Hoc ubi Vergerius ex cardinali Gi- „ nucio, cui pontifex dixerat, audiſſet, valde fuit attonitus, „ & ut ſeſe purgaret, in patriam ſecedit, atque librum or- „ ditur, cui titulum dedit, Adverſus apoſtatas Germaniæ. Dum „ autem conſutandi cauſa, libros adverſariorum diligenter „ excutit, & attente conſiderat argumenta captum ſeſe vi- „ ctumque ſentit; & abjecta ſpe Cardinalatus, ad fratrem ſuum „ germanum, Joannem Baptiſtam, Polæ civitatis Epiſcopum „ abit, & re tota commemorata, conſilium exquirit. Fra- „ ter initio territus, conditionem hominis deplorat: ſed quum „ illius precibus inductus ad ſcripturæ perveſtigationem ſeſe „ applicaſſet, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod eſt „ de juſtificatione, diligenter expendiſſet, facta ſententiarum „ collatione, cedit, & falſam eſſe pontificiam doctrinam ju- „ dicat. Itaque mutuo ſibi gratulantes, quod proprium eſt Epis-

Digitized by Google

„ Episcoporum munus, populum erudire coeperunt per „ Istriam, & Christi beneficium humano generi collatum dili„ genter inculcant, & cujusmodi opera Deus à nobis requirat, „ ostendunt, ut ad purum cultum homines revocarent.

Neque ferè quicquam restat, nisi ut observemus, quam apud ipsos Scriptores Italos ejus memoria, tametsi eam denigrare ausus est *Hieron. Mutius* in invectiva sua Vergeriana, & deinde in peculiari scripto. *a*) *Joh. Casa*, tamen celebretur, isque inter Italiæ decora referatur.

Certè UGHELLUS *b*) in Italia Sacra, ita de eo: „ Pavit „ ille aliquandiu sibi commissum gregem, tum verbo, ita ut „ provectiores mirarentur, in Juvene adeò pietatem adole„ visse. Cæterum, cum minus oportuit, coepit illud pieta„ tis studium in Vergerio sensim languere, mox & fastidire „ cæteros, rarius adesse gregi, novis dogmatibus se totum „ dedere, sacris Christianis detrahere, novos ritus excogi„ tare, ferere de ea novitate in familiarium coronulis ser„ mones. Ubi verò erroris socios aliquot cordatiores sibi „ conciliasset, palam imbellem imperitamque aggredi ple„ bem, ut bonam Insulæ partem, ut evenit, ea luce infice„ ret. Exarsit scil. ad triste nuncium Pontifex, ictumque „ religionis zelo deturbavit de sede 1548. &c.

Verùm Vergerius, simulac Papatum reliquerat, ac in Rhætiam primo, deìn Sueviam profectus erat, statim magna edidit, non adumbrata, sed expressa signa virtutis quam animo conceperat Veritatem Evangelicam stabiliendi, ac Impietatem Papalem sede sua deturbandi; Quanquam in eam causam nos jam non immittamus.

Sed

a) Discursum illum Jo. Casæ Latinum ex Menagii Anti-baillet Tom. II. p. 363. sq. SALIG. inseruit suæ Histor. Aug. Confess. Tom. II. p. 1184. &sq. at vero, Cl. SCHELHORNIUS Vergerii contra Casam famam, singulari scripto 4. vindicavit. Ulmæ 1754.

b) Ughell. Ital. Sacr. Tom. V. p. 391.

Digitized by Google

Sed notamus adhuc, quod licet *Joh. à Lasco*, & *Coelius Secundus Curio*, ex noſtris, ac denique *Jac. Andreæ*, doctor Lutheranus, non in omnibus cum Vergerio convenerint, is tamen malè fuerit accuſatus, quaſi unquam meditatus fuerit ad Papiſticas ſordes reditum, aut ſe ullius colluſionis cum Pontificiis ſuſpectum reddiderit.

Quod enim illam cum *Joh. à Lasco a*) adtinet controverſiam, ea non videtur ulla fuiſſe, niſi circà ritus S. Coenam adminiſtrandi: quippe, cum Lascus publicum Eccleſiæ conſeſſum in S. Coenæ celebratione exoptaret, à quo alienior erat Vergerius, qui alioquin propior erat magisque adhærebat Brentio & illis qui Auguſtanam Confeſſionem ſtricte ſequebantur, quam Helvetiis, nec ſe in omnibus ad Helvetiorum nutum componere poterat. Præterquam quod Joach. Camerarius referat, Vergerium contrariis Jo. Lascii conatibus in Polonia obſtitiſſe.

De *Coelio Secundo Curione* fatemur, ejus in Epiſtola ad Abrah. Musculum *b*) A. 1550. data, & ad Johannem à Lasco *c*), judicium non admodum favens eſſe: ut ferè videatur, privatam quandam inter utrumque fuiſſe ſimultatem, (conf. SCHELHORN. Amoen. liter T. XII. ubi Curionis adv. Vergerium, qui eum Naturalismi incuſaverat, Apologia legitur), quæ & ingenia ſuà naturà diſſona, longius quam par erat ab invicem divulſerit; Interea tamen, ex iis quæ de Valdeſii Conſiderationibus, à C. S. Curione editis, in præfatione referuntur à Petro Bælio *d*) ſatis evincitur, quanti verè Vergerium & ejus in Eccleſiam merita æſtimaverit C. S. CURIO, cujus alioquin in Præfatione Hiſtoriæ Franc. Spiræ de Vergerio *e*) admodum laudabile eſt teſtimonium.

Et,

a) Conf. *Scrin. noſtr. antiquar.* T. IV. pag. 436. 7.
b) Vid. *Muſe. Helvet.* Tom. XXVIII. p. 562.
c) Vid. GABBEMA in collect. Epiſtolar. p. 135.
d) Vid. Bæl. dictionar. vid. Valdes pag. 416. lit. F.
e) Sic enim ibi: *Qualis hic vir ſit* (Vergerius), *quæ auctoritate*,

Digitized by Google

Et, quod illam cum *Jac. Andreæ* Theologo Tubingenſi & Collega *Vergerii* adtinet ſimultatem; Eam ex eo tantùm ortam fuiſſe notum eſt, *a*) quod, cum ad Colloquium Poſſiacenum proficiſceretur cum ſuis Jacobus Andreæ, Vergerius ad Cardinalem Barbonium ipſi literas quasdam dare Συσατικας præ ſe tulerat ac commendatitias, quæ tamen tales non erant. Quod cum forte fortuna Andreas comperiſſet, & quod libellos quosdam, quibus irritari poterat Cardinalis, illi faſciculo indidiſſet, nullis additis literis; tum is Vergerio id objicere eumque malæ fidei accuſare, ſed Vergerius malam fidem diffiteri, ſed culpam tamen imprudentiæ fateri atque veniam expetere.

Enimverò Andreæ, veniam ipſi denegare, quamdiu in vivis erat Vergerius, ſed tamen poſt Vergerii mortem A. 1565. Concione funebri ejus in fide conſtantiam laudare non negligebat: licet in eo culparet, quod non magnus bellator fuiſſet aut in fidei controverſiis pro illorum tempore more ſatis verſatus. Και ταυτα μεν δη ταυτα. Interea, non poſſumus non hic addere illud, quod in templo San-Georgiano apud Tubingenſes, apud quos A. 1565. d. 4 Oct. pia morte obiit, Vergerio poſitum eſt Epitaphium; quod ita ſe habet:

Hac ego tum Petrus Paulus cognomine gaudens
Vergerii ſancta contumulatus humo.
Qui Juſtinopoli dicebar Episcopus olim,
Legatus fueram regna per ampla Papæ.

tate, qua fide, qua in omni tractando negotio religione atque prudentia, legationes ejus, ad Principes & populos ſapienter & fideliter obitæ, pontificatus Juſtinopolitanus, à quo veritatis quam pateſacere coeperat, odio atque invidia pulſus eſt, ſanctè religioſéque quoad licuit adminiſtratus, reliquorum præterea negotiorum curſus, abunde teſtantur.

a) Vid. SALIG. Hiſt. Confeſſ. Aug. Fol. II. p. 1180. 1.

Digitized by Google

Attamen abjecto, mundus quem quærit, honore,
Cum vera amplexus ſum pietate fidem.
Sic volui potius pius exul in orbe vagari,
Quam Præſul patriis impius eſſe locis.
Petrus eram primo, quia te, bone Chriſte, negabam;
Petrus eram paſcens poſt tibi, Chriſte, gregem.
Paulus eram quia te contra, bone Chriſte, fremebam;
Paulus eram pro te, Chriſte, ferendo crucem.
Vergerius meritò vergens ducebar ad orcum,
Vergerius vergens dicar ad aſtra poli.
Quisquis es, in meritum Chriſti qui fidis, ad urnam
Accedens noſtram, talia vota feras.

VergerIVs, fVerat qVI CLarVs EpIſCopVs oLIM
eX JVſtInopoLI VIVat In arCe poLI.

JOH. FRANCISCUS VIRGINIUS.

Et hunc Veritatis Evangelicæ ſtrenuum Confeſſorem nobis Italia dedit, & quidem civitas Brixienſis.

Ceterum, eumdem in aula Renatæ Ferrarienſis quoque verſatum fuiſſe, ac ejus patrocinio gaviſum, discimus ex ejus Epiſtola dedicatoria, ad Illuſtriſſimam Renatam Ferrarienſem curata ac præmiſſa *Expoſitioni paraphraſticæ Epiſtolarum quarundam Paulinarum; a)*

Eſt enim is primarius ejus, quem edidit, liber, *Paraphraſis* ſcilicet *in Epiſtolam Pauli ad Romanos, b) ad Galatas* & *ad Hebræos*, Lugduni A. 1565. 12. impreſſa, cujus recenſionem ac titulum exhibet Cl. BAUMGARTEN, qui & obſer-

a) Vid. BAUMGART in relat. de libris memorabil. Tom. XI. p. 202.

b) Titulus hic eſt. Parafraſi ſopra le Piſtole di S. Paulo a Romani, Galati, e agli Ebrei: nuovamente poſte in luce, di M. Giovanni Francesco Virgionio, Breſciano. In Lione, appreſſo Baſtiano Honorati 1565. 12.

Digitized by Google

ſervat, quod *Jac.* LE LONG *a*) in Biblioth. S. ejus injiciat mentionem, auctorem ſimpliciter appellando *Franc. Virginium*, cum tamen ipſe ſemet in ſubſcriptione dedicationis appellet *Joannem Franciscum.*

HIERONYMUS ZANCHIUS.

ALzanum Italiæ in Valle Seriana oppidum, in tractu Bergomenſi, ZANCHII noſtri ex docta Zanchiorum ſtirpe *b*) oriundi, A. 1516. fuit patria.

Prima ſtudiorum rudimenta inter Canonicos Regulares Bergomi poſuiſſe refertur, & ipſe eorum catalogo inſcriptus *c*). Interea tamen, cum in Comitis *Martinengi* & Petri *Martyris* notitiam ac familiaritatem apud Luccenſes deveniſſet, non ſolùm ipſe ad Evangelicæ Veritatis cognitionem ac ſacrarum literarum ſtudium eſt introductus, ſed &, haud multo poſt, cum Martyr Italia exceſſiſſet, ſeque libertatis cauſa, in Helvetiam contuliſſet, nec tuto piis ejus diſcipulis ibi vivere, multo minus docere, integrum eſſet, duodeviginti illorum intra unius anni 1550. decurſum *d*), præceptorem ſuum ſecuti ſunt, inter quos & hic Zanchius noſter, vir πολλων ἀνταξιος ἀλλων.

Is verò, tum primò ad *Rhætos* acceſſit, deinde, ad Eccleſiam *Genevenſem*, ubi cum menſes circiter novem exegiſſet, operâ P. Martyris in Angliam fuit evocatus, ut ibi ſacras literas profiteretur. Sed, cum ſemet itinere accingeret in-

a) Vid. LE LONG Biblioth. S. Vol. II. p. 1005.
b) ZANCH. Ep. ad Lælium Zanchium Equitem & Doctorem, Epiſtolar. Lib. II. p. 441. ubi cum Parentes & Majores proximos, tum vitæ ſuæ rationem domeſticam ZANCHIUS exponit.
c) Conf. ZANCH. Ep. ad Philip. Haſſ. in Scrin. antiq. T. V. p. II. p. 231.
d) Vid. ADAMI in Vita H. Zanchii pag. 75.

Digitized by Google

terceſſit *Vocatio Argentinenſis*, quando A. 1553. ſive in Caſp. *Hedionis* ſive in *P. Martyris a*) locum adScholam Argentinenſem acceſſit, ubi per undecim annos ſacram ſcripturam interpretatus eſt, ac Theologum ſe geſſit verè Chriſtianum & Evangelicum. Interea tamen, cum ob lites ipſi de Prædeſtinatione motas inde ſecederet, primùm *Clavennæ* in Rhætia deinde *Heidelbergæ* docuit, munere functus profeſſorio, ibique, licet antea quoque ad Eccleſiam *Italicam*, *b*) quæ *Lugduni* in Gallia Chriſto colligebatur, itemque ad Eccleſiam *Antverpienſem c*) vocatus eſſet, & A. 1578. ad Academiam recens erectam *Lugduno Batavam d*), ne de aliis vocationibus agamus, *e*) diem ſupremum obiit A. 1590. ætatis 75. Epitaphio ſequenti honoratus.

Hieronymi hic ſunt condita oſſa Zanchii, Itali, exulantis Chriſti amore patriâ; Qui Theologus quantus fuerit & Philoſophus, teſtantur hoc, libri editi ab eo plurimi: Teſtantur hoc, quos voce docuit in Scholis: quique audiere eum docentem eccleſias. Nunc ergo quamvis hinc migrarit ſpiritu, claro tamen nobis remanſit nomine.

Scriptorum ejus profundam in Theologicis ſtudiis erudicionem ſpirantium recenſionem nobis exhibet *Melchior* ADAMI in Vitis Theologorum Exterorum *f*) Seculi XVI. Sed inter ea ſigillatim connumerari meretur, ejus FIDEI *Confeſſio g*) memorabilis, quam A. 1585. ætatis LXX. edidit ad *Ulixem Martinengum* Comitem Barchenſem & Patricium Venetum: quippe in qua, inter alia multa, quæ ad Doctrinam Evange-

a) ZANCH. Epiſt. laud. ad Philipp. p. 233.
b) Zanch. Epiſt. Lib. II. p. 375 ſq.
c) Vid. Epiſt. cit. Lib. II. p. 409-414.
d) Zanch. Epiſt. Lib. II. p. 427. 428.
e) Vid. Adami l. c. fol. 76.
f) ADAMI in Vitis Theol. Ext. pag. 77.
g) Vid. THUAN. Hiſtor. Lib. ad ann. 1590. & Cl. BARCKSDATII Monum. literar. ex Thuano p. m. 291.
h) Vid. Zanchii Opp. Tom. VII. pag. 540.

Digitized by Google

gelicam à Pontificiis næniis & ſordibus repurgatam faciunt, proteſtatur, „ ſe à Romana Eccleſia non ſimpliciter & in „ omnibus defeciſſe, ſed in illis duntaxat rebus, in quibus „ ipſa defecit ab Apoſtolica, atque adeo a ſe ipſa veteri & „ pura Eccleſia, neque alio deceſſiſſe animo, quam ut ſi „ correcta ad priorem Eccleſiæ formam redierit, ipſe quo- „ que ad illam revertatur & communionem cum ea in ſuis „ porro coetibus habeat, quod ut tandem fiat, toto animo „ Deum precari. Quid enim pio civi optatius, quam ut, ubi „ per Baptismum renatus eſt, ibi etiam in finem usque vivat, „ modo in Domino.

Quæ verba in ſe ſpectata, ac prouti ab Illuſtri THUANO afferuntur, equidem moderatum Zanchii indigitant ingenium, ac ſummam quam in ſcribendo ſervavit moderationem; non verò etiam, quod à ſcisſura olim ſarcienda minime ſe oſtenderit alienum Zanchius, magis quam etiam reliqui Theologi omnes Evangelici, licet in eam rem accepta ſint à Viro Illuſtri. Enimverò, contextus illorum verborum & integer tractatus, quippe qui veritatum Theologicarum quoddam nobis ſiſtit compendium, ſatis alioquin edocet, quam à Communione Eccleſiæ Pontificiæ fuerit ac manſerit alieniſſimus, neque ullum unquam meditatus fuerit religionum ſyncretismum.

THOMAS ZENOINUS.

THOMAM hunc, quem Vicentia nobis dedit, alioqui minus cognitum, quod mercaturæ magis quam ſtudiis addictus eſſet, poſt fata cognitum nobis reddiderunt Monumenta Baſileenſia. *a*)

Cum enim A. 1604. ætatis quinquageſimo ſexto, apud

a) Vid. TONJOLÆ Monumenta Baſileenſia pag. 146. & *Groſſium* p. 149.

Digitized by Google

Basileenses supremum diem obiret, Frater ejus Hieronymus *Zenoinus*, qui vel ita quoque inter Italos Reformatos nomen habet, sequens ipsi posuit Epitaphium.

Chr. S.
THOMÆ ZENOINO
Vicentino,
Christianæ veritatis amore
Basileam translato,
probo, solertique Negotiatori
LVI. ætatis humanis erepto
Hieronymus Zenoinus
m. p.
M DC IV.

JULIUS ZOANNETUS vel, ZANNETTI.

Ne præclarum hunc Martyrem & Evangelicæ Veritatis inter Italos Confessorem ignoraremus, effecit Jacobus Augustus THUANUS *a*); qui ad Ann. 1566. de *Michaele Gislerio*, Monacho Dominicano, sed ad sedem Papalem evecto, ac nomen PII V. assumente, ejusque impia in veritatis confessores tyrannide, ita infit: „ Initio statim Pontifi-„ catus magna severitatis exempla dedit, præcipuè in causa „ religionis, conquisitis passim per Italiam hujus criminis su-„ spectis & Romam attractis. *Julium Zoannetum* qui Pa-„ tavii domicilium contraxerat, ob eam causam impetravit „ à Senatu Veneto, & *Romæ* damnatum crudeli ignis sup-„ plicio affecit.

a) THUAN. Historiar. Lib. XXXIX. n. II. fol. 483. ad ann. MDLXVI. Conf. FLAC. in app. ad Catalog. test. verit. pag. 2144.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google